7.6.22

7.A.6.22

J. M. J.

Di Giuseppe Salvagnoli
di Empoli: 1809:
a dì 26 Febb.º
£ 2. — · —

Digitized by Google

CAMILLI NICOLII
RHETORICAE
INSTITUTIONES

Phyſica, & Mathematica, & ceterarum artium propria, ſcientiae ſunt eorum, qui illa proſitentur: illuſtrare autem oratione ſi quis iſtas ipſas artes velit, ad Oratoris ei confugiendum eſt facultatem.

Cic. 1. de Orat. cap. 14.

CAMILLI NICOLII

EX CLER. REG.

SCHOLARUM PIARUM

RHETORICAE INSTITUTIONES

EX OPTIMIS LATINIS, GRAECISQUÈ SCRIPTORIBUS

Quoad praecepta, & quoad exempla collectae, atque illuſtratae.



FLORENTIAE MDCCXXXVI.
Typ. Reg. Celſ. Apud Tartinium, & Franchium.
SUPER. FACULTATE.

Digitized by Google

CLEMENTI XII.

PONT. OPT. MAX.

CAMILLUS NICOLIUS

CL. REG. SCHOL. PIAR.

ELoquentiae, artiumque reliquarum ad animi ſenſa praeclare, erudite, ef-

ficienterque exprimenda, in aliorumque mentes transfundenda pertinentium, Clemens Pontifex Maxime, multo ſane ampliſſima eſt praeſtantia atque utilitas apud omnes mortales ſemper exiſtimata, & tamquam de caelo oblata & demiſſa honori habita, & religioni. Etenim quid tandem ſit ingenioſe, eximie, ac ſancte cogitare, quod hominis divina quadam excelſaque mente praediti eſt, niſi praeclara illa, grandia, & ſaluberrima appoſite, pro eorum dignitate, ac vehementer quis exponat? Elangueſcunt ſiquidem atque intereunt vel magna, admirabilia, & prope divina animo & cogitatione comprehenſa, niſi qua par

eſt

eſt dicendi facultate contendantur : accommodate autem atque egregie expoſita, quam ex rerum pondere ac ſanguine ſibi vindicant ac praeſeferunt, vim promovent, amplitudinem, ſanctitatem. Ita vero propoſita, & veris eloquentiae ornamentis ac nervis inſtructa atque armata rerum momenta incredibilem ubique fructum capiunt, conſtituunt, atque amplificant: nam ſaepenumero quod negotia, etſi multo maxima & certiſſima, ipſa per ſe non impetrant, bene ac ſapienter orata facile conſequuntur. Quot enim florentiſſimarum Civitatum, potentiſſimorumque Populorum importunos ac nefarios motus exſtinxit

eloquentia? quot ſanctiſſimas leges aut perſuaſit non ante auditas, aut excitavit jam jacentes atque intermortuas? quot bella compoſuit? ad quam praeclara, ſancta, & divina torpeſcentes homines, aut etiam reluctantes induxit atque erexit? Nam cum praeſtantiſſima haec facultas ſeu divinitus inſpirata, ſeu magno labore adhibito comparata ad graviſſimam morum diſciplinam tradendam, ad humanas divinasque leges perſuadendas, ad populorum, gentiumque omnium ſalutem curandam devocata eſt, laudes peperit inauditas. Quam pulchrum ſane ſit praeteritarum aetatum noſtrarumque memoriam re-

pe.

petenti ſub unum quaſi adſpectum contemplari, quae illa attulit commoda, incrementa, ſanctitatem! Haec profecto in Apoſtolis, licet potius de caelo oblatis, quam de terra miſſis, longe lateque offuſas errorum tenebras, ſuperbientem ac veritati rebellantem ſaeculi ſapientiam, barbarorum immaniumque Principum furores, & ſcelerum prodigia & peſtes aggreſſa eſt, attrivit, ac profligavit, ut eos jure optimo impietatis barbariaeque everſores, veritatis vindices, rerum caeleſtium beataeque aeternitatis ſatores veneremur. Quam multa etiam quam illuſtria virtutum ac ſanctimoniae proximis deinde temporibus ad noſtra

haec

haec attulit, ac futuris etiam afferet incrementa! Quis enim ea commemoret, quae Gregorius magnus, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, ſumma Catholicae Eccleſiae lumina, Gregorius Nazianzenus ac Nyſſenus, Baſilius item magnus, Clemens & Cyrillus Alexandrini, Juſtinus & Cyprianus illi Martyres, & qui unus inſtar multorum eſt Chryſoſtomus dicendo retulit & conſtituit? A ſcelere omnes deterruerunt, ad virtutem inflammarunt cum dicerent, deterrent atque inflammant cum leguntur. Quae vero, quanta, & quam ſingularia Religionis commoda ex iſto ipſo tuo humanarum, divinarumque rerum in terris faſtigio

extu-

extulit eloquentia, cum non ſolum Gregorios, Leones, & Clementes credito ſibi orbi dicentes, & morum juſtitiaeque cauſſam orantes edidit, ſed Romanos omnes Pontifices magnifice ſapientiam tractantes, & communem univerſi Orbis Chriſtiani fauſtitatem afferentes ſuſpexit? in iis longe maxime cohoneſtata ſuo ſibi jure gratulata eſt, rerum magnitudinem, aequitatem, ac religionem ſuis ipſarum momentis pollere, ac terras moderari, ſingulari autem ac prope divina dicendi vi dominari, cunctiſque negotiis robur addere, ac ſanctitatem. Quorſum vero haec? ut ſatis conſtet, Clemens Pontifex Maxime, Te excelſo-

que

que ſedis tuae loco non indignum opus, quod Tibi offero ac dedico. In eo praeceptivam complector eloquentiam, magnam majoris ſobolis parentem orantis eloquentiae, eique deſtino Juventuti, cujus informandae ſpeciem ſecum ipſe Clemens ille VIII. Pontifex Maximus animo & cogitatione aliquando comprehenderat & conſtituerat, quam Ven. Ordinis mei Inſtitutor Joſephus Calaſanctius iisdem diebus Romae aggreſſus fuerat: nam tantus Pontifex fando accipiens rem ſibi maxime optatam per Calaſanctium ſuſceptam eſſe atque inchoatam virum accerſit, & benigno familiarique eum al-

loquio

loquio dignatus conſilium, viam, ac formam docendi Pueros percontatus, remque omnem ex animo illi gratulatus, ipſum ipſiuſque operam fortunari a divino Numine precatus ad perficiendum cohortatus eſt, ac patrocinium pollicitus; unde factum intelligo, ut brevi Ordo longe lateque ſit propagatus: quam denique ipſam Juventutem Tu ipſe nobis eximie commendaſti, cum, ne deinceps iterum noſtro in munere exturbaremur, perhonorifico decreto declaraſti ac tuliſti, ut Juvenes praecipue pauperes, quod ſolemni religione jurati facimus, ut divites quoque ac nobiles in Seminariis etiam & Collegiis ad omnem

omnium

omnium diſciplinarum ſcientiam, id vero immerito ſane certis in regnis ne faceremus non mediocriter contendebatur, ſarcti ac tecti doceamus. Itaque eam Spartam orno, quam tu juſſiſti. Reliquum ergo eſt, ut benigne has Rhetoricas Inſtitutiones excipias ampliſſimo tuo nomini nuncupatas, illique Juventuti paratas, quae ſingulatim ſaepius digna fuit, cui maximorum Pontificum, ſummorum in terris rerum Moderatorum mens & cogitatio proſpiceret, nedum generatim ſapientiſſimorum virorum voces & ſtudia. Praeſertim vero, cum in ſinum tuum, & complexum provolent & confugiant ab homine ejus Ordi-

nis, qui ſe Tibi plurimum debere fateatur, & gratiam certe habet maximam. Tu enim nos Reip. bono laborantes non modo in eo, quod ante commemoravi, tutatus es, ſed ſingularibus aliis beneficiis ornaſti, atque omni amoris ſignificatione recreaſti. Inter eximia ergo haec, obſecro, animi tui ornamenta & lumina, unde in nos ea profecta ſunt, illud quoque emineat, ut benigne oculos in has Inſtitutiones convertas, quas ampliſſimo tuo nomini inſcribo & conſecro. Tu ratas habe, excipe, ac fortunari jube. Tuum erit profecto, ſi, quod magnopere cupio, Tibi probentur, nec paucis ſint adjumento &

fau-

fauſtitati, ut honeſtos Adoleſcentes, quos inſtituimus, ad familiarum ſuarum fructum, ad privatarum publicarumque rerum adminiſtrationem, atque ad Catholicae Eccleſiae utilitatem & lucem creviſſe aliquando videamus.

Digitized by Google

INSTITUENDO

ADOLESCENTI OPTIMO

PRAEFATIO.

N*Oviſſimus omnium quod prodeo, vel quidem certe poſt tantam Rhetorum copiam, ne inſigni prodeam incommodo, non mediocriter, Adoleſcens optime, vereor*: timeo enim, ne ex eo minorem gratiam liber ineat, quod pléraque non inventa per me, ſed ab aliis tradita continebit [a]; alia *vero* ita multis prodita, ut in faſtidium ſint adducta [b]. *Si autem quid mihi propoſuerim, quid praeſtiterim non gravate advertas, locum aliquem inter*

§ *Prae-*

a. Quinctil. Inſt. Orat. lib. 3. cap. 1. b. Plin. praef. Nat. Hiſt.

Praeceptores poſt tantos praeceptivos eloquentiae Patres & mihi te conceſſurum ſperare videor. Cum enim ita multi & Graeci, & Latini, aliarumque gentium homines de eloquentia praeclara ſcripſerint praecepta, eorum autem alii diſerte quidem, ingenioſe, & cumulate, ſed paullo ea uberius complexi ſint, & in ipſa copia praceptionum ſuarum exempla in ſcholarum uſum neceſſaria omiſerint, alii peculiares tantum, non univerſas dicendi partes attigerint, cum denique tot praeclara conſecutis aetatibus ſummis ingeniis cogitata, & conſtituta ſint, vetuſta enim pleraque rudiora ſunt novis [a], *quod jure quidem de veteribus Majores, de Majoribus nos, de nobis poſteri noſtri affirmabunt, nova enim in dies prodit aetas, qui ex omnibus his praecipua eloquentiae capita tibi ſelegerit, qui non pauca aut addiderit, aut certe illuſtraverit, ei gratiam aliquam ſperare licere illiberale minime*

a. Ariſt. Polit. l. 2. c. 8. ex interpr. Leonardi Aretini.

me videatur. Quoniam vero ut ſe commendent & vere doceant, praecipienda ſunt optima[a], *& ipſa* praecepta feminis modo ſpargenda ſunt[b], *haec ipſa omnia praecipua dicendi capita ex optimo quoque Doctore operoſe collegi, atque ea ubi expedire intellexi, non meis quidem, ſed ſingularium illorum Praeceptorum verbis tibi exhibui, non modo ut teſtarer quorum ope adjutus ſum*, eſt enim benignum, & plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris[c], *ſed ut illud ipſum tibi eruditioni atque adjumento foret, ut altius inſtitutiones claris nominibus commendatas ſuſpiceres ac teneres. Ea etiam, quae in praeceptorum exempla advocantur curavi ut eſſent non modo fere ſemper ex aurea Latinorum Graecorumque aetate, ſed ut praeclarum ſcientiae, eruditioniſque caput, & omnium maxime ut aliquod incorruptae pietatis monitum continerent, ut uni incumbens*

§ 2 *plu-*

a. Quinct. l. 1 c. 2. b Sen. ep. 38. c. Plin. praef. Nat. Hiſt.

plura addiſceres, & plura agere conſtitueres, dum egregia illa conſpecta mirabiles amores excitent ſapientiae atque honeſtatis [a]; *tuque hoc pacto bene dicere ac bene vivere a teneris annis aſſueſcas, & mature aſſuefactus perpetuo retineas, nos vero parti noſtrae mature ſatisfeciſſe vere gloriemur, ac tibi Praeceptores a Parentibus quaeſitos, ut* ille Phoenix apud Homerum, qui ſe a Peleo Patre Achilli juveni comitem eſſe datum dicit ad bellum, ut illum efficeret Oratorem verborum, actoremque rerum [b]. *Equidem non pauca exempla, quae eloquentiam ſimul & probitatem traderent, de induſtria adduxi ex Scholis Piis Inſtitutor ad ſcientiam, & pietatem inſtillandam vocatus, tu ea libens excipe, expende, imbibe, ſequere. Eam ipſam ob cauſſam beneficium ſane maximum exiſtima, cum Praeceptores tui te aut ex his Inſtitutionum exemplis, aut altioribus e fontibus repetitis, inſigni*

a. Cic. 1. Offic. c. 5. & Plato in Phedro. b. Cic. 3. de Orat. c. 15. locus Homer. eſt 10. Iliad.

ſigni etiam ſanctiſsimi alicujus viri facto, dicto, aut ſenſu commemorato, accuratiuſque commendato ad vitae ſanctimoniam brevi ſubinde excurſu, & cobortatione inflammabunt.

Pari intelligentis, gratique animi ſignificatione facies, ut ad praecepta audienda, atque addiſcenda bonam in ſcholas indolem afferas, Praeceptorumque animum, atque officium percipias, & ſequaris virtutis indole incitatus, non verberibus prope ducendus. Timidum animamus, difficultates horrentem confidere cobortamur, ſatis ad ſapientiam inflammato viam commonſtrantes expeditiorem facimus, eum ſcribere, & dicere jubemus, quae aliquo pacto digna ſint commendamus eo tempore, quo praecipue alenda ingenia, atque indulgentia quadam nutrienda ſunt [a], *ut liberali Adoleſcenti ſtudium atque eloquentia* luſus ſit, etiam rogetur, & laudetur, & nonnumquam ſciſſe ſe gaudeat, aliquando ipſo nolente doceatur alius

 cui

a. Quinctil. prooem. lib. 8.

cui invideat, contendat interim, & ſaepius vincere ſe putet [a]. *Idcirco etiam ſedulam operam navanti quae multo fuiſſent meliora ſignificamus, iterum poſt eam lucem interdum incudi reddere, & perficere praeſcribimus, cum iis quae ſimili quaſi in re immortales doctrinae viri reliquerunt conferre atque expendere docemus, ut quae dici, quae addi, quae ampliari, quae adſtringi, quae cogitari, quae animadverti, quae excitari ornarique debuere Adoleſcens intueatur & ſentiat: ita ſui aliquid cum optimis convenire praegeſtiat, rudia perpolire, & imperfecta corrigere ultro cupiat nullo dolore, incredibili fructu: quae cum laude ſcripſerit per ſuas cauſſas oſtendere ex iis, quae in praeceptis tradendis, interpretandiſque Scriptorum monumentis ipſi fecimus ceteris audientibus jubemus: deinde nos quid melius, quid optimum fuiſſet, quemadmodum etiam ei quid malum, quid humile, quid frigidum, quid tumidum,*

a. Qunctil. lib. 1. c. 2.

dum, denique quid vitioſum copioſius ac pleniori magiſterio aperimus, Adoleſcens enim audire debet non tantum quid ſibi praecipiatur, ſed etiam quare[a]. *Haec ipſa non ſemel vel oblata, vel quaeſita occaſione rurſum commemoramus, nam* ne primae quidem memoriae temere credendum, repetere & diu inculcare fuerit utilius[b]. *Idem in Scriptorum interpretatione facimus, ut ſummo Doctori Quinctiliano viſum eſt*, nam mihi, *inquit*, cum facilius, tum etiam multo videtur magis utile, facto ſilentio, unum aliquem, quod ipſum imperari per vices optimum eſt, conſtituere lectorem, ut quod in inventione, quodque in elocutione annotandum erit, quae conciliandi Judicis ratio, quae narrandi lux, brevitas, fides, quod conſilium, quam occulta calliditas, quanta in dividendo prudentia quam ſubtilis, & crebra argumentatio, quibus viribus inſpiret, quanta jucunditate

§ 4 per-

a. Sen. epiſt. 94. b. Quinctil. lib. 1. cap. 2.

permulceat, quanta in maledictis aſperitas, in jocis urbanitas, ut dominetur in affectibus, atque in pectora irrumpat, quod verbum proprium, ornatum, ſublime, ubi amplificatio laudanda, quae lenis & quadrata, ſed virilis compoſitio verborum[a]. *Tu itaque facies, ut quo haec conſilio fiant intelligas, excipias, promoveas, quantum in te eſt.*

Nec Praeceptorum in certos Adoleſcentes ſtudia eſſe arbitreris, ſed miniſterii conditionem, & docendorum cum multis puerorum indolem, ſi alios alio pacto inſtituant atque tractent. Etenim ad pietatem, & ad ſcientiam alius laude, alius virtutis dignitate, alius objurgatione, alter non niſi flagris & poenis adducitur. Sunt enim quidam niſi inſtiteris remiſſi, quidam imperia indignantur, quoſdam continet metus, quoſdam debilitat, alios continuatio extundit, in aliis plus impetus facit[b]. *Quamobrem* diligentiſſime hoc eſt eis, qui inſti-

a. Quinctil. Inſtit. Orat. l. 2. c. 5. b. Id. l. 1. cap. 4.

inſtituunt aliquos atque erudiunt videndum quo ſua quemque natura maxime ferre videatur; cujus eſt vel maxime inſigne illud, ut ceteras artes omittamus, quod dicebat Iſocrates Doctor ſingularis, ſe calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis * uti ſolere; alterum enim exultantem verborum audacia reprimebat, alterum cunctantem, & quaſi verecundantem incitabat[a]. *Pro Adoleſcentium ergo indole Adoleſcentes ducimus. Ex naturae ac miniſterii ingenio habemus quod clementes ſumus, ex aliorum ſocordia & ſcelere quod ſeveri, & utriſque in tempore ſcias nos uti velle. Via certe ſatis eſt una, quae nos ducat quo contendimus: tu liberalem ama. At, ut ruditatem toleramus; inſcitiam docemus, doctrinamque tradimus, ita deſidiam plectimus, auda-*

* Frenum ſine diphthongo ſcribendum ex vet. codic. confirmat Manut. in Orthogr. a. Cic. 3. de Orat. cap. 9 idemque repetit in Oratore cap. 55. quod ipſum dixit Plato de Ariſtotele & Zenocrate, Ariſtoteles de Theophraſto & Calliſthene, ut auctor eſt Laert. in Theophraſto.

audaciam vero, & impietatem nedum repreſſam, ſed propulſatam profligatamque volumus. *Utinam certe* mihi ille detur puer, quem laus excitet, quem gloria juvet, qui victus fleat[a], *ut qua jubemur lenitate & manſuetudine doceamus* *. *Si qui vero ſapientiae amplitudinem nec aeſtiment, nec quaerant, cum iis ita clementiam temperamus, ut pernicioſa indulgentia ad improbe agendum nullum aditum permittamus*, ne ignoſcendo malis bonos perditum eamus[b]: quis enim ignorat maximam illecebram eſſe peccandi impunitatis ſpem[c]?

Haec habui, quae te admonerem, ut Scholarum Piarum auditor rerum omnium caput pietatem intelligas, eam multo ſane diligentiſſime perſequaris, ut ſanctimoniae ac ſcientiae ex ejus dignitate, laude, ac praemio aeſtimator, amans, quaeſitor aut accedas, aut evadas. Ut ex his meis Inſti-

a. Quinctil. lib. 1 cap. 4. * *Inſtruite*, ait Apoſtolus ad Galatas c. 6. v. 1. *in ſpiritu lenitatis*. b. Sall. Bell. Jugurt. c. Cic. pro Mil. c. 6.

Inſtitutionibus proficias id modo efſice. Summa ope nitere, ut eas plane aſſequaris, teneas, diſcendo tuas feceris, & in tua prope converteris, nec admodum labora, ut alias nunc perluſtres: non raro id faſtidientis, non diſcentis eſt. Cum plane tenueris, praeclaros eos Patres, unde accepta ſunt, diu multumque dicentes potiſſimum lege, in iis eam vim percipies, quam plane habent integra, atque in fonte, non adſtricta, ut praecipienti neceſſe fuit, ne eſſem longior; multa tum addes. Quod in praeſentia reliquum eſt, rogo te, malorum tu maximum inſcitiam, ſuppliciumque acerbiſſimum a ſtudiis probiberi exiſtima. Praeceptores tuos dilige, ac venerare, ut apud cultos mortales omnes factum eſſe ac fieri accepimus; nihil enim, *ut Attica Muſa ait Xenophon*, neque pueri, neque viri ita ut ſuos Magiſtros vereri ſolent[a]. *Eorum certe cura Civitatum eſt beneficium*,

a. Xenoph. de Rep. Lacedaem. ex interpr. Franciſci Philelphi.

ficium, familiarum ornamentum, Parentum gaudium, Juventutis ſalus. Sapientiam itaque dilige, quaere, & qua tibi offertur, aetatis contentioniſque nervis omnibus compara, & perfice ut ſempiterno haec ſint adjumento & iis, qui ad univerſorum utilitatem inſtituunt multos, & iis, qui ſcientiam addiſcentes minori labore, pari fructu in una virtute conquieſcunt.

IN-

INDEX CAPITUM.

Ut quiſque deſideraverit aliquid, id tantum quaerat, & ſciat quo loco inveniat.

Plin. praef. Nat. Hiſt.

LIBRI PRIMI.

CApput I. *Rhetoricae ſumma.* pag. 1.
Cap. II. *Quid ſit Rhetorica: ejus genera: initium: incrementum: corruptelae: inſtauratio: alia aliorum via.* 21.
Cap. III. *Veteres Graeci ac Latini principes Oratores in certas aetates diſtributi, eorumque laus.* 24.
Cap. IV. *Veteres Graeci ac Latini principes eloquentiae Praeceptores in ſuas aetates diſtributi: eorumque meritâ.* 30.
Cap. V. *Quantae utilitati omni aetate Civitatibus fuerit eloquentia.* 33.
Cap. VI. *Quanto in honore apud omnes mortales fuerit eloquentia.* 35.
Cap. VII. *Rhetoricae officium, ac finis: alia alii Scriptori ad illud via.* 36.
Cap. VIII. *Rhetoricae materia omnia praeclara ſtudia: ab ea abſunt inania, & perniicioſa argumenta.* 38.

Cap. IX.

Cap. IX. *Ad Rhetoricam idonea ingenia, & certa quaedam eorum indicia.* 40.

Cap. X. *Artis natura: genera: & officia.* 43.

Cap. XI. *De imitatione: ejuſque utilitate.* 44.

Cap. XII. *Quo pacto aliena ita imiteris, ut aemulari id ſit, aut perficere, non tranſcribere, aut ſuffurari.* 46.

Cap. XIII. *Scriptorum cum fructu legendorum brevis ratio.* 49.

Cap. XIV. *Exercitatio: ejus utilitas: & ratio.* 52.

Cap. XV. *Narratio: ejus genera: virtutes: ſingulorumque exempla.* 53.

Cap. XVI. *Fabula: ejus utilitas: partes: atque artificium.* 61.

Cap. XVII. *Chria: ejus genera: utilitas: artificium.* 64.

Cap. XVIII. *Chriarum argumenta.* 65.

Cap. XIX *Oratoris probitas, prudentia, in cauſſam ardor quanta, & quae efficiat.* 67.

Cap. XX. *Quinque eſſe Rhetoricae partes.* 69.

LIBRI SECUNDI.

Cap. I. *Quid ſit eloquentiae pulchritudo: quot ejus genera: quid perfectio.* 70.

Cap. II.

Cap. II. *Orationis puritas: munditia: elegantia: ornatus: ſplendor: eorumque dignitas.* 74.

Cap. III. *Orationis facilitas: perſpicuitas: evidentia: in iiſque obſervationes.* 78.

Cap. IV. *Orationis veritas: robur: denſitas: granditas: maturitas: in iiſque advertenda.* 82.

Cap. V. *Orationis amplitudo, & brevitas: earum dignitas: & locus: ubi etiam aliquid de obſcuritate.* 87.

Cap. VI. *Orationis venuſtas: ſuavitas: aſperitas: earum dignitas: locus, & cautiones.* 92.

Cap. VII. *Orationis ſubtilitas: acumen: ſpiritus: vehementia: abſtracta: ſingulorum locus, & canones.* 96.

Cap. VIII. *Ingenioſa dicta: ſententiae: cogitata: animadverſa: eorumque praeſtantia.* 100.

Cap. IX. *Inopinatum: novum: mirabile: eorum dignitas: & monita.* 105.

Cap. X. *Deſcriptionum, ac digreſſionum praeſtantia, & cautiones.* 109.

Cap. XI. *Eruditae orationis fontes, & monita.* 114.

Cap. XII. *Varietas orationis: ejus praeſtantia: quae ea ſpectet: ut variandi rationes.* 116.

Cap. XIII.

Cap. XIII. *Ante ſcribendum effingenda eſt in animo ſcribendorum veluti pictura, ut aptiſſime deinde omnia dicantur.* 120.
Cap. XIV. *Perficienda eſt rerum natura: quibus in rebus: & quo pacto Oratori, Poetae, Hiſtorico.* 122.
Cap. XV. *Imagines: earum genera: pulchritudo: & quae Oratori, ac Hiſtorico conveniant.* 125.
Cap. XVI. *Minutarum rerum tractatio: ejus genera, & dignitas.* 128.
Cap. XVII. *Quid ſit phantaſia: quid ejus impetus: quorumque Scriptorum propria.* 130.
Cap. XVIII. *Urbanitas: joci: ridicula: eorum cauſa: utilitas: & cautiones.* 133.
Cap. XIX. *Decorum: ejus dignitas: principes partes, in quibus conſpicitur: ac delicata oratio.* 136.
Cap. XX. *Periodus: ejus partes: uſus, atque utilitas.* 139.
Cap. XXI. *Numeri oratorii natura: origo cauſſa: utilitas: uſus: is varius pro varietate argumenti.* 141.
Cap. XXII. *Stilus: ejus genera: ſingulorum natura: inſtrumenta: exempla: locus.* 145.
Cap. XXIII. *Praecipua inter ſtilum oratorium, hiſtoricum, ac poeticum diſcrimina.* 151.

Cap. XXIV.

Cap. XXIV. *Diſtinguendae orationis ratio per epitheta, & quae ea eſſe debeant.* 155.
Cap. XXV. *Ordo: ejus dignitas: officia: & an alia eloquentiae ſpecies prae alia praeſtet.* 158.
Cap. XXVI. *Inſignia orationis vitia.* 160.

LIBRI TERTII.

Cap. I. *Quid ſint motus: unde excitandi ſint: quot eorum genera: quanta utilitas.* 163.
Cap. II. *Permotionum loci peculiares, ac ſtilus: excitandoſque ante in ſe ſcribenti eſſe, ut in alios derivet.* 168.
Cap. III. *Amor: ejus cauſſae: effecta: mores: notae: oratio.* 172.
Cap. IV. *Alii motus, qui in amorem referuntur.* 178.
Cap. V. *Odium: ejus cauſſae: mores: notae: oratio.* 181.
Cap. VI. *Motus ex odio profecti.* 185.
Cap. VII. *Deſiderium: ejus cauſſae: indoles: notae: oratio.* 190.
Cap. VIII. *Motus ad deſiderium pertinentes.* 192.
Cap. IX. *Horror: horroris cauſſae: indoles: ſigna: oratio.* 197.

§§ Cap. X.

Cap. X. *Alii motus, qui ad horrorem pertinent.* 198.
Cap. XI. *De gaudio, ac laetitia: eorumque cauſſis, & moribus.* 201.
Cap. XII. *Maeroris natura: cauſſae: levamenta: notae: oratio.* 203.
Cap. XIII. *Motus in maerorem rejecti.* 206.
Cap. XIV. *Irae natura: cauſſae: remedia mores: ſigna: oratio.* 208.
Cap. XV. *Indignatio, & furor: eorumque propria.* 212.
Cap. XVI. *Miſericordia: ejus cauſſae: mores: notae: atque oratio.* 214.
Cap. XVII. *Affectiones in miſericordiam rejectae.* 216.
Cap. XVIII. *Spei cauſſae: mores: ſigna: oratio.* 218.
Cap. XIX. *Alii motus ex ſpe profecti.* 220.
Cap. XX. *Deſperationis natura, & remedia.* 223.
Cap. XXI. *Metus: ejus cauſſae: lenimenta: ingenium: notae: oratio.* 225.
Cap. XXII. *Mores: ii notati quantae utilitatis ſint: quae in iis exprimendis ſpectari oporteat.* 227.
Cap. XXIII. *Mores hominum ex aetatis indole ingenerati.* 230.
Cap. XXIV. *Mores hominum ex vitae, & actionum genere.* 234.

Cap. XXV.

Cap. XXV. *Mores variarum gentium ex regionum indole.* 239.

LIBRI QUARTI.

Cap. I. *Dialecticae neceſſitas ad oratoriam ratiocinationem.* 243.

Cap. II. *Argumentum: ejus artificium: ea ad Rhetoricam pertinere.* 245.

Cap. III. *Argumentatio: ejus genera: & quae ſint maxime Oratori propria.* 247.

Cap. IV. *Quid ſit verum: veriſimile: probabile: falſum: quibus nitatur oratio: a quibus abhorreat.* 253.

Cap. V. *In quo conveniant, & in quo differant Rhetoricae, aliarumque diſciplinarum argumentationes.* 258.

Cap. VI. *Quo pacto argumentationes ſuas proponat, ac variet Orator.* 259.

Cap. VII. *Quo pacto probationes etiam ſubtiles, & ingenioſae fiant populares, & a dialecticis differant.* 263.

LIBRI QUINTI.

Cap. I. *Quid ſit inventio: & quanti momenti.* 266.

Cap. II. *Quid ſint loci oratorii: quotque eorum genera.* 267.

§ § 2 Cap. III.

Cap. III. *Praeclarae diſciplinae princeps eloquentiae fons, & quo pacto eas in oratione ineſſe oporteat.* 268.
Cap. IV. *Ceteros locos in principes diſciplinas referri: breviſque earum ſignificatio.* 269.
Cap. V. *Loci interni: in iiſque monita.* 275.
Cap. VI. *Loci interni: in iiſque adverenda.* 290.
Cap. VII. *Hiſtoriae amplitudo: utilitas: quaedam monita: ejuſque ratio afferendae.* 295

LIBRI SEXTI:

Cap. I. *Quid ſit amplificatio: quot ejus genera, & quanta utilitas.* 298.
Cap. II *Quibus rebus inniti debeat amplificatio: quibus immorari: ubi locum habeat praecipuum.* 300.
Cap. III. *Amplificatio vim, motus, atque evidentiam promovet.* 302.
Cap. IV. *Amplificationis verborum fontes.* 306.
Cap. V. *Amplificationis rerum fontes praecipui.* 310.
Cap. VI. *De adſtringendo in ſummam ſermone; ac de extenuatione.* 320.

LIBRI SEPTIMI.

Cap. I. *Quid ſit diſpoſitio: quanto ad eloquentiam adjumento: & quas partes ordinet.* 323.
Cap. II. *Collocandorum verborum praecipuae rationes.* 324.
Cap. III. *Argumentorum diſpoſitio quae optima: itemque praecipuarum orationis partium.* 326.
Cap. IV. *Quid ſit oratio: & quae ejus partes.* 328.
Cap. V. *Exordiorum natura: genera: officia: & quae in iis praeſtanda.* 329.
Cap. VI. *Exordiorum fontes apud veteres, atque apud nos.* 331.
Cap. VII. *Exordiorum forma, & ſtilus.* 335.
Cap. VIII. *Exordiorum virtutes, & vitia.* 338.
Cap. IX. *Propoſitio: ejus conditiones: alia in ea advertenda.* 339.
Cap. X. *Partitio: ejus utilitas, & conditiones.* 341.
Cap. XI. *In cauſſam egreſſio: ejuſque aliquae rationes.* 343.
Cap. XII. *Narrationis diſcrimen in diverſo rerum genere.* 344.

Cap. XIII.

Cap. XIII. *Confirmatio: ejus utilitas: aliqua monita.* 346.
Cap. XIV. *Confutatio: ejus neceſſitas; officia: variae refutandi rationes.* 348.

LIBRI OCTAVI.

Cap. I. *Quid ſit elocutio: quantae utilitatis: & quam eſſe deceat.* 353.
Cap. II. *Latini ſermonis genera: aetates: vis: ortus: interitus: inſtauratio.* 355.
Cap. III. *Verborum delectus: ejus vis: & ad varias res varietas.* 359.
Cap. IV. *An liceat fingere nova verba; & quae in iis adhibendae cautiones.* 362.
Cap. V. *Tropi: eorum genera: utilitas, & pulchritudo.* 364.
Cap. VI. *Tropi verborum: eorum pulchritudo, & monita.* 366.
Cap. VII. *Tropi ſententiarum: eorum dignitas: in iiſque monita.* 373.
Cap. VIII. *Figurae: earum genera: dignitas: vis: cauſſae.* 377.
Cap. IX. *Figurae verborum: in iiſque monita.* 379.
Cap. X. *Figurae ſententiarum: in iiſque animadverſa.* 389.

L I-

LIBRI NONI.

Cap. I. *Cauſſarum genera; quid ſingula ſibi inſtituant: & quae Orationes ad ſingula referantur.* 409.

Cap. II. *Quaeſtio, & ſtatus rerum: eorumque genera.* 411.

Cap. III. *Orationum ad exornationem pertinentium natura: propriae aliquae leges: exempla.* 413.

Cap. IV. *Orationes ad genus deliberativum pertinentes.* 416.

Cap. V. *Orationes in genus judiciale rejectae.* 433.

Cap. VI. *Variorum Carminum genera: materia: aliae leges.* 437.

Cap. VII. *Concipiendae orationis, ſilvae rerum parandae, propriaeque ſcriptionis examinandae brevis forma.* 453.

Cap. VIII. *Memoriae, pronunciationis, atque actionis utilitas, & adjumenta.* 456.

RHE-

RHETORICARUM INSTITUTIONUM

LIBER PRIMUS:

Qui Rhetoricae ſummam, indolem, officia, exercitationiſque initia complectitur.

Pudeatne me in ipſis ſtatim elementis etiam brevia docendi monſtrare compendia?
Quinctil. Inſtit. Orat. l. 1. c. 2.

RHETORICAE SUMMA.

C A P. I.

1. RHetorica eſt ars dicendi: ejus *officium dicere appoſite ad perſuaſionem* [a], ſeu docere, delectare, ac permovere: finis ipſa perſuaſio, aut ad perſuadendum vis: materia res omnes, de quibus dici poteſt: partes vero inventio, diſpoſitio, elocutio, memoria, & pronunciatio.

a. Cic. 1. Inv. Rhet. cap. 5.

2. Periodus eſt juſtis finibus concluſa, juſtiſque ſpatiis producta & ampliata oratio: ejus partes inciſa, & membra; inciſum eſt imperfecta ſententia perficienda reliquis: membra ſunt perfecta quidem ſententia, non autem omnino, concludenda periodo: ubi oratio aut paullulum, aut omnino quieſcit breviori praecedente definit commode in longiorem. Eorum eſto exemplum hoc Cic. pro Arch. c. 6. * *Niſi multorum praeceptis* ** *mihi ab adoleſcentia ſuaſiſſem, nihil eſſe in vita magnopere expetendum, niſi laudem atque honeſtatem; in ea autem perſequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis, atque exilii parvi eſſe ducenda; numquam* *** *me*

* Nec Cicero, nec Caeſar, nec Nepos, nec Salluſtius, nec ferme alii veteres Scriptores in capita libros diſtribuerunt; quoniam vero hanc partitionem in probatiſſimis Scriptoribus ſolertes viri induxerunt ad commoditatem eorum, qui illarum editionum libros habeant, & conferre velint, ita diſtributos eos afferam.

** Diphthongos omnes integras ſcribendas eſſe ipſarum natura & vis poſtulat; *diphthongus enim*, ut vere inquit Aldus de vitiata vocalium ac Diphthongorum prolat; *dicitur quod duos ſonos habeat*, ſive ut Terentian. apud eumdem Aldum, quod *duae* (vocales) *junctae ſimul ſillabam ſonant in unam, vique gemina praeditae*. Quare ut integras *au*, *eu*, & *ei* pronunciamus & ſcribimus, ita *ae*, & *oe* integras item proferre & ſcribere oporteret; alioquin ut perperam ac barbare nunc legimus, perperam ac barbare ſcribes, ac *non diphthongos, ſed monophthongos pronunciando facies*, ut idem Aldus affirmat. Integras tamen ſcribo, non ut integras pronuncies, ſequere enim ſapientum uſum, ſed ut integras pronunciatas & ſcriptas ſcias, ac ſcientiam tibi reſerva.

*** *Numquam, quamquam, tamquam*, ac ſimiles voces cum *m* ſcribo cum Aldo, pariſque antiquae eruditionis viris, facile manus daturus diſſentienti, ac vera monſtranti, cum nemine pugnaturus.

me pro ſalute veſtra in profligatorum hominum quotidianos impetus objeciſſem.

3. Amplificatio verborum eſt copioſior rei explicatio; eamque epitheta, atque ampliores figurae maxime conciliant; rerum vero eſt multarum, magnarumque rationum quaſi acervatio; & rerum enumeratione, ac permotionum vi potiſsimum comparatur. Exemplum habe hoc Virg. 3. Georg. v. 66. *Optima quaeque dies miſeris mortalibus aevi Prima fugit, ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus, Et labor, & durae rapit inclementia mortis*.

4. Elocutio eſt cogitatarum rerum idoneis verbis ac ſententiis expoſitio.

5. Tropus eſt *verbi, vel ſermonis a propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio* a. Alii verborum, alii ſententiarum.

Metaphora eſt ex alio ad aliud translata vox. Caeſ. Bel. Gal. lib. 6. cap. 34. *Providebatur, ne noceretur, etſi omnium animi ad ulciſcendum ardebant*.

Synecdoche eſt tropus, qui rem ponit pro re ei maxime affine, & conjuncta. Cic. 3. Ver. ** c. 10. *Veniat, experiatur; tecto recipiet nemo*.

Metonymia cauſſas pro effectibus ponit, aut effectus pro cauſsis. Catul. carm. 63. v. 15. * *Amat victoria curam*. h. e. vigilias, ac labores curae effectus.

Antonomaſia inſigne rei, aut hominis ponit

a. Quinctil. Inſt. Orat. l. 8. c. 6.

* Catullum affero ex Aldi editione a Mureto illuſtratum; nam aliis hoc ſive epigramma, ſive carmen eſt 61. aliis 58.

** Tertiam Verrinam illam nuncupo, quae eſt ſecunda poſt eam, quae *Divinatio* dicitur: alii primam vocant eam, quam tertiam dixi, quod in ea Verrem accuſare ceperit.

nit pro rei aut hominis nomine. Liv. l. 1. * c. ult. *Liberatorem Urbis* (Brutum) *laeta caſtra accepere*.

6. Allegoria eſt continuata tranſlatio, quae aliud dicit aliud intelligit. Curt. lib. *6.* c. 4. *Parva ſaepe ſcintilla contempta* ** *magnum excitavit incendium*.

Hyperbole rem ſupra veritatem vel auget vel minuit. Virg. 8. Aen. v. 223. *Fugit ocyor Euro*.

Ironia contrarium intelligit atque dicit, aut irridet quod vere dicit. Turnus belli cupidus 11. Aen. v. 460. *Cogite concilium, & pacem laudate ſedentes*.

Periphraſis pluribus dicit quod paucioribus dici potuit. Virg. ecl. 3. v. 40. *Quis fuit alter? Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem*. h. e. Archimedes.

7. Figura eſt ornatior dicendi forma a communi uſu paullum remota. Aliae ex verbis, aliae ex ſententia ſuam habent dignitatem.

Repetitio figura eſt, quae repetit eamdem vo-

* Livius, ut Cl. viri Franciſcus Petrarcha epiſt. ad Jo. Certaldenſem, & Carolus Sigonius Schol. in Liv. adverterunt, tantummodo in libros opus ſuum diſtribuit; in decades vero Grammatici quidam rotunda illa CXL. librorum partitione adducti invexerunt; quare libros, non decades nominabo.

** Emtus, coemtus, redemtus, contemtus, promtus, ſumtus, ut emtor, redemtor, contemtor, ſumſi, contemſi, ac ſimiles voces ſine *p* ſcribi oportere erudite monet Lambin. praef. in Hor. ex Mario Victorino veteri & gravi Grammatico; quod littera illa *p* non eſt in emo, ſumo, contemno, nec ex alia in eam mutata, ut in ſcribo, ſculpo, nec ſupinorum, aut participiorum propria; imperitorum ergo arbitrio obtruſa.

vocem ſententiarum initio. Ovid. 1. Triſt. eleg. 1. v. 42. *Me mare, me venti, me fera jactat hiems*.

Conduplicatio eamdem vocem ad vim aut permotionem geminat. Virg. 3 Geor. v. 284. *Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus*.

Traductio eadem verba geminat immutato aut genere aut caſu. Sen. epiſt. 103. *Ab homine homini quotidianum periculum*.

Adjunctio ad idem verbum refert plura incisa. Virg. ecl. 1. v. 34. *Ipſae te Tityre, pinus, Ipſi te fontes, ipſa haec arbuſta vocabant*.

Disjunctio ſingulas ſententias ſuo claudit verbo. Hor. l. 3. od. 24. v. 32. *Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quaerimus invidi*.

Synonymia plura, quae idem ferme ſignificant, conjungit, ut rem explicet atque augeat. Cic. pro Mil. c. 37. *Haec tanta virtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? projicietur**?

Gradatio ex re ad rem progrediens ſuperiorem vocem aliquam repetit. Cic. Att. l. 2. ep. 23. *Si ſtas ingredere, ſi ingrederis curre, ſi curris advola*.

Incrementum exornando augendoque orationem evehit. Cic. 1. Cat. c. 5. *Intus inſidiae ſunt, intus incluſum periculum eſt, intus eſt hoſtis*.

Compar fere pari numero ſillabarum orationis membra diſtinguit. Nep. in Datame. c. 7. *Qui, cum cogitaſſet, facere auderet; & prius cogitare, quam conari conſueſſet*.

A 3 Si-

* Ita ex vet. lib. legit Lambinus, quod vulgati eiicietur.

Similiter deſinens aut voce, aut exitu ſimili orationis membra concludit. Cic. 3. Verr. c. 11. *Semper ita vivamus, ut rationem reddendam nobis arbitremur*.

8. Antitheſis contrariis contraria concinnat. Thucyd. Hiſt. lib. 1. *Ubi minimum turpitudinis, ibi utilitatis eſt plurimum* *.

Apoſtrophe ſermonem aut exemplo ad aliquem, aut ab eo, quicum loquebatur, ad alium convertit. Virg 6. Aen. v. 882. *Heu miſerande puer, ſi qua fata aſpera rumpas, Tu Marcellus eris, manibus date lilia plenis*.

Charientiſmus eſt cum ſingulari amoenitate, & gratia facetus ſermo. Cic. 2. Agr. c. 22. *Adoleſcens non minus bene nummatus, quam bene capillatus*.

Comminatio grave incommodum intentat, ut ab incepto deterreat. Mart. lib. 5. epig. 33. *Carpere Cauſſidicus fertur mea carmina, qui ſit Neſcio; ſi ſciero, veh tibi Cauſſidice*.

Communicatio audientes ipſos conſulit quid faciendum fuerit, aut ſit. Virg. ecl. 1. v. 41. *Quid facerem? neque ſervitio me exire licebat, Nec tam praeſentes alibi cognoſcere Divos*.

Conceſſio minus quiddam veluti donat, ut gravius inſiſtat. Catul. epigr. 78. *Difficile eſt longum ſubito deponere amorem: Difficile eſt; verum hoc qua lubet efficias*.

Conqueſtio alienam improbitatem incuſat, atque exprobat. Virg. 1. Aen. v. 543. *Quaeve hunc tam barbara morem permittit patria? hoſpitio prohibemur arenae*.

Correctio aut verbum, aut ſententiam ſuperiorem corrigit, ut acrius contendat. Cic. 2. Phil.

* Ex interpr. Jo. Caſae.

Phil. c. 14. *Felix fuit, ſi poteſt ulla eſſe in ſcelere felicitas.*

Deprecatio alienam opem ad ſui praeſidium implorat. Virg. Aen. v. 689. *Iupiter omnipotens, precibus ſi flecteris ullis, Aſpice nos, hoc tantum.*

Diſtributio rem in principes partes dividit. Sall. Con. Cat. c. 2. *Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti omnia parent.*

Dubitatio quid, aut quo pacto dicat ſe ambigere ſimulat. Ov. 4. Pont. el. 4. v. 1. *Conquerar, an taceam? ponam ſine nomine crimen? An notum qui ſit omnibus eſſe velim?*

Emphaſis vehementiſſimis verbis plura complectitur, quam exponit. Hor. l. 3. od. 3. *Juſtum, & tenacem propoſiti virum, Si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinae.*

Epiphonema eſt ad rem narratam, aut ſtatim narrandam ſumma acclamatio. Liv. l. 21. c. 1. *Adeo varia belli fortuna, ancepſque Mars fuit, ut propius periculo fuerint qui vicere.*

Ethopoeja eſt accurata morum deſcriptio. Liv. l. 1. c. 10. de Romulo. *Ipſe cum factis vir magnificus, tum factorum oſtentator haud minor.*

Exclamatio ad animi permotionem, aut rei magnitudinem ſignificandam exclamat. Cic. 2. Phil. c. 25. *Quam miſerum eſt id negare non poſſe, quod ſit turpiſſimum confiteri!*

Execratio ex aliena aut turpitudine, aut improbitate, rem aut hominem deteſtatur. Hor l. 3. od. 1. *Odi profanum vulgus, & arceo.*

Hypotypoſis eſt rei ob oculos poſitio. Virg. 5. Aen. v. 147. de aurigis. *Pronique in verbera pendent.*

Imprecatio malum alicui precatur ex eius ſcelere adducta. Ovid. 2. Heroid. verſ. 85. *Exitus acta probat: careat ſucceſſibus opto, Quiſquis ab eventu facta notanda putat.*

Interpretatio alienum dictum, aut factum fere irridens exponit. Claud. 3. in Ruf. v. 22. *Tolluntur in altum, Ut lapſu graviore ruant.*

Interrogatio interdum ut intelligat, plerumque ut urgeat percontatur. Ov. 2. Am. el. 2. v. 28. *Quis minor eſt, quam tacuiſse labor?*

Occupatio quod objici potuit praevenit, ac refutat. Tibul. l. 1. el. 10. v. 23. *Nec tibi celandi ſpes ſit peccare paranti; Eſt Deus, occultos qui vetat eſſe dolos.*

Optatio bonum alicui ex animi ſui, aut ex accepti beneficii magnitudine ominatur. Ovid. 4. Triſt. eleg. 5. v. 25. *Sic tua proceſſus habeat fortuna perennes: Sic ope non egeas ipſe, juveſque tuos.*

Praeteritio ſe omittere ſimulat quod tum maxime dicit. Sal. Con. Cat. c. 13. *Quid commemorem a privatis compluribus ſubverſos montes, maria conſtructa eſſe?*

Proſopopoeja alios loquentes inducit. Sic Caeſarem Virg. ecl. 5. v. 42. *Et tumulum facite, & tumulo ſuperaddite carmen: Daphnis ego in ſilvis hinc uſque ad ſidera notus.*

Reticentia inchoatum ſermonem intercipit. Ter. And. act. 1. ſc. 1. *Quem quidem ego ſi ſenſero: ſed quid opus eſt verbis?*

Sarcaſmus eſt acerba & hoſtilis irriſio. Aeneas dejecto ex equo hoſti 10. Aen. v. 897. *Ubi nunc Mezentius acer, & illa Effera vis animi?*

Ser-

Sermocinatio eſt mutua plurium collocutio. Ter. Eun. act. 2. ſc. 1. Phaedria. *Fac ita ut juſſi*. Parmeno. *Faciam*. Ph. *At diligenter*. Pa. *Fiet*. Ph. *At mature*. Pa. *Fiet*.

Subjectio ſaepius interrogans ad interrogata acute reſpondet. Cic. pro leg. Man. c. 21. de Pompejo. *Quid tam novum, quam adoleſcentulum privatum exercitum conficere? confecit: huic praeeſſe? praefuit: rem optime ductu ſuo gerere? geſſit*.

Suſtentatio ſuſpenſum aliquandiu tenet audientem, ut aliquid praeter ejus opinionem afferat. Cic. pro Caec. c. 13. *Num propinquus? nihil alienius: amicus a patre traditus? nihil minus: quis igitur? amicus ficto officio*.

Tranſitio ex uno ad aliud progrediens utrumque recte copulat. *At enim: jam vero: huc accedit: adde his: ſequitur illud: ſed haec vetera: quid longinqua commemoro?*

9. Ingenioſe dictum eſt elegans & ſcitum ex verborum vi & gratia effatum: ut, *Calamitate docti* [a]: *Vivitur parvo bene* [b]: *Experto credite* [c].

Ingenioſa ſententia eſt nobilis atque utilis documenti brevis comprehenſio. Sen. Herc. Fur. act. 2. ſc. 3. *Non eſt ad aſtra mollis e terris via*.

Ingenioſe cogitatum eſt praeclarum inventum acute inveſtigatum. Ter. Heaut. act. 1. ſc. 2. *Amici, genus, divitiae perinde ſunt, ut illius animus qui ea poſſidet: Qui uti ſcit, ei*

a. Cic. pro leg. Man. c. 19.
b. Hor. l. 2. od. 16. v. 1.
c. Virg. 11. Aen. v. 283.

ei bona : illi, qui non utitur recte, mala.

Ingenioſe animadverſum eſt ex re altius reputata praeclarum inventum. Virg. 1. Aen. v. 15. Junonis in Trojanos odium expendens. *Tantaene animis caeleſtibus * irae?*

Urbanitas, ſive jocus, eſt liberale, ac feſtivum effatum. Cic. pro Quinct. c. 3. *Quod ſocium tibi eum velles adjungere, nihil erat, niſi ut in tua pecunia condiſceret, qui pecuniae fructus eſſet.*

Inopinatum eſt quod aut ex re, aut verbis, & modo, quo proponitur, praeter opinionem incidit. Curt. l. 4. c. 2. *Nihil habenti nihil defuit.*

Novum eſt quod aut raro ita fit, aut numquam. Liv. praef. l. 1. *Ab exiguis profecta* (res Romana) *initiis eo crevit, ut jam magnitudine laboret ſua.*

Mirabile eſt inuſitata, atque excellens in re praeſtantia. Sal. Con. Cat. c. 11. *Secundae res ſapientum animos fatigant.*

Orationis robur eſt verarum, maximarumque rerum expoſita vis. Caeſ. Bel. Gal. l. 1. c. 14. *Neque commiſſum a ſe quare timeret, nec ſine cauſſa ** timendum putaret.*

Orationis ſubtilitas eſt acute ac penitus cogi-

* *Caelum, caeleſtis*, & ejuſmodi voces per *ae* non per *oe* ſcribit Manut in Orthogr. Lambin. alii. Voſſ. per *oe*: vocis non ſatis certa origo. Quare, ut ſemel dicam, cum aliquid hic offendis, quod a communi ſcribendi uſu paulùlum abhorreat, nec quicquam affero, ne putes ſine ratione factum; praeclaros viros ſecutus ſum, non ſemel meas ipſe conjecturas, atque animadverſiones.

** *Cauſſa*, & inde ortas voces cum gemina *s* ſcribendas annotarunt alii ex Quinctil. l. 1. c. 13. qui ita Ciceronem, ac Virgilium ſcripſiſſe auctor eſt, *quo modo*, ait, *eos ſcripſiſſe manus eorum docent.*

cogitatarum rerum expoſitio. Sen. epiſt. 2. *Non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt*.

Deſcriptiones ſunt accuratae, ornataeque rerum expoſitiones. Caeſ. Bel. Gal. lib. 1. c. 12. *Flumen eſt Arar, quod in Rhodanum influit, incredibili lenitate, ut oculis in utram partem fluat judicari non poſſit*.

10. Imagines ſunt rerum graphice expoſitarum tamquam earum expicta ſimulacra. Hor. l. 1. od. 4. v. 13. *Pallida mors aequo pulſat pede pauperum tabernas, Regumque turres*.

Evidentia eſt ita aperta rerum expoſitio, ut cerni videantur. Virg. 12. Aen. v. 326. de Turno. *Poſcit equos, atque arma ſimul, ſaltuque ſuperbus Emicat in currum, & manibus molitur habenas*.

Singularitas eſt minutarum rerum animos percellentium commemoratio. Virg. 10. Aen. v. 780. *Sternitur infelix alieno vulnere, caelumque Aſpicit, & dulces moriens reminiſcitur Argos*.

Orationis ſpiritus eſt fervor, atque impetus, quo tamquam vibrat oratio. Hor. l. 2. od. 11. *Quid aeternis minorem Conſiliis animum fatigas?*

Abſtracta ſunt graves ſententiae rem complexae ab omni ſingularitate ſejunctam. Hor. l. 4. od. 9. v. 29. *Paullum * ſepultae diſtat inertiae Celata virtus*.

11. Decora oratio eſt, quae ſua verba, & ſua facta unicuique tribuit. Virg. 6. Aen. v. 851. *Romane memento Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos*. Ora-

* *Paullum*, & inde orta gemina *l* ſcribit ex vet. lib. & num. Manut. in Orthogr.

Orationis facilitas eſt germana & veluti ſua ſponte veniens dicendi vis. Nep. in Att. c. 9. *Se non fortunae, ſed hominibus ſolere eſſe amicum.*

Orationis ornatus eſt per verborum lumina & rerum colores inſignis cultus. Nep. in Them. c. 1. *Hujus viri vitia ineuntis adoleſcentiae magnis ſunt emendata virtutibus, adeo ut anteferatur ei nemo, pauci pares putentur.*

Orationis amplitudo eſt illuſtris & magnifica verborum ac rerum copia. Ovid. 1. Triſt. eleg. 8. v. 16. *Illud amicitiae ſanctum ac venerabile nomen Re tibi pro vili, ſub pedibuſque jacet?*

Brevitas eſt multarum rerum paucis verbis comprehenſarum vis. Sal. Con. Cat. c. 44. *Facto, non conſulto, in periculo opus.*

Maturitas orationis eſt perfecta & graviſſima dicendi forma. Caeſ. B. G. l. 5. c. 7. *Nihil ſe abſente pro ſano facturum arbitratus, qui praeſentis imperium neglexiſſet.*

Denſa oratio eſt quae multarum rerum vi pollet. Hor. l. 2. od. 10. v. 13. *Sperat infeſtis, metuit ſecundis Alteram ſortem bene praeparatum Pectus.*

Suavis oratio eſt quae conſtat jucundiſſimo verborum ac rerum ſenſu atque ornatu. Hor. l. 2. od. 10. v. 5. *Auream quiſquis mediocritatem Diligit, tutus caret obſoleti Sordibus tecti, caret invidenda Sobrius aula.*

Aſperitas orationis eſt acrium verborum, acriumque rerum amaritudo. Cic. 1. Catil. c. 5. *Egredere aliquando ex urbe, Catilina, patent portae, proficiſcere; educ tecum omnes tuos; purga urbem.*

Diſtinguendae orationis ratio per epitheta eſt,

eſt, ut ea ſint ſignatiſſima, & rem maxime augeant. Virg. 11. Aen. v. 647. *Pulchramque petunt per vulnera mortem.*

Numerus orationis eſt ampla & cumulata dicendi comprehenſio. Virg. 1. Aen. v. 613. *Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.*

12. Permotiones ſunt acrior in bonum conatus, aut a malo averſio.

Amor eſt eximia in optimos & praeclaros benevolentia. Divina amoris vis haec Pſ. 150. v. 2. *Laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis ejus.*

Admiratio eſt in alienae virtutis amplitudine quaſi defixio. Egregia haec Pſ. 112. v. 4. *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in caelo, & in terra!*

Odium eſt ab alio abhorrens animus, ipſique mala cupiens. Cic. in Piſ. c. 18. *An ego, ſi te cruci ſuffixum viderem, majore afficerer laetitia ex corporis tui laceratione, quam afficior ex infamia?*

Contemtus eſt alienae vilitatis impatiens irriſio. Sal. Con. Cat. c. 2. *Dediti ventri atque ſomno, inculti indoctique vitam veluti peregrinantes tranſegere: quibus profecto anima oneri fuit; eorum ego vitam, mortemque juxta aeſtimo.*

Invidia eſt ex alienis bonis aegritudo Virg. ecl. 3. v. 14. *Quae cum vidiſti puero donata dolebas; Et ſi non aliqua nocuiſſes mortuus eſſes.*

Deſiderium eſt in optatum & quaeſitum bonum conatus. Pſ. 41. v. 3. *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?*

Aemulatio eſt alienae virtutis conſequendae con-

contentio. Sall. Con. Cat. c. 9. *Iras cum hoſtibus exercebant, Cives cum Civibus de virtute certabant.*

Superbia eſt propriae excellentiae immodica aeſtimatio. Virg. 10. Aen. v. 441. *Turnus ego haud ulli veterum virtute ſecundus.*

Horror eſt a grandi, imminentique malo averſio. Nep. in Amil. c. 1. *Se periturum potius, quam arma a patria accepta adverſus hoſtes adverſariis tradere.*

Conſtantia eſt immota in recte factis voluntas. Cic. 2. Phil. c. 46. *Defendi Rempublicam adoleſcens, non deſeram ſenex.*

Pervicacia eſt in facto aliquo obdurata permanſio. Ter. Eun. act. 1. ſc. 1. *Quid faciam? non eam. Revocat: redeam? non: ſi me obſecret.*

Verecundia eſt aegritudo ex malis, quae ignominiam ferunt. Virg. 11. Aen. v. 734. *Femina * palantes agit, atque haec agmina vertit?*

Gaudium eſt in praeſenti bono quies. Judic. 5. v. 12. *Surge, ſurge Debbora, ſurge, ſurge, & loquere canticum: Salvatae ſunt reliquiae populi; Dominus in fortibus dimicavit.*

Dolor eſt ex magno, & jam praeſenti malo aegritudo. Philippus Macedo apud Liv. l. 40. c. 8. *Sedeo miſerrimus Pater, Judex inter duos filios, accuſatorem paricidii, & reum; aut ficti, aut admiſſi ſceleris apud meos inventurus.*

13. Ira eſt ulciſcendi cupiditas cum dolore conjuncta. Juno 1. Aen. v. 41. *Mene in-*

* *Femina* ſine diphthongo ſcribendum Manut. Voſſ. Facciol. ex vett. libb. & lapidd. monuerunt.

*incepto * deſiſtere victam? Nec poſſe Italia Teucrorum avertere gentem?*

Miſericordia eſt aegritudo ex alterius calamitate injuria laborantis. Virg. 2. Aen. v. 429. *Nec te tua plurima, Panthu, Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.*

Spes eſt motus in bonum arduum magno animo comparandum. Virg. 1. Aen. v. 208. *Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum Tendimus in Latium.*

Deſperatio eſt conſequendi boni, aut propulſandi mali diffidentia. Sal. Con. Cat. c. 31. *Mulieres afflictare ſeſe, miſerari parvos liberos, omnia pavere, ſibi patriaeque diffidere.*

Metus eſt ex imminenti malo aegritudo. Virg. 11. Aen. v. 476. *Vocat labor ultimus omnes.*

Fortitudo eſt grandium periculorum virtute ſuperandorum fiducia. Virg. 1. Aen. v 49. *Agmina ducit Pentheſilea furens, mediiſque in millibus ardet.*

Audacia eſt in malum grande, ac viribus fere majus inſurgens animus. Virg. 1. Aen. v. 509. de Priamo. *Arma diu ſenior deſueta trementibus aevo Circumdat nequicquam humeris, & inutile ferro Cingitur, ac denſos fertur moriturus in hoſtes.*

14. Inventio eſt *excogitatio rerum verarum aut veriſimilium, quae cauſſam probabilem reddant* [a].

Lo-

* *Cepi, incepi, inceptum*, ex iiſque ortas voces ſine diphthongo ſcribendas facile oſtendunt *incipio, occipio*, alia, quae inde oriuntur, & ſecundam habent brevem; diphthongus enim praeterito non accedit, cum non erat in praeſenti.

a. Cic. 1. Inv. Rhet. c. 7.

Locus oratorius eſt *argumenti ſedes* [a].

Argumentum eſt *ratio, quae rei dubiae faciat fidem* [b].

Argumentatio eſt copioſior argumenti explicatio, ejuſque proponendi ratio.

Enthymema eſt argumentatio ex re certa in prima propoſitione conjecta rem dubiam in altera concludens; ut Tibul. l. 2. eleg. 1. v. 13. *Caſta placent Superis: pura cum veſte venite, Et manibus puris ſumite fontis aquas.*

Epieherema unica propoſitione rem dobiam ex certa concludit. Sall. Bel. Jug. c. 10. *Quem alienum fidum invenies, ſi tuis hoſtis fueris?*

Exemplum a ſingulari re aliam arguit. Catul. epig. 52. *Otio exſultas, nimiumque geſtis: Otium & Reges prius, & beatas Perdidit urbes.*

Enumeratio rem per ſuas partes confirmat aut explanat. Hor. lib. 1. od. 12. v. 14. *Qui res hominum ac Deorum, Qui mare & terras, variiſque mundum Temperat horis.*

Similitudo eſt rerum aliarum in aliquo ſimilium collatio. Cic. pro Cluen. c. 146. *Ut corpora noſtra ſine mente, ſic civitas ſine lege.*

Diſſimilitudo eſt rerum ſimilium in aliquo diſſimilium collatio. Catul. epig. 5. *Soles occidere & redire poſſunt: Nobis cum ſemel occidit brevis lux, Nox eſt perpetua una dormienda.*

Adjuncta ſunt rerum ac factorum momenta extrinſecus rebus ac factis addita ipſorum naturam oſtendentia. Cic. 2. Phil. c. 1. *Quid plenius, quid uberius, quam mihi & pro me, & contra Antonium dicere?*

Re-

a. Cic. Topic. c. 2. b. Id. ibi.

Repugnantia ſunt quae ſimul convenire non poſſunt. Cic. pro Mil. c. 13. *Quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiam ſuae gloriae?*

Praecedentia ſunt quae rem neceſſario praecedunt. Tacit. 11. Annal. c. 3. *Sublatis ſtudiorum pretiis etiam ſtudia peritura.*

Comitantia ſunt quae rem neceſſario comitantur. Hor. l. 4. od. 5. v. 24. *Culpam poena premit comes.*

Sequentia ſunt quae rem neceſſario conſequuntur. Tibul. l. 1. el. 10. v. 3. *Ah miſer! etſi quis primo perjuria celat, Sera tamen tacitis poena venit pedibus.*

Cauſsa eſt quae aliquid efficit; & in formam, efficientem, materiam, & finem dividitur. Ovid. 3. Am. el. 9. v. 37. *Vive pius, moriere pius.*

Effecta ſunt quae de cauſſis orta. Hor. l. 1. od. 3. v. 38. *Neque Per noſtrum patimur ſcelus Iracunda Jovem ponere fulmina.*

Comparatio eſt plurium inter ſe collatio: & a majori, a minori, a pari eſt. Ter. Adel. act. 1. ſc. 1. *Qui mentiri, aut fallere audebit patrem, tanto magis audebit ceteros.*

15. Mores ſunt quae homines in agendo agere conſueverunt: iique commemorati magnam partem eloquentiae conſtituunt. Liv. l. 21. c. 4. *Pauci, ac ferme optimus quiſque aſſentiebantur: ſed, ut plerumque fit, major pars meliorem vicit.*

16. Praejudicium eſt in re ſimili antea prolatum judicium. Cic. pro Leg. Man. c. 5. *Majores veſtri ſaepe Mercatoribus injurioſius tractatis bella gesſerunt, vos tot Civium Romanorum millibus necatis, quo tandem animo eſſe debetis?*

 Fa-

Digitized by Google

Fama eſt ſermo de aliqua re pervagatus. Dido 1. Aen. v. 569. *Quis genus Aeneadum, quis Trojae neſciat urbem? Virtuteſque, viroſque, & tanti incendia belli?*

Teſtimonium eſt aliorum aut voce, aut ſcripto teſtimonium. Sen. ep. 6. *Ut eſt apud Poſſidonium, plus patet dies una hominum litteratorum, quam longiſſima aetas imperitorum.*

17. Diſpoſitio eſt *rerum inventarum in ordinem diſtributio* a. Verborum diſtribuendorum prima ratio eſt, ut quae ab aliis pendent ante collocentur, deinde ea, a quibus pendebant; altera eſt orationis varietas; tertia gravior, aut dulcior numerus; nec ſemel languor, aut ſimplicitas. Virg. 11. Aen. v. 425. *Multa dies, variuſque labor mutabilis aevi Rettulit in melius.*

18. Cauſſarum genera tria ſunt: demonſtrativum, quod laudat, aut vituperat; *vere magnanimi qui aeterna ſpectantes cruciari non dubitarunt*: deliberativum, quod ſuadet, aut diſſuadet; *in exilium agendi facinoroſi*; & judiciale, quod defendit, aut accuſat; *laudandi qui prudenti, ac forti animo praelium aggreſſi occubuerunt.*

19. Status rerum eſt ille, in quo cauſſae velut conflictio eſt poſita: triplex eſt: conjecturalis, ex ratione, aut conjectura num res ſit inquirens; *an utilius domi, aut publicis in ſcholis adoleſcentes inſtituantur* *: definiens, qui ex certa ratione quid res ſit conſtituit, *an fortitudo, an invidia, an animi dejectio mors Catonis*

a. Cic. 1. Inv. c. 7. * Vide Quinctil. l. 1. c. 3. pro publicis ſcholis pluribus rationibus, atque exemplis affirmantem.

tonis ſeipſum interimentis: generalis *, qualis res ſit argumentis affirmans, *an Tyrannus, an patriae parens Caeſar*.

20. Quaeſtio eſt rei in dubium vocatae propoſitio, ſive id quod quaeritur: quatuor ejus genera: theſis, *an literis vacare utile*: hypotheſis, *an Rhetorica ceterarum diſciplinarum lumen, & vis*: cognitionis, *an America Atlantidis nomine Veteribus cognita* [a]; & actionis, *an ingenui mores majorem ſaepe, quam liberalitas, aut fortitudo laudem pariant* *.

21. Oratio eſt ordinata rerum, atque argumentorum ſeries ad aliquid confirmandum: ejus partes neceſſariae *propoſitio*, & *confirmatio*; utiles praeterea *exordium*, & *peroratio*: interdum etiam *partitio*, *narratio*, & *refutatio*.

22. Exordium eſt inſinuatio in cauſſam. Tria efficit, benevolum, attentum, ac docilem audientem. Duo ejus genera: per inſinuationem, quod paullatim, & ex abrupto, quod ſtatim in cauſſam, cauſſaeque permotiones irrumpit.

23. Propoſitio eſt totius orationis ſumma deinceps confirmanda. Una ſit, ut una oratio; ſatiſque ampla, ut dicenda omnia complectatur

24. Diviſio eſt totius orationis in partes diſtributio. Puncta ſint veluti ſpecies, ut propoſitio quaſi genus. Pluſquam tripartita eſſe non ſolet.

* Quem ſtatum qualitativum, aut qualitatis aliqui Rhetores nuncupant, generalem conſtitutionem Cic. 1. Inv Rhet. c. 6 a. Vide Plat. in Atlant. pluribus eam, gentiſque facta deſcribentem.
* Vide Jo. Caſam in aureo libello, qui Galateus inſcriptus.

25. Narratio eſt *rerum geſtarum, aut ut geſtarum expoſitio* a. Quatuor ejus virtutes, *perſpicuitas*, *brevitas*, *probabilitas*, & *ſuavitas*.

26. Confirmatio eſt propoſitae rei per rationes aſſeveratio. Res magni momenti copioſe, omnique vi confirmantur; levioris attinguntur.

27. Refutatio eſt *contrariorum argumentorum* * *diſſolutio* b. Gravia, quae objecta ſint, convelle, ſi falſa; ſi vera, excuſa, & deprecare; levia irride.

28. Peroratio eſt *artificioſus terminus orationis* c. In ea dictorum interdum ſumma repetitur, ſaepius vehementiſſimi motus inflammantur.

29. Haec, ut artis ſpeciem ſtatim animo effingas, & ſcias quid in probatiſſimis Scriptoribus admirere, & quid lucubrationi tuae adhibeas, ad quam exercearis: nunc ea ex integro, ut artem cumulate aſſequaris, ſi pauca quaedam poſt Rhetoricae definitionem ante attigero de ipſius eloquentiae, & de veterum Oratorum, atque Inſtitutorum quaſi hiſtoria, ad praecepta quidem parum, ad dicendi autem vim plurimum pertinentia, juvant enim maxime, animumque facultatem ingredientis excitant praeſtantium in ea virorum vel adumbratae imagines, artis ſeries inſpecta, & hiſtorica ejus cognitio, divinam opem precati aggrediamur.

Quid

a. Cic. 1. Inv. Rhet. c. 19. * Ita legit Lambin. quod vulgati libri habent *locorum*. b. Auct. ad Her. l. 1. c. 3. c. Id. ibi.

Quid ſit Rhetorica: ejus genera: initium: incrementum: corruptelae: inſtauratio: alia aliorum via.

CAP. II.

RHetorica, ſi verbi ſignificationem, atque originem ſpectes, eſt ars, & ratio dicendi; ſi naturam, atque officia, eſt ars bene, ornate, copioſeque dicendi ad perſuadendum: quare Ariſtoteli ea dicitur *vis, ac facultas videndi quid in quaque re ſit ad perſuadendum accommodatum* [a], Ciceroni *copioſe loquens ſapientia* [b], Quinctiliano *bene dicendi ſcientia* [c].

2. Haec dicendi, perſuadendique facultas alia eſt a natura ipſa, alia ex praeceptis comparata. Ita enim ab ingenio homines comparati ſunt, ut vel numquam, vel leviſſime quidam litteras aſſecuti non pauca dicant appoſite natura duce, quam *naturae eloquentiam* dicas. Quoniam vero naturae cognitio, atque eloquentia manca, & imperfecta eſt, eam ob rem ſtudio, atque exercitatione excolenda, & limanda, ut ſano, vigentique ſanguine omnia implere, ſinceris coloribus ornare, efficaci, ac victrici copia armare aſſueſcamus, & natu-

a. Rhet. l. 1. c 8. textu 48. ex interpr. Majorag. quam perpetuo afferam, ut multo optimam. b. Partit. Orat. c. 23. *Nihil eſt aliud*, ait, *eloquentia, niſi copioſe loquens ſapientia*. c. Inſtit. Orat. l. 2. c. 15.

rae, atque artis inſtrumenta in expeditum aliquod, atque inſigne adducamus, *doctrina* enim *vim promovet inſitam* [a].

3. Ea vero primo humani generis parenti Adamo divinitus oblata, atque inſpirata eſt, ut propagatos ipſe mortales erudiret, ad pietatis officia formaret, atque accenderet, de ſingularibus Dei Opt. Max. beneficiis in homines collocatis commonefaceret, & ad divinam majeſtatem ſuſpiciendam, colendamque inflammaret, atque ex ijs ad aeternam eos beatitudinem traduceret. Ex illius ore, atque exemplo reliqui deinde didicerunt, atque expreſſerunt, cumulatius alii, alii rudius pro naturae indole, atque induſtria.

4. Itaque illuſtre nomen ac regnum conſecuta eſt eloquentia in plurimis Hebraeorum principibus, ac praeſertim Noaco, Abrahamo, Joſepho caſtiſſimo illo juvene, atque Aegypti adminiſtratore, Moyſe gentis ſuae liberatore, Davide, Salomone, Jeremia, Daniele Regis Perſarum in regno quaſi comite, aliiſque per Sacras Litteras commemoratis, qui publica negotia, & religionis capita in tempore ceteris perſuadentes floruerunt, *magnifice enim ſapientiam tractabant* [b]; non humile etiam apud Chaldaeos, Aegyptios, atque Arabes; multo autem praeclariſſimum apud Graecos, ac Latinos, inter quos nata, educata, inſtituta, polita, rerum domina, animorumque arbitra effecta eloquentia videatur: nam reſpublicae, ubi crebrae in Senatu, & ad populum conciones, eloquentiae altri-

a. Hor. l 4. od. 4. v. 33. b. 2. Machab. 2. v. 9.

trices, & parentes exſtiterunt; limata certe eloquentia in Atticis, ſuavis & copioſa; in Romanis omni virtute par, & paullo etiam grandior; non inornata, aut inſuavis in Apoſtolis, ac Sanctis Patribus, in quorum principibus an Graecorum, Latinorumque robur, & copiam aemulata ſit, an perfecerit vix dicere auſim.

5. Inter haec a ſua origine ad noſtram hanc aetatem varie variis temporibus foedata eſt eloquentia, aut certe infuſcata. Nam paullo rudior, atque etiam horridior in primis Graecorum, Latinorumque Scriptoribus, aliquantum quaeſita, affectata, & luxurians Athenienſi, ac Romano Imperio collabente, paullo fractior, atque enervata eodem iam lapſo; peregrinitate, ac barbarie paullatim infecta a Chriſto nato ſaeculo quarto, foedius vero conſecutis temporibus, a qua cumulate numquam, ſi de toto Scriptorum genere loquamur, ſe vindicavit. Tandem neſcio quo fato poſt tantam praeſtantium Praeceptorum, Oratorum, ac Poetarum lucem variis corruptelis, atque ineptiis ſaeculo decimo ſeptimo poſt Chriſtum natum fere ubique violata, a quibus praeſenti aetate floret relevata.

6. Alia etiam aliis variis aetatibus via probata eſt, & plerique ſane verum robur, germanam facilitatem, & nativos colores complexi ſunt; pars ingenioſiorem ornatum, aut potius oſtentationem; alii uberiorem copiam; adſtrictiorem alii brevitatem; alii alia vel ſua ex indole, vel temporum ſuorum vitio, *omnes enim, qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intuentur. & ad eorum arbitrium, & nutum totos ſe fingunt,*

B 4 &

& accommodant [a]. Singula, eorumque momenta ſuis locis certe attingemus.

Veteres Graeci, ac Latini principes Oratores in certas aetates diſtributi, eorumque laus.

CAP. III.

1. GRaecia, in eaque vel ſolae, vel certe principes Athenae, *qua in urbe primum ſe Orator extulit, primumque litteris oratio eſt cepta mandari* [b], vigere dicendo cèpit, cum *floruit Solon* Athenienſium Legislator *maxime circa Olimpiadem* * *quadrageſimam ſextam* [c]; quo tempore *ſcripſiſſe eum leges, & conciones conſtat* [d]. Eadem aetate, eique ſuppar floruit Piſiſtratus, eloquens primum Athenis Orator, poſtea Tyrannus, tum Cliſtenes, Themiſtocles *ſummus Athenis vir* [e], & qui *multum in judi-*

a. Cic. in Orat. cap. 8.
b. Cic. in Brut. c. 7. quem librum alii *De claris Oratoribus*, quod de iis ibi ſermo eſt, inſcribunt.
* Olympiades numerari ceptae ſunt ab Iphito Elidis Rege ab Orbe condito anno 3228., ante Chriſtum Deum hominem factum 776.; cum Chriſtus ipſe natus ſit Olymp. 193. anno 4., Orbis vero 4004. juxta vulgarem epocam: qua in re vide Eduard. Corſinium Schol. Piar. Inſtit. Philoſoph. tom. 3. diſp. 1. c. 2.
c. Laert. in Solone ſegmento, ut Interpr. vocat, 61. ex interpret. Meibomii.
d. Id. ibi ſegm. 62.
e. Cic. pro Archia c. 9.

diciis privatis verſabatur, ſaepe in concionem populi prodibat [a], Ariſtides ex vitae integritate juſtus appellatus, Cleo, Alcibiades *ita diſertus, ut in primis dicendo valeret* [b], Critias, Theramenes, & maxime Pericles, qui floruit Olimp. 87., cuius primo anno Peloponneſiacum bellum ſuſcepit, nam *ante Periclem littera nulla habuit ornatum, & quae Oratoris videatur* [c]: ipſe autem *non loqui, & orare, ſed fulgurare, ac tonare viſus eſt* [d]. Aliquid ea aetate in eloquentia valuerant Epaminondas Thebanus, & Lycurgus Lacedaemoniorum Legislator. Deinde vero Gorgias Leontinus, Thraſymachus Chalcedonius, ac Socrates, quamquam is Oratorum potius parens, quam Orator. Hi omnes *grandes erant verbis, crebri ſententiis, compreſſione rerum breves, & ob eam ipſam cauſſam interdum ſubobſcuri* [e]. Haec prima Graecorum aetas, quam priſcam nominabo, ad 200. annos a Solone ad Socratem complexa.

2. Deinde cepit plane excellere eloquentia in Iſocrate *circa Olymp. 86. nato* [f], *cujus domus cunctae Graeciae quaſi ludus quidam patuit, atque officina dicendi, magnus Orator, & perfectus Magiſter: is primus intellexit etiam in ſoluta oratione, dum verſum effugeres, modum tamen, & numerum quemdam oportere ſervari; ante hunc enim verborum quaſi ſtructura, et quaedam ad numerum concluſio nulla erat* [g]. *Ipſe autem* praeterea *omnes dicendi veneres ſectatus eſt* [h]. Tum fuere huius diſcipuli Teopompus, Epho-

a. Nep. in Them. c. 1. b. Id. in Alcib. c. 1. c. Cic. in Brut. c. 7. d. Quinctil. l. 2. c. 17. e. Cic. in Brut. c. 7. f Plut. in Iſocr. g. Cic. in Brut. c. 8. h. Quinctil. l. 10. c. 1.

phorus, & Naucrates *orationis faciendae, & ornandae auctores locupletiſſimi* [a]. Tum ex eadem diſciplina conſecuti ſunt Ariſtophon, Thraſybulus, Phocion, Lyſias *egregie ſubtilis, atque elegans, quem iam prope audeas Oratorem perfectum dicere* [b], Andocides, Iſaeus, Dinarchus, Hyperides *dulcis in primis & acutus, ſed minoribus cauſſis magis par* [c], ac Demades, *cujus nulla exſtant ſcripta*, ut de ſuo etiam tempore inquit Cicero [d]. Eos vero omnes longo intervallo ſuperavit Plato Olymp. 88 anno 1. natus, mortuus vero Olymp. 108. anno item 1: etenim *Jovem aiunt, ſi Graece loquatur, ſic loqui* [e] ac Demoſthenes, *nam plane perfectum, & cui nihil admodum deſit Demoſthenem dixeris: nihil acute inveniri potuit in iis cauſſis, quas ſcripſit, nihil ſubtiliter, nihil preſſe, nihil enucleate, quo fieri poſſit aliquid limatius nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum granditate, vel ſententiarum gravitate, quo quicquam fieri poſſit elatius* [f]. Demoſtheni paullo junior, ſed acerbior aemulus Aeſchines, eloquentia tamen *plenior, & magis fuſus, & grandiori ſimilis, carnis plus habet, lacertorum minus* [g]. *Haec* ſecunda atque optima *aetas* ab Olymp. fere 90. ad 125. definita *effudit hanc copiam, & ſuccus ille, & ſanguis incorruptus uſque ad hanc aetatem Oratorum fuit, in qua naturalis ineſſet, non fucatus nitor* [h].

3. La-

a. Cic. cap 1. libri, qui inſcriptus eſt *Orator*, aliis vero *de perfecto Oratore*, quod prope omnes in eo eloquentiae ſpecies continentur.
b. Cic. in Brut. c. 9. c. Quinctil. l. 10. c. 1. d. In Brut cap 9. e. Id. ibi c. 31. f. Id. ibi c. 9. g. Quinctil. l. 10. c. 1. h. Cic. in Brut. c. 9.

3. Labi deinde cepit Graeca vis: *ſucceſſit enim eis ſenibus adoleſcens Demetrius Phalereus non tam armis inſtructus *, quam palaeſtra, itaque delectabat magis Athenienſes, quam inflammabat* [a]. quare *primus inflexit orationem, & mollem reddidit, & ſuavis videri maluit, quam gravis* [b]. Poſt Phalereum viſa tacere tum Graecia. Plures tamen conſecutis temporibus Oratores vidit. A Chriſto nato ſaeculo primo exeunte Dio ex Pruſia Bithiniae urbe Pruſienſis, ex aurea eloquentiae forma Chryſoſtomus dictus, extantque ejus octoginta plane elegantes orationes. Saeculo altero Juſtinus inclitus Martyr, Clemens Alexandrinus, ejuſque diſcipulus Origenes. Tertio ſaeculo floruere Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus, & Irenaeus, ſingulari prior ille eloquentia. Quarto ſaeculo magnus ille Athanaſius, quo dicente, ac pugnante orbis ſalus ſtetit, & Arianorum furor fractus eſt: Epiphanius, Baſilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Julianus Caeſar, cui deſerta Religio Apoſtata triſte cognomen fecit, & Nyſſenus, Damaſcenus, & Joannes ille Chryſoſtomus Iſocrati, Demoſtheni, ipſique Ciceroni minimum eloquentia concedens. Hos quidem edidit Graecia Oratores.

4. Romae autem Oratores eſſe ceperunt, cum libertas exactis Regibus per L. Junium Brutum aſſerta eſt, quod Urb. Cond. contigit anno 244. [c]. Ab iis diebus ad ſua tempora cum Bruto Urbis liberatore, & facile diſerto, *qui*

civi-

* Ita legit Lambin. quod vulgati *inſtitutus*. a. Cic. in Brut. c. 9. b. Id. ibi. c. Vide Liv. l. 1 extremo. Condita autem Roma eſt ante Chriſti natalem diem anno 751.

civitatem perpetuo dominatu liberatam magiſtratibus annuis, legibus, judiciiſque devinxerit, quod certe effici non potuiſſet, niſi eſſet oratione perſuaſum[a], Menenio Agrippa alienatae Plebis a Patribus, licet *priſco, & horrido ſermone*[b], apud Livium conciliatore, Appio illo Caeco pacis cum Pyrrho diſſuaſore, Corn. Cethego, *quem & Oratorem appellat Ennius, & ſuaviloquentiam tribuit*[c], Catone Cenſore, cuius Orationes amplius 150. *& verbis, & rebus illuſtribus refertae*[d] tum exſtabant, Tib. & C. Gracchis fratribus, *quorum eloquentiae multum contulit Corneliae matris doctiſſimus ſermo*[e], C. Caſſio, a quo illud, *cui bono fuerit*[f] ſaepe ipſe uſurpavit, M. Antonio, L. Craſſo, C. Cotta, L. Philippo, P. Sulpicio, Q. Catulo, a quibus *ſex patronis omnes cauſſae illuſtres agebantur*[g], ad 160. enumerat Cicero in Bruto, licet fortaſſe dicentium potius, quam Oratorum nomina.

5. Iis ſucceſſit Iul. Caeſar ſingularis plane quocumque ſe vertit vir, qui *ſi foro tantum vacaſſet, non alius contra Ciceronem nominaretur*[h], & Q. Hortenſius magnus plane Orator, qui *in patronorum numero annos quatuor & quadraginta fuit*[i], & cum Cicerone non minus officio, quam eloquentia certavit, quod effecit, *ut inter quos tantae laudis eſſet aemulatio, nulla intercederet obtrectatio*[l]. Tum M. Marcellus *ſtudiorum ſuorum comes, & ſocius*

a. Cic. in Brut. c. 14. b. Liv. l. 2. c. 32. c. Cic. in Brut. c. 15. d. Id. ibi c. 17. e. Quinctil. l. 1. c. 1. f. Pro Mil. c. 12. 2. Phil. c. 14. alibi. g. Cic. in Brut. c. 57. h. Quinctil. lib. 10. c. 1. i. Cic. in Brut. c. 64. l. Nep. in Attico c. 5.

cius Tullio [a] dictus, praeclarus Orator *lectis utens verbis*, *& ſplendore vocum*, *& dignitate motus ſpecioſum*, *& illuſtre efficiens quod dicebat* [b]. Qui vero univerſas ſane eloquentiae laudes complexus eſt, divinus omnino Orator Cicero, quem legens praeclarius exemplar non deſideres: certe *ille ſe profeciſſe ſciat*, *cui Cicero valde placebit* [c]. Extinctum eſt hoc eloquentiae lumen U. C. anno 711. hominis 64. & ante Chriſtum natum 39.

6. Vix ſe deinceps conſpexit latina facundia. Poſt eum tamen floruit M. Meſſala *nitidus*, *& candidus*, *& quodammodo praeſeferens in dicendo nobilitatem ſuam* [d], Aſinius Pollio, *Inſigne maeſtis praeſidium reis*, *Et conſulenti Curiae*, Horatio [e] appellatus, Caſſius Severus, qui *multa dedit imitatione digna* [f], Brutus Ciceronis amiciſſimus, Pomponius ex Attica eloquentia, & gratia Atticus dictus, Domitius Afer, & Julius Africanus *longe praeſtantiſſimi* [g], qui omnes ante Chriſtum nati. Poſt Chriſtum natum ſecundo, & tertio ſaeculo ex Ethnicis floruit C. Plinius Junior, qui maxime ſtuduit aut ſuſtinere, aut inſtaurare eloquentiam; ac celeberrimum illum Trajano Panegyricum dixit, illarum orationum exemplar, vir certe de litteris optime meritus: tum quaſi illius aemuli Auſonius Gratiani Caeſaris Praeceptor, Nazarius, Eumenius, Pacatus, Mamertinus, aliique Panegyricarum orationum Maximiano, Domitiano, & Conſtantino dictarum non ſatis certi auctores: ex Chriſtianis vero Tertul-

a. Pro Marcel. c. 1. b. Id. in Brut. c. 71. c. Quinct. l. 10. c. 1. d. Id. ibi. e. Carm. l. 2. od. 1. v. 13. f. Quinctilian. l. 10. c. 1. g. Id. ibi.

tullianus. Quarto ſaeculo viguerunt Ambroſius, Auguſtinus, & Hieronymus, grande Eccleſiae Catholicae decus, & ornamentum, Hilarius, Eucherius, Maximus, & alii ſanctiſſimi Patres non mediocri eloquentia, & incredibili fructu ad pietatis officia populos inflammantes. Quinto ſaeculo Petrus Chryſologus, Leo Magnus Romanus Pontifex, Proſper, ac Salvianus Maſſiliae Epiſcopus ſingulari plane dicendi laude, ac divina humanae ſalutis procurandae facultate. Sexto demum Gregorius Magnus, atque Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus.

Veteres Graeci, ac Latini principes eloquentiae Praeceptores in ſuas aetates diſtributi: eorumque merita.

CAP. IV.

1. UBi non contemnendi Oratores viguerunt, tum quid in iis maxime probaretur, quid afficeret, quid permoveret advertentes, *notatio enim naturae, & animadverſio peperit artem* a, Praeceptores etiam prodierunt. Itaque in Graecia, *quae ſemper eloquentiae princeps eſſe voluit* b, paullo ante Socratem extiterunt Leontinus Gorgias magiſter Iſocratis, Thraſymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Chius, Hippias Eleus, alii, *qui docere ſe profitebantur, arrogantibus ſane verbis, quemadmodum cauſſa inferior, ita enim loquebantur, dicendo fieri ſuperior poſſet* c. Tota

a. Cic. in Oratore c. 55. b. Id. ibi c. 4. c. Id. in Brut. c. 8.

Tota ergo iſtorum cura in eo verſata eſt, ut captioſis argumentis, & violentis permotionibus Judices fallere, atque impellere ad cauſſam etiam iniquam, aut falſam docerent, etſi multa egregia artis ornamenta complexi, *rerum illuſtrium diſputationes, quae deinceps communes loci appellati Protagoras* [a], *ſingularum rerum laudationes, vituperationesque Gorgias* [b]. Ante eos aliquid praeceperant Corax, ac Tiſias Siculi, eamque ob cauſſam *artis inventores, & principes* Ciceroni [c], ac Quinctiliano [d] dicti. Non multo poſt Hermagoras, qui *dedit certas rationes, & praecepta dicendi, quae habent quaſdam errare non patientes vias* [e]; Ariſtides nonnulla de argumentatione oratoria complexus; multo praeclarius Ariſtoteles de tota arte praeſcripſit; Theophraſtus, qui egregia de hominum moribus tradidit, Inſtitutori ſuo Ariſtoteli ſuccedens 114 Olymp.; Demetrius Phalereus utilem nobis de ratione dicendi librum reliquit, Dionyſius Halicarnaſſeus, qui floruit ſub Auguſto, & praeclara variarum orationum genera, earumque leges praeſcripſit, ut etiam veterum Oratorum judicia; Hermogenes, qui omnem Demoſthenis eloquentiam, ipſiusque artificium magna ex parte aperuit; Dionyſius Longinus, qui ſub Aureliano Caeſare floruit, dignus qui ſemel, iterum, ac ſaepius legatur in aureo illo libello *De ſublimi*; Aphthonius non ignobilis Sophiſta primas puerorum exercitationes complexus, quae Progymnaſmata nuncupavit; Alexander item Sophiſta ſatis bona

a. Cic. in Brut. c. 12. b. Id. ibi. c. 2. Inv. Rhet. c. 2. d. lib. 3. c. 1. e. Cic. in Brut. c. 76.

bona de figuris praecepta perſcribens, ac Themiſtius egregius Philoſophus, atque egregius Rhetoricae Doctor ſub Juliano Apoſtata.

2. Latinorum autem *primus condidit aliqua M. Cato Cenſorius* [a]; deinde Julius Caeſar, & M. Antonius, ut a Cicerone [b] memorantur: uberrime ipſe Cicero, qui ut omnem eloquentiae ſpeciem dicendo complexus eſt, ita eadem praecipiendo conſtituit: Cornificius, ut a Quinctiliano nominatur auctor, qui utiles illos, atque elegantes ad Herennium quatuor libros edidit, licet alii immerito Ciceroni tribuant; omnem certe elocutionem, & tria illa cauſſarum genera ſuis temporibus uſitata, accurate perſecutus: Corn. Celſus elegantiſſimus ille de re medica ſcriptor, ac de Rhetorica ſubinde Quinctiliano laudatus: Quinctilianus ſingularis plane Doctor, qui Oratorem ab incunabulis ad ſummam uſque perfectionem inſtituit, nec aliquid omittit, quod diſertum faciat, & conſummatum; floruit ſub Domitiano, cuius Nepotes erudivit. Cornelius Tacitus, ſi ipſius eſt Dialogus de Oratore, quem Quinctiliano alii adſcribunt: quicumque eſt utilia multa habet. Plinius ille ſenior *ſtudioſi tres libros ſcripſit, quibus ab incunabulis Oratorem inſtituit, & perficit* [c]. Venerabilis Beda de *Tropo, & Schemate* ſcripſit pie, juxtaque erudite, ut praeclaram omnem eloquentiae faciem in Sacris Litteris contineri aperiret, ad easque inflammaret. S. quoq; Auguſtinus nonnulla tradidit, ſi ipſius vere eſt opella illa *de Rhetorica*, quae inter eius ſcripta extat, Aquila Romanus, & Caſſiodorus.

3. Prae-

a. Quinctil. lib. 3. c. 1. b. Vide 3. de Orat. & in Oratore. c. Plin. Jun. l. 3. ep. 5.

3. Praeterea multa multi de Rhetorica tradiderunt praeſertim decimo ſexto, & ſeptimo Chriſtianae ſalutis ſaeculo clari viri, & veterum monumenta illuſtrantes, & nova ipſi condentes. Sed veteres commemoro.

Quantae utilitati omni aetate Civitatibus fuerit eloquentia.

CAP. V.

1. PRimum omnium eloquentia efficit, ut diſerti homines ceteris praecedant, atque emineant; ut enim *hoc uno praeſtamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos, & quod exprimere dicendo ſenſa poſſumus* a, ita vere eloquentes indiſertae multitudini, velut populis Principes, ſcientia, & facundia imperant, atque antiſtant. Inde eos alii mirantur, diligunt, ad ipſos tamquam ad ſapientiae Reges convolant, eorumque patrias ſuſpiciunt, adeunt, colunt; quod Athenis quondam, ac Romae contigiſſe ſcimus, nunc vero idem in iis urbibus fieri cernimus, quae doctrina, & eloquentia commendantur.

2. Deinde bene, ſapienterque dicendi vis hoc ſemper praeſtitit, ut privatis, publicisque negotiis, praeſtantibus conſiliis, maximis deliberationibus, Civitatum paci, tranquillitati, ſaluti, & gloriae viam, rationem, praeſidia, robur, firmitatem excogitarit, patefecerit, conſtituerit; Oratoreſque adhibiti, quippe qui litterarum ſtudio, hiſtoriarum cognitione, prudentiae magnitudine florentes, re-

a. Cic. 1. de Orat. c. 8.

recte privata, & publica adminiſtrarunt, ardua expediverunt, magna, aequa, ſalubria appoſite perorantes confecerunt, pericula propulſarunt, bonis conſuluerunt, nefarios profligarunt, fauſta omnia effecerunt; ut vere dictum a Quinctiliano ſit, *qui regere conſiliis urbes, fundare legibus, emendare judiciis poſſit: non alius profecto quam Orator* [a]: quod certe Spartae Lycurgus, Thebis Epaminondas, Athenis Pericles, Plato, Demoſthenes, dum Perſarum, ac Macedonum Regum auro abſtinuit, Romae Brutus, Cicero, alii praeſtiterunt.

3. Denique hoc attulit Civitatibus eloquentia, ut artium, ac ſapientiae doctrinam, rerum geſtarum memoriam, ſummorum hominum exempla complexa ſit, conſervarit, ac poſteritati tradiderit; *quae jacerent in tenebris omnia, niſi litterarum lumen accederet* [b]: nec enim Scriptores omnes ita hominum generi profuerunt, ſed qui eleganter, diſerteque ſcripſerunt; eloquentia enim eſt veluti ſol, qui non lumen modo confert, alacritatem, & gratiam, ſed vitam, vires, ac perennitatem. Ita rudium vetuſtatis Scriptorum apud probatiſſimos vix nomina audimus, eloquentium monumentis proficimus.

4. Quis vero eloquentiae utilitatem complectatur illorum, qui vitiorum ruinam, incorruptae fidei, morumque ſanctimoniam, atque exercitationem, & divini Numinis gloriam promovent, amplificant, conſtituunt? Itaque *ſic ſtatuo: perfecti Oratoris moderatione, & ſapientia ipſius dignitatem, plurimo-*

a. Inſt. Orat. proem. b. Cic. pro Arch. c. 6.

morum, & *univerſae Reip. ſalutem maxime contineri: quamobrem pergite, Adoleſcentes, atque in id ſtudium incumbite, ut vobis honori, & amicis utilitati, & Reip. emolumento eſſe poſitis* [a].

Quanto in honore apud omnes mortales fuerit eloquentia.

CAP. VI.

1. Tantam dicendi utilitatem admirati mortales, incredibile dictu eſt quanti fecerint eloquentiam, atque Oratores. Ii enim in omni bene conſtituta Rep. velut ſapientiae Principes, praeſtantium conſiliorum parentes, miſerorum perfugium, bonorum ſolatium, improborum repreſſio, civitatum praeſidium, atque humani generis decus exiſtimati ſunt. *Murus* certe *Athenarum* dictus *Demoſthenes* [b], ac *patriae parens* [c] Cicero. Nec vero haec adepti ſunt ii tantum, qui ſua magnifice oſtentarunt, ſed ii, qui magna facere, quam ea de ſe praedicare maluerunt; quo pacto parum abfuit, quin Paullum, ac Barnabam Iconii populi adorarent, *vocantes Barnabam Jovem, Paullum Mercurium, quoniam ipſe erat dux verbi* [d].

2. Hinc tanti etiam eloquentia habita eſt. *Vigiati talentis unam Orationem Iſocrates* ven-

a. Cic. 1. de Orat. c. 8. b. Lucian. in encomio Demoſth. c. Cic. in Piſ. pro Dom., alibi, & Plin. Nat. Hiſt. l. 7. c. 30. d. Act. 14. v. 11.

vendidit [a]; Eumenio Rhetori *ſexcenta ſeſtertia merces docendi Athenis conſtituta* [b]: Demoſthenis, Aeſchinis, aliorumque Athenienſium Oratorum amicitia Perſarum, ac Macedonum Regibus optata, & magnis pretiis quaeſita; bellum potius cum Philippo, atque Alexandro ſuſcipere, quam Oratores libertati, ac ſaluti patriae conſulentes transdere Athenienſes maluerunt [c]: Athenis Reipubl. arbitri erant Oratores; Romae *due artes, quae poterant * locare homines in altiſſimo gradu dignitatis, una Imperatoris, altera Oratoris boni* [d]. Certe quot Oratores fuerunt, fere ad unum omnes Romani conſulatum adepti. Neque hac aetate inficieris *huic ſtudio maxima propoſita eſſe praemia vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem* [e].

Rhetoricae officium, ac finis: alia alii Scriptori ad illud via.

CAP. VII.

1. Rhetoricae, ex eaque *Oratoris officium eſt dicere ad perſuadendum accommodate* [f]; nimirum ad dicendum ea meditari, excogitare, conſtituere, oratione complecti, ornare, atque efferre, quae ad perſuadendum valeant: & certe, ſi ad perſuadendum appoſite dicat, officio ſuo ſatisfaciet Orator, etſi re ipſa non perſuadeat, voluntas enim hominum in Orato-

a. Plin. Nat. Hiſt. l. 7. c. 30. b. Averan. Diſſ. 12. in Cic. num 7. c. Id. ibi. * *Poſſunt*, ait Cicero; ita hic accommodavi. d. Cic. pro Muraen. c. 14. e. Id. 1. de Orat. c. 4. f. Id. ibi c. 31.

toris poteſtate non eſt, & ex pervicacia, aut indolentia poteſt obdurare. Ceterum *qui ex artis praeceptis loquitur ſemper bene dicet ad perſuadendum, ac perſuadebit* [a].

2. Scindit autem ſe illud munus, ex eoque *optimus eſt Orator, qui in dicendo animos audientium & docet, & delectat, & permovet* [b]: quae quidem audientium ignoratio, taedium, ac pervicacia poſtulant, iis enim occurrendum eſt. Nam imperiti, & rudes probare non poſſunt, nec amplecti quae non intelligunt probari, agique oportere; eos proinde magnarum, utiliumque rerum momento, optimarum artium monitis, & eruditionis ſcientia doceas. Moroſi, ac taedio affecti negligunt, aut non curant audire, ne dicam complecti; ingenioſe illos cogitatis, ornata locutione, ſuavi periodorum ambitu, & omni venuſtate delectes. Pervicaces quae multo etiam evidentiſſime commonſtrata ſint, immo quae ipſi quoque fateantur vera, maxima, optima, non raro abnuunt, ac detrectant; iſtos vero acrioribus permotionum veluti facibus debelles, atq; incendas. Si autem audientes rei, quam agas, nec inſcii, nec pertaeſi, nec abhorrentes fuerint, nec putentur, illa ipſa praeſtanda ſunt, ut inſtructi, illecti, & inflammati ex tua oratione, non ex ſua ipſorum natura prodeant.

3. Sunt tamen certa ſcribendi genera, quorum alia quidem docere potiſſimum, alia delectare, alia permovere debeant. Ita praeceptivae facultates maxime inſtruant neceſſe eſt, Critici, Interpretes, Hiſtorici, qui omnes men-

a. Aver. Diſſert. 83. in Cic. num. 2. b. Cic. de Opt. Gen. Orat. c. 1.

mentem vera, ſolidaque doctrina informant, ac ſolum veluti auſteritatis lenimentum jucunditatem admittunt. Poetae in primis delectare, & delectando prodeſſe ſibi inſtituunt, ad id vero mirabili eventorum, ornamentorumque apparatu perveniunt. Oratorum munus eſt docere, ac delectare, praecipue autem permovere: ipſorum enim, ac *Rhetoricae labor, & conatus potius in permovendo, quam docendo, aut delectando poſitus eſt; nam permotio ad perſuadendum maxime accedit, immo ipſa perſuaſio eſt, documenta vero tamquam ad motus praeparatio, & via* [a]. Univerſe omnes docent vero, delectant pulchro, & commovent bono.

Rhetoricae materia omnia praeclara ſtudia; ab ea abſunt inania, & perniciosa argumenta.

CAP. VIII.

1. Ut artis cujuſque materia eſt, *in qua omnis ars & facultas, quae conſtituitur ex arte, verſatur, ut ſi medicinae materiam dicamus morbos, ac vulnera, quod in iis omnis medicina verſatur* [b], ita Rhetoricae, ex eaque Oratoris, atque etiam ſuo in genere Hiſtorici, ac Poetae materia ſolum ſunt, quae ad tria illa genera demoſtrativum, deliberativum, atque judiciale pertinent; at ſi perfecti eſſe velint, praeclarae omnes diſciplinae, de iis enim

a. Cl. Jo. Felix Urſius epiſt. ad Platinam ante hujus Rhetoricam edita. b. Cic. 1. Inv. Rhet. c. 5.

enim ſaepe dicendum eſt: *quare nihil putem Oratoribus licere neſcire, nemo enim poterit eſſe omni laude cumulatus Orator, niſi erit omnium rerum magnarum, atque artium ſcientiam conſecutus* a.

2. Qui autem tanta ad Oratorem audis poſtulari, ne deſpondeas animum, nec inſigne iſtud diffidas, dedecet enim virum, *turpiterque deſperatur quicquid fieri poteſt* b. Quis ignorat ardua eſſe quae pulchra? at quae tam multi potuere qui non poſſis? Certe eo praeclariora, quo difficiliora; nihil autem difficile amanti. Vel in unis, quos in Rhetoricae Schola audies, Scriptoribus, inſignem plane omnium ſcientiarum doctrinam percipies; quare ſi accuratam operam audiendo, legendoque colloces, mature omnes diſciplinas primoribus certe labris libabis, pleno deinde ore hauſturus. Utcumque id ſit *praecipiamus omnia, ut ſaltem plura fiant* c. Cogita qui eris ſi Orator fias, & ratum habe, *ſi eos hortemur, quorum gloria nobis, & dignitas cara eſt, ut animo rei magnitudinem complectantur, & iis praeceptis, & Magiſtris, & exercitationibus, quibus utuntur, ſe id, quod expetunt, conſequi poſſe confidant* d.

3. Procul vero ab Oratoris materia abſunt captu nimis difficilia, recondita, & a ſenſu remota argumenta, ut quae mentis aciem quidem exercere poſſunt, non autem animum praeſertim multitudinis, quam Orator alloquitur, permovere. Ab omni autem praeclaro Scriptore argumenta inania, pernicioſa, & nefaria, at omnino certe ab Oratore fugienda, *neque*

a. Cic. 1. de Orat. c. 6. b. Quinctil. l. 1. c. 15. c. Idem ibi. d. Cic. 1. de Orat. c. 5.

enim quae mala ſunt perſuadere oportet a. Nam Rhetorica ſapientiae, integritatique inſinuandae, voluptati, ſcelerique, propulſando, paci, fauſtitati, morum diſciplinae, & religioni inſpirandae, conſtituendae, amplificandae divinitus oblata eſt: quid autem ad rem tantam arcana, vacua, & flagitioſa argumenta? qui autem fas ſit *nequitiam praeceptis*, oratione, aut ſcriptis *adjuvare* b?

Ad Rhetoricam idonea ingenia: & certa quaedam eorum indicia.

CAP. XI.

1. SUa cuique ad inſigne aliquod fere inſignis eſt a natura data facultas, ſed *in magna copia rerum aliud alii natura iter oſtendit* c. Plerique certe Oratores facti non ſunt, quod *iis quidem non omnino ingenium, ſed oratorium ingenium defuit* d.

2. Itaque oratorium ingenium id erit. Corporis, & naturae habitus igneus, ac bilioſus potius melancholico, ſanguineo, & miti temperatus. Hinc animus ingenioſus, promtus, acer, ac vehemens, ſimulque moderatus, ac prudens in cogitando, & ſcribendo, in agendoque expeditus, ac blandus, ſimulque gravis, & maturus affluere videatur.

3. Haec ingenii indoles mature erumpet, & futurus Orator vel puer cum aequalibus ſaepe aget quaſi concionaturus, in roſtra, quae ſibi ipſe inſtruxerit, conſcendet, ſegnes caſti-

ga-

a. Ariſtot. Rhet. l. 1. c. 6. tex. 36. b. Quinctil. l. 2. c. 16. c. Sall. Con. Cat. c. 2. d. Cic. in Brut. c. 29.

gabit, improbos terrebit, bonos cohortabitur ad patriae tutelam, ad religionis praeſidium, ad praeclare facta, ad nominis immortalitatem incendet. Oratores lectitans, aut audiens, ex iiſque diſcedens perorabit. Maturior in dies adoleſcens non mediocribus gloriae, atque aemulationis ſtimulis excitatus praeſtantium Oratorum facta, praemia, & ſcripta commemorabit, ſuſpiciet, optabit. Ex oblata aliqua occaſione, aut facta poteſtate quidquam dicens iam tum quoque tonabit.

4. Poeta vero qui futurus optimus maeſtus ſaepius, & cogitans incedet, alacris ipſe, atque humaniſſimus eſſe ſolitus, ſenſu velut alienatus prodibit, paſſim ſecum ipſe ratiocinabitur, auras, & fontes, & herbas, & ſidera, & placidiſſimum aerem alloqui conſueſcet, fando etiam carmina modulabitur, & fundet, Poetas legens praegeſtiet, alia ſtudia, aliosque Scriptores aggreſſus, in iisque occupatus, non ibi arreptus numine, faſtidioſus. Natura enim, quae eſt ipſum tandem divinum Numen, ut magnarum rerum adjumenta obtulit, ita foras prodit in ea tum ſane parva, ſed maxima in tempore mox futura.

5. Itaque ubi memoriae, ingenii, diſcendo, agendoque facultatis vel nulla, vel perexigua indicia affulgeant, praeſtaret ſante Adoleſcentes a ſtudio dimittere, nam *ſi accendi, aut commoveri arte poſſint, inſeri quidem, & donari ab arte non poſſunt* [a], & ad alias artes, ad quas fortaſſe nati ſerio cohortari, Apollonii Alabandenſis ſatis praeclaro exemplo, & Ciceroni in primis probato, *qui cum mer-*

a. Cic. de Orat. c. 119. 25.

mercede doceret, tamen non patiebatur, quos judicabat non poſſe Oratores evadere, operam apud ſeſe perdere, dimittebatque [a]. Exploret igitur adoleſcens ipſe ſe, aut ſapientis alicujus judicio conſtituat: *ſunt* enim *quidam, aut ita lingua haeſitantes, aut ita voce abſoni, aut ita vultu, motuque corporis vaſti, atque agreſtes, ut etiamſi ingenio, atque arte valeant, tamen in Oratorum numerum venire non poſſint: ſunt quidem ita iiſdem rebus habiles, ita naturae muneribus ornati, ut non nati, ſed a Deo facti eſſe videantur* [b]. Videant ergo ne cruciati crucient ſine fructu; *nam illud in primis teſtandum eſt, nihil praecepta, atque artes valere, niſi adjuvante natura* [c].

9. At vere judicemus, nec ſocordiam ineptitudinem vocemus. Etenim *hebetes, & indociles non magis ſecundum naturam hominis eduntur, quam prodigioſa corpora, & monſtris inſignia. Hi pauci admodum: fuerit argumentum, quod in pueris elucet ſpes plurimorum, quae cum emoritur aetate, manifeſtum eſt non naturam defeciſſe, ſed curam* [d]; nam ubi intenderis, ingenium valet. Quam multi enim aliquando prope complorati tandem excelluerunt? Nolim certe de ullo dici, *plus facultatis habuit ad dicendum, quam voluntatis* [e].

7. *Haec* autem *omnia*, quae ad eloquentiam deſiderantur, *quatuor* * *rebus aſſequi poterimus, natura, arte, imitatione, & exercitatione* [f]: quae ſingula deinceps conſtituentur: artis quidem toto opere, naturae autem perficien-

a. Cic. 1. de Orat. c. 28. b. Idem ibi c. 25. c. Quinct proem. Inſtit. Orat. d. Idem lib. 1. c. 1. e. Cic. in Bruto c. 70. * *Tribus* ait textus, quod naturam omittit, at eam Cicero, & Quinctil. poſtulant loc. cit. f. Idem ibi.

ficienda inſtrumenta ſecundo libro, imitationis, atque exercitationis in hoc primo.

Artis natura: genera: & officia.

CAP. X.

1. ARs, ſi generatim quaeramus, eſt certa, & conſtans rei bene faciendae ratio; ſive ars eſt, *quae cognitis, penituſque perſpectis, & in unum exitum ſpectantibus, & numquam fallentibus rebus continetur* [a]: ſi autem ſingulatim ad rem noſtram, ars eſt bene, ornate, efficienterque dicendi doctrina.

2. Haec vero alia aperta eſt, alia latens [b]. Aperta quicquid dicendo efficit palam prodit, ac ſaepe oſtentat, aut certe ita offert, ut facile induſtria, & ſtudium appareat, dum cuncta conſpicuis ornamentis diſtinguit, ut primo ſtatim aſpectu afficiat, delectet, ac tamquam feriat. Id ſolent efficere breves, acutae, admirabileſque ſententiae, praeſertim crebro conjectae, ingenioſe cogitata, & animadverſa, ſplendidae, ac vehementiſſimae figurae, quaeſitae, atque operoſae locutiones, & ejus generis ſatis multa. Ea fere eſt ars utriusque Senecae, utriuſque Plinii, Taciti, Lucani, Claudiani, atque univerſe Scriptorum poſt Auguſtum, minus tandem laudabilis, non damnanda, dum ſana contineat. Ars vero latens res omnes, licet operoſe excogitatas, ita elaborat, ac proponit, ut facili, nativa, & tamquam ſeſe offerente ratione cogitata, ac facili, nativa, arque obvia luce illu-

a. Cic. 1. de Orat. c. 20. b. Vide Murat. Perf. Poeſ. Ital. l. 1. c. 13.

luminata, nulla autem pompa, ac prope nullo ſtudio, ut nulla arte ſcripta eſſe videantur. Haec ſane optima, ac Ciceronis, Caeſaris, Nepotis, Virgilii, Horatii, illiuſque aureae aetatis Scriptorum propria eſt: ad eamque pervenitur res penitus, & cumulate cogitando, earum indole inſpecta omnia aſſumendo, quae facilia ea reddant, ac naturam ſequendo, non extorquendo; omnium maxime optimos legendo, admirando, inſpiciendo, imitando, & ad eorum effigiem ſcribendo, atque omni contentione exprimendo. Ars latens ſumma artis perfectio eſt, immo *dicentium ars prima eſt, ne ars eſſe videatur* [a], artem enim celare ſumma ars eſt. Utriuſque autem exempla lib. 2. c. 1.

3. Artis denique officia ſunt ea omnia univerſe praecipere, & conſtituere, quae ſingillatim judicium, ac prudentia ſequi, & polire jubeat: *in praeceptis enim hanc vim, & hanc utilitatem eſſe arbitror, non ut, ad reperiendum quid dicamus arte ducamur, ſed ut ea, quae natura, quae ſtudio, quae exercitatione conſequimur, aut recta eſſe confidamus, aut prava intelligamus, tum quo referenda ſint didicerimus* [b]. Eorum capita toto opere attinguntur.

De imitatione; ejuſque utilitate.

CAP. XI.

1. IMitatio eſt ingenioſa, ac liberalis induſtria, qua optimorum optima exprimentes,

a. Quinctil. l. 1. c. 19. b. Cic. 2. de Orat. c. 57.

tes, quaſi in noſtra convertimus, *ut imitari ſit, quem probes, in eo quae maxime excellant, diligentiſſime perſequi* [a].

2. Maxima eius utilitas: *neque enim dubitari poteſt, quin artis pars magna contineatur imitatione* [b]: tam multa enim praeclara, quae a ſummis viris ſcripta ſunt, noſtra quaſi fiunt, ſi rite imitemur: itaque *: ut invenire primum fuit, eſtque praecipuum, ſic ea, quae bene inventa ſunt, utile ſequi* [c]; eloquentiam certe ingredientibus prope unicum, nam ita a natura comparati ſumus, ut *quae probamus in aliis, ipſi facere velimus* [d]; atque ita primum quidem imitamur, deinde addimus, poſtremo egregia, nova, & mira edimus, *nam frequens imitatio tranſit in mores* [e].

3. Certa tamen, & diligens cautio adhibenda eſt. Primum omnium nec mala, nec mediocria, ſed optima, & maxima imitari opus eſt, nam qui avide potius, quam generoſe imitantur, *plerumque declinant in peius, & proxima virtutibus vitia comprehendunt, fiuntque pro grandibus tumidi, preſſis exiles, fortibus temerarii, compoſitis exſulantes, ſimplicibus negligentes* [f]. Quocirca *hoc ſit primum in praeceptis meis, ut quae maxime excellant in eo, quem* adoleſcens *imitetur, ea diligentiſſime perſequatur* [g]. Deinde ne ſola imitatione nitatur, nam *imitatio per ſe ipſa non ſufficit, & pigri eſt ingenii contentum eſſe iis, quae ſint ab aliis inventa* [h]. Audendum itaque, & ad magna ſibi iter aperiendum eſt.

Quo

a. Sigon. de Dial. c. 2. b. Quinctil. l. 10. c. 2. c. Idem ibi. d. Id. ibi. e. Id ibi. f. Id. iterum ibi. g. Cic. 2. de Orat. c. 22. h. Quinctil. loco cit.

Quo pacto aliena ita imiteris, ut aemulari id ſit, aut perficere, non tranſcribere, aut ſuffurari.

CAP. XII.

1. Imitandi vero plures formae ſunt: quarum prima eſt, omniumque facillima, nec inutilis ad eloquentiam aggredienti, ut in oratione ſimillimam ſententiam perſequaris, paullulum immutatis verbis, ac locutionibus. Haec in eorum ſpecimen, quamquam ii, quos alium imitatos putare videar, fortaſſe eum nec legerint, nec ſcribentes cogitarint. Ter. Phorm. act. 2. ſc. 4. *Suus cuique mos.* Cic. 5. Tuſcul. c. 22. *ſuum cuique pulchrum eſt: te tua, me delectant mea.* Sal. Con. Cat. c. 2. *Sua cuique ſatis placebant.* Virg. ecl. 3. v. 65. *Trahit ſua quemque voluptas.* Demoſth. in epiſt. *Omnis ſerii dicti, & facti a Diis immortalibus initium capiendum eſſe cenſeo.* Cic. in 2. de leg. c. 3. *A Diis immortalibus ſunt nobis capienda primordia.* Virg. ecl. 3. v. 60. *Ab Jove principium Muſae.*

2. Altera imitationis ratio paullo utilior eſt, ut in accepta ab alio ſententia, aut etiam verbis varietatem aliquam inducas, ut vel idem dicas aliis verbis, alia figura, ad aliam rem, vel omnino aliud contendas. Plato in Menex. *Praeclarum in bello occumbere* *. Virg. 2. Aen. v. 317. *Pulchrumque mori ſuccurrit in armis.* Aeſch. in Cteſiph *Non in-*

ge-

* Ex interp. Marſil. Ficin.

genium, ſed locum tantum mutavit * . Cic. pro Quinct. c. 3. *Fit magna mutatio loci, non ingenii*. Herod. Hiſt. l. 3. *Noli malo mederi malo*. ** Caeſ. Bel. Civ. l. 1. c. 81. *Praeſenti malo aliis malis remedia dabantur*. Hor. l. 1. od. 2. v. 45. Auguſtum alloquens *Serus in caelum redeas, diuque Laetus interſis populo Quirini; Hic ames dici Pater, atque Princeps*. Mart. lib. 13. ep. 5. *Serus ut aetheria* *** *Germanicus imperet aula, Utque diu terris, da pia thura Jovi*. Tibul. l. 1. eleg. 10. *Quis fuit horrendos primus qui protulit enſes? Quam ferus, & vere ferreus ille fuit! Tunc caedes hominum generi, tunc praelia nata: Tunc brevior dirae mortis aperta via eſt*. Hor. lib. 1. od. 3. v. 9. *Illi robur, & aes triplex Circa pectus erat, qui fragilem truci Commiſit pelago ratem Primus, nec timuit praecipitem Africum Decertantem Aquilonibus. Quem mortis timuit gradum?* & quae ſequatur.

3. Tertia eſt, ut ad rem ſuam aliquid addat, illuminet, & perficiat, ut imitatum ſuperet imitator: haec autem aemulatio eſt proprie, & vera imitatio, & multo ſane praeſtantior, *qui enim agit, ut prior ſit, ſi non tranſierit, aequabit* [a]. Haec ſint exemplo. Cic. 1. Cat. c. 5. *Magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus interſit*. Hor. l. 3. od. 3. v. 37. *Dum longus inter ſaeviat Ilium Romamque pontus*. Demoſth. pro Cteſiph. *Graecis omnibus declaraſtis, Athenienſes, cum ſalus, aut libertas periclitari coeperit, vos inju-*

* Ex interpr. Lambin. ** Ex interpr. Laur. Vallae. *** *Aetherium*, non *aethereum* ſcribendum ex vett. libb., & Virg. Carp. advertit Manut. in Ortogr.
a. Quinctil. l. 10. c. 2.

injuriarum oblivifci, & ſi autem praeclarum fuit conſervaſſe vos Euboeam, *illud tamen multo praeclarius, quod redactis in veſtram poteſtatem & civibus, & oppidis, ea reddidiſtis illis ipſis, qui in vos deliquerunt, nulla injuriarum, cum in fidem veſtram confugiſſent, habita ratione* *. Audi quam praeclare id ornet, ac perficiat Cic. pro Marc. c. 3. *Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes; ea tamen viciſti, quae & naturam, & conditionem, ut vinci poſſent, habebant: verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adverſarium nobilitate, ingenio, virtute praeſtantem non modo extollere jacentem, ſed etiam amplificare ejus priſtinam dignitatem, haec qui faciat, non ego eum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo judico*.

4. Quartum imitationis genus, omnium optimum, eſt ut imitati verba, locutiones, lumina, ipſorum gratia, & amplitudo, rerum apparatus, eruditio, argumentorum vis, motuum faces, omnes denique eloquentiae perfectiones in imitante exſtent ſane, atque emineant, nec factum videatur. Ad id vero pervenies accurate omnia intuens, perpendens, ſuſpiciens, ac guſtans; initio fortaſſe vix pauca, & minima, mox non aegre plura, & majora, demum etiam multa, & maxima irritando aſſequeris. Certe Cicero ipſe, *cum ſe totum ad imitationem Graecorum contuliſſet, effinxit vim Demoſthenis, copiam Platonis, jucunditatem Iſocratis* [a]. Atque id quidem laudabile; *vera enim imitatio eſt, quae*

* Ex interpr. Hieron. Wolph. a. Quinctil. l. 10. c. 2.

Scriptorum artem, atque animum cernit, atque exprimit, non quae verba, locutiones, periodos, & ſententias advocat, & tranſcribit [a]. Quamobrem *Terentium*, *Virgilium*, Horatium, Caeſarem, Ciceronem, Nepotem *animi gratia diu noctuque volve, perpende, admirare, familiares tibi effice, ad rem, & ab re eos appella, eos recita, eos modulare, memoriae commenda, in tuam linguam converte, nec eos umquam depone* [b]; ex iis enim animus fecundatur, & ſi *ſimilem raro natura praeſtat, frequenter imitatio* [c].

Scriptorum cum fructu legendorum brevis ratio.

CAP. XIII.

1. LItterarum, atque eloquentiae ſtudia ingreſſus, ut agas quod agis, ex eoque fructum capias, neceſſe eſt expendas, atque aſſequaris quae legis. Ad id pervenies, ſi ad principes Rhetoricae partes Auctores revocabis, inventionem, diſpoſitionem, elocutionem, permotiones, eloquentiae perfectiones, & proprias certae illius lucubrationis leges.

2. Quod igitur ad inventionem attinet, vim argumenti animadverte, ſeu quam certa ratione, & conſtanti id Auctor confirmet, quod perſuadendum ſibi propoſuit. Veriſſima, & quae labefactari non poſſint optimos excogitare, atque afferre ſuſpicies. Deinde quot rationes

D in

a. Juſtus Fontaninius de Ital. Eloq. c. 4. b. Jo: Caſa epiſt. ad Andream Oricellarium ſororis ſuae filium, quam ſic latine verti. c. Quinct. l. 10. c. 2.

in eo ipſo uno argumento includant, quot diſciplinarum ſemina, quot eruditionis capita, quot morum monita, quam orationis vim, amplitudinem, ſuavitatem, aſperitatem, ſpiritum, facilitatem, quot permotiones. Quantum ad diſpoſitionem, verba ipſa quomodo ſint collocata, & quantum non modo ad elegantiam, ad perſpicuitatem, & ad numerum illa conferant, ſed etiam ad amplitudinem, & efficientiam perpende. In elocutione vide verborum proprietatem, ſignificationem, & vim, in eoque plane ſtatues praeclaros Scriptores pulcherrima, atque efficaciſſima ad rem propoſitam adhibuiſſe, ut melius, aut efficientius aptare ne unum quidem poſſis. Tum verborum omnia lumina, & belle dicta; quae memoriae commendare ne gravate feras: *linguae enim, quaecumque ſint, in vocibus, vocumque inter ſe copulatione ſunt poſitae, ac propterea qui linguas tenere velit, eas addiſcat; & memoriae commendet neceſſe eſt* [a], & ſi qua ſunt ejus linguae propria, nec cum ceteris communicanda. Poſtremo an Oratoris, an Hiſtorici, an Poetae monumenta volvas, & ſingulorum propria attendes. Si ita legas, fructum capies ſingularem.

3. Si legas, ut aliquo exemplo fiat notius quod dictum eſt, hoc Ciceronis pro Archia c. 6. *Quaeres a nobis, Gracche, cur tantopere hoc homine delectemur? Quia ſuppeditat nobis, ubi & animus ex hoc forenſi ſtrepitu reficiatur, & aures convicio defeſſae conquieſcant. An tu exiſtimas aut ſuppetere nobis poſſe, quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum, ni-*

ſi

a. Jo: Caſa epiſt. ante laudata.

ſi animos noſtros doctrina excolamus? aut ferre animos tantam poſſe contentionem, niſi eos doctrina eadem relaxemus? ego vero fateor me his ſtudiis eſſe deditum. Ceteros * *pudeat, ſi qui ita ſe litteris abdiderunt, ut nihil poſſint ex his neque ad communem afferre fructum, neque in aſpectum, lucemque proferre. Me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, Judices, ut ab illis nullo me umquam tempore aut commodum, aut otium meum abſtraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique ſomnus retardarit? Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi jure ſuccenſeat, ſi quantum ceteris ad ſuas res obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipſam requiem animi, & corporis conceditur temporis, quantum alii tribuunt tempeſtivis conviviis, quantum denique aleae, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec ſtudia recolenda ſumſero?* Si, inquam, haec legas, omnium primum verae, vigentiſque orationis nervos, ac ſanguinem perpende, nempe humanioribus ſtudiis, ac Muſarum amoenitatibus dicendi materiam, & copiam ſuppeditari, ali, atque illuſtrari; ex eo autem ad illud ipſum confirmandum, atque ornandum appoſite, tamquam argumenti vi eo rapiente, arreptam facultatem honeſtiſſima ratione ad eos commendandos, qui ſe ab omni voluptate abſtraxerint, ut in litteris excellant, & litteras ad communem omnium utilitatem quaſi conſecrent, ſimulque ad eos deſpiciendos, qui nec litteris nomen obtineant, nec litteris rudi, ac periclitanti populo opi-

D 2 tu-

* *Cetera*, & inde orta ſine diphthongo ex vett. libb. & codd. ſcribit Manut. Muret. alii

tulentur. Eruditionem quoque adverte: litteras a vitiis hominem vindicare, ac vere litteratos ſapientiam ſuam ad communem fructum deſtinare. Omitto verborum proprietatem, gratiam, vim, collocationem, elegantes locutiones, periodorum ambitum, numerum, & figuras, nam facile intueris. Non omitto lucubrationis decorum: oratio eſt, ideo ampla, vehemens, ornata. Si epiſtola eſſet, aut hiſtoria, brevius omnia, ſimplicius, moderatiusque dixiſſet.

Exercitatio: ejus utilitas: & ratio.

CAP. XIV.

1. Exercitatio *eſt aſſiduus uſus, conſuetudoque dicendi* a, ut quidquid audieris tibi praeceptum, aut legendo ſuſpexeris, aut cogitando utile intellexeris, dicendo, ſcribendoque perficias.

2. Ejus multo maxima utilitas, nam *uſus frequens eſt, qui omnium Magiſtrorum praecepta ſuperet* b, planeque eloquentem faciat; nam conſtat *eſſe non eloquentiam ex artificio, ſed artificium ex eloquentia* c natum, certe ſine uſu inanes tandem omnes Doctorum labores. Quocirca *exercitatio quaedam ſuſcipienda vobis eſt* d, atque efficiendum, ut praecepta habendae lucubrationi facem praeferant, & habita lucubratio praeceptorum exemplum ſit.

3. Ad totum autem exercitationum genus perficiendum illud accedat, ut quidquid facias

a. Auct. ad Her. l. 1. c. 2. b. Cic. 1. de Orat. c. 4. c. Id. ibi c. 32. d. Id. ibi.

cias recte facias: ſiquidem *multos fallit, quod audierunt, dicendo homines, ut dicant, efficere ſolere: vere enim etiam dicitur, perverſe dicere homines perverſe dicendo facillime conſequi* a.

4. Plures autem ſeſe exercendi rationes ſunt. Eloquentiam ingreſſo facile eſt prima, ut ſtatim ſelectas figuras, ſelectas permotiones, ſelectas orationis perfectiones, aut partes certe adumbret, totum aliquod deinceps elaboraturus: ita enim omnes facere conſueverunt, qui aut pingere, aut ſculpere doceant, & initio minores operis partes moliri jubere, ac deinceps totam ipſam aut imaginem, aut ſtatuam; a parvis enim ad magna iter aperitur. Tum altera eſt in iis effingendis lucubrationibus, quas Aphthonius cum amplificandae orationis, tum exercitationis gratia veterum Doctorum praeceptis addidit, & progymnaſmata * nuncupavit, & ſunt certe juſtae orationis aliquando conficiendae ſimulacrum. Tertia erit ſatis iam progreſſo eas orationes habere, quas extremo libro adducam.

Narratio: ejus genera: virtutes: ſingulorumque exempla.

CAP. XV.

1. VEnio nunc ad Aphthonii exercitationes; attingam vero tantum principes, nam, ut feci aliis locis, & faciam, *dicam non quae invenero, ſed quae placebunt* b.

D 3 Nar-

a. Cic. de Orat. c. 33. * Quaſi ad juſtam orationem proluſiones; &, ut quidam dixere, praeexercitamenta. b. Quinctil. l. 2. c. 16.

2. Narratio *eſt rerum geſtarum*, cum narrantur quae vere contigerunt, ut Hiſtoricus, atque Orator facit, *aut ut geſtarum*, ſi narres quae ipſe finxeris, ut ferme Poetae, ac ſemper fabulatores, *expoſitio* *.

3. Itaque narratio eſt hiſtorica, oratoria, poetica, & fabuloſa. Hiſtoricus rem exponit, ut plane ea contigit, ad ejusque perfectionem explanat hominum, qui rem geſſerint, ſeveritatem aut manſuetudinem, ſapientiam aut inſcitiam, ſanctimoniam aut improbitatem, conſilium aut temeritatem, denique omne eorum ingenium, itemque locorum, temporum, ſociorum, hoſtium facultatem, admiſcet perſonarum orationes, ac rerum deſcriptiones, ut facta commemoret, non ut perſuadeat, niſi cum Oratorem agit. En tibi exemplum ex Caeſ. Bell. Gal. l. 5. c. 44. *Erant in legione fortiſſimi viri Centuriones T. Pulſio, & L. Varenus, ii perpetuas controverſias inter ſe habebant, uter alteri anteferretur, omnibusque annis de loco ſummis ſimultatibus contendebant. Ex iis Pulſio, cum acerrime ad munitiones pugnaretur; quid dubitas, inquit, Varene? aut quem locum probandae virtutis tuae expectas? hic dies de noſtris controverſiis judicabit. Haec cum dixiſſet, procedit extra munitiones, & quae pars hoſtium confertiſſima viſa eſt, in eam erumpit. Ne Varenus quidem tum vallo ſe ſe continet, ſed omnium veritus exiſtimationem ſubſequitur mediocri ſpatio relicto. Pulſio pilum in hoſtes mittit, atque unum ex multitudine procurrentem transjicit; quo percuſſo, & exanimato, hunc ſcutis protegunt hoſtes, & in illum*

* Cic. Inv. Rhet. l. 1. c. 19.

lum univerſi tela conjiciunt, neque dant egrediendi facultatem. Transfigitur ſcutum Pulfioni, & verutum in balteo defigitur. Avertit hic caſus vaginam, & gladium educere conantis dexteram moratur manum, impeditumque hoſtes circumſiſtunt: ſuccurrit inimicus illi Varenus, & laboranti ſubvenit. Ad hunc ſe confeſtim a Pulfione omnis multitudo convertit. Illum veruto transfixum arbitrantur. Varenus gladio cominus rem gerit, atque uno interfecto reliquos paullum propellit: dum cupidus inſtat, in locum inferiorem dejectus concidit. Huic rurſus circumvento fert ſubſidium Pulfio, atque ambo incolumes, compluribus interfectis ſumma cum laude ſeſe intra munitiones recipiunt. Sic fortuna in contentione, & certamen utrumque verſavit, ut alter alteri inimicus auxilio, ſalutique eſſet, neque judicari poſſet, uter utri virtute anteferendus videretur.

4. Orator narrat, ut perſuadeat, atque adeo illa eadem praeſtat quae Hiſtoricus, ac praeterea res copioſius dilatat, accuratius cogitat, ac perpendit, decenter ornat, & omnium maxime acrius contendit, & permotionibus tamquam armat. Talis haec Cic. 2. Phil. c. 34. *Sed ne forte ex multis rebus geſtis M. Antonii rem unam pulcherrimam tranſiliat oratio, ad Lupercalia veniamus. Non diſſimulat P. C. apparet eſſe commotum: ſudat, pallet: quidlibet, modo ne nauſet, faciat. Quae poteſt eſſe turpitudinis tantae defenſio? cupio audire. Sedebat in roſtris collega tuus, amictus toga purpurea, in ſella aurea, coronatus: adſcendis: accedis ad ſellam: ita eras Lupercus, ut te eſſe Conſulem meminiſſe*

deberes. Diadema oſtendis: gemitus toto foro. Unde diadema? non enim abjectum ſuſtuleras, ſed attuleras domo meditatum, & cogitatum ſcelus. Tu diadema imponebas cum plangore populi, ille cum plauſu rejiciebat. Tu ergo unus, ſcelerate, inventus es, qui cum auctor regni eſſes, eum, quem collegam habebas, dominum habere velles, & idem tentares, quid Populus Rom. ferre, & pati poſſet.

5. Poeta ingenioſiſſime cuncta fingit, atque ornat, ut qui delectare maxime debeat, ideoque nunc rem omnem ex ingenio molitur, nunc partem rei geſtae accipit, eique ſua inventa accommodat, ac venuſtiſſime inſtruit: quibus fit, ut ejus narratio eo melior, quo ingenioſior. Praeclara haec Virg. 2. Aen. v. 201.

Laocoon ductus Neptuno forte Sacerdos
Solemnes taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta
(Horreſco referens) immenſis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad littora tendunt.
Pectora quorum inter fluctus arrecta, jubaeque
Sanguineae exſuperant undas, pars cetera pontum
Pone legit, ſinuatque immenſa volumine terga.
Fit ſonitus ſpumante ſalo, jamque arva tenebant,
Ardenteſque oculos ſuffecti ſanguine, & igni
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
Diffugimus viſu exſangues: illi agmine certo
Laocoonta petunt, & primum parva duorum
Corpora natorum ſerpens amplexus uterque
Implicat, & miſeras morſu depaſcitur artus.
Poſt ipſum auxilio ſubeuntem, ac tela ferentem
Corripiunt, ſpiriſque ligant ingentibus, & jam
Bis medium amplexi, bis collo ſquamea circum

Terga dati ſuperant capite, & cervicibus altis: & quae ſequuntur.

9. Fabulator omnium breviſſime, ac ſimpliciſſime eo narrat ſolum curſu, quo per feſtivam illam fictionem documenti auſteritatem molliat, moreſque inſtituat. Audi perelegantem Phaedrum l. 4. fab 4.

Equus ſedare ſolitus quo fuerat ſitim,
Dum ſeſe aper volutat, turbavit vadum.
Hinc orta lis eſt: ſonipes iratus fero
Auxilium petiit hominis: quem dorſo levans
Rediit ad hoſtem: jactis hunc telis eques
Poſtquam interfecit: ſic locutus traditur.
Laetor tuliſſe auxilium me precibus tuis;
Nam praedam cepi, & didici quam ſis utilis.
Atque ita coegit frenos invitum pati.
Tum maeſtus ille: parvae vindictam rei
Dum quaero demens, ſervitutem reperi.

Mirum in modum lepida, & utilis, nam, *ſi vindictae ſtudium Philoſophus damnet, creditur umbraticus homo conſulere timori ſuo: dum Phaedrus equo iſto deſcripto, qui hominem armavit adverſus aprum, placet narratiuncula, perpenditur imbibitur* [a]; quod ſibi fabulator inſtituit.

7. Quatuor vero ſunt narrationis virtutes, ut *brevis, ut dilucida, ut veriſimilis ſit* [b], & ſuavis, nam *ut dilucide, probabiliterque narremus neceſſarium eſt, ſed aſſumimus etiam ſuavitatem* [c]. Brevis ea narratio eſt, in qua nihil redundat, & cujus ſingula etiam verba inſigne aliquid continent, quod rem praeclare aut oſtendat, aut commendet. Praeſertim vero eſt brevis, ſi *unde neceſſe eſt, inde initium ſumetur, in quo non longius quam quoad ſcitu opus eſt, procedetur, in qua*

ex

a. Facciolatus Orat. 9. b. Auct. ad Her. lib. 1. c. 9. c. Cic. Partit. Orat. c. 9.

ex eo quod dictum ſit, id quod dictum non ſit, intelligatur [a]. Poſtulat vero ingenioſas ſubinde ſententias, acute dicta, & animadverſa: & certe narratio ita ſit brevis, ut omnium minime ſit obſcura, & ſi quid in ea ſit peccandum, *ſatius aliquid eſt narrationi ſupereſſe, quam deeſſe* [b]. Brevis, ſatisque ornata haec Flori l. 3. c. 3. *Marius mira velocitate occupatis compendiis praevenit hoſtem, prioresque Teutonos ſub ipſis Alpium radicibus aſſecutus praelio oppreſſit: vallem, fluviumque hoſtes tenebant, noſtris aquarum nulla copia: conſultone id egerit Imperator, an errorem in conſilium verterit dubium: certe neceſſitate acta virtus cauſſa victoriae fuit; nam flagitante aquam exercitu, viri, inquit, eſtis, en illic habetis: itaque tanto ardore pugnatum eſt, eaque caedes hoſtium fuit, ut victor Romanus de cruento flumine non plus aquae biberit, quam ſanguinis barbarorum.*

8. Perſpicua eſt narratio, quae ita apertis, perſpicuiſque verbis conſtat, ut plane conſpiciatur, nec modo intelligi, ſed cerni videatur, nulla verborum ambiguitate, nulla orationis luxuria, & in qua *ut quidque primum geſtum eſt, ita primum exponetur, & rerum, ac temporum ordo ſervabitur, ne quid perturbate, ne quid contorte dicatur, ne quid, quod ad rem pertineat, praetereatur* [c]. Aperta ſane haec Virg. ecl. 3. v. 13.

Chromis, & Mnaſylus in antro
Silenum pueri ſomno videre jacentem,

In-

a. Cic. 1. Inv. Rhet. c. 20. b Quinct. l. 4. c. 2.
c. Cic. 1. Inv. Rhet. c. 20. iiſdemque prope verbis Auct. ad Her. l. 1. c. 9.

Inflatum heſterno venas, ut ſemper, jaccho.
Serta procul tantum capiti delapſa jacebant,
Et gravis attrita pendebat cantharus anſa.
Aggreſſi, nam ſaepe ſenex ſpe carminis ambos
Luſerat, injiciunt ipſis ex vincula ſertis.
Addit ſe ſociam, timidiſque ſupervenit Aegle,
Aegle Najadum pulcherrima: jamque videnti
Sanguineis frontem moris, & tempora pingit.
Ille dolum ridens, quo vincula nectitis? inquit:
Solvite me pueri, ſatis eſt potuiſſe videri:
Carmina quae vultis cognoſcite.

9. Probabilitas in narrationis virtutibus adſciſcitur poeticarum narrationum gratia, & cum res aut vetuſtate, aut Scriptorum in diverſa trahentium diſſenſione exploratae non ſunt: tum ergo ſimilitudo veri affulgeat; ac probabilis *erit narratio, ſi in ea videbuntur ineſſe, quae ſolent apparere in veritate, ſi perſonarum dignitates ſervabuntur, ſi cauſſae factorum exſtabunt, ſi fuiſſe facultates faciundi videbuntur, ſi res & ad eorum, qui agent, naturam, & ad opinionem accommodabitur* [a]. Ita inſpecto avarorum ingenio, & prava cupiditate probabilis eſt haec Auſonii ficta narratio epigr. 22.

Qui laqueum collo nectebat, repperit aurum:
Theſaurique loco depoſuit laqueum.
At qui condiderat, poſtquam nō repperit aurum,
Aptavit collo quem reperit laqueum.

10. Qnarta, & facile princeps narrationis virtus eſt ſuavitas, eamque conciliant hominum deſcripti mores, conſiliorum rationes, perſonarnm colloquia, locorum, ac temporum natura, mitiores permotiones, nam *ſuavis*

a. Cic. 1. Inv. Rhet. c. 21. eodemq. ſenſu Auct. ad Her. lib. 1. c. 9.

vis narratio eſt, quae habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos, dolores, iracundias, metus, laetitias, cupiditates a, rerum hypotypoſes, earum perinde ac nunc gerantur deſcriptiones. In earum ſpecimen praeclaram hanc Tullii habe 5. Tuſcul. c. 21. de Damocle Dionyſii Syracuſarum Tyranni aſſentatore. *Cum Damocles commemoraret in ſermone copias ejus, opes, majeſtatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam aedium regiarum, negaretque umquam beatiorem quemquam fuiſſe: viſne igitur, inquit, o Damocle, quoniam haec te vita delectat, ipſe eamdem degustare, & fortunam experiri meam? Cum ſe ille cupere dixiſſet, collocari juſſit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo, textili ſtragulo, magnificis operibus picto, abacoſque complures ornavit argento, auroque caelato. Tum ad menſam eximia forma Pueros delectos juſſit conſiſtere, eoſque ad nutum illius intuentes diligenter miniſtrare. Aderant unguenta, coronae, incendebantur odores, menſae conquiſitiſſimis epulis exſtruebantur. Fortunatus ſibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium e lacunari equina ſeta appenſum demitti juſſit; ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos adminiſtratores aſpiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in menſam: jam ipſae defluebant coronae, denique exoravit Tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet eſſe. Satiſne videtur declaraſſe Dionyſius nihil eſſe ei beatum, cui ſemper aliquis terror impendeat?*

Fa.

a. Cic. Partit. Orat. c. 9.

Fabula: ejus utilitas: partes: atque artificium.

CAP. XVI.

1. Fabula eſt *ſermo falſus veritatem effingens* [a]; mendacio enim illo certam continet veritatem: nam falſum eſt, exempli cauſſa, Gygantes illos Olympo Oſſam, Oſſaeque Pelium impoſuiſſe, ut bellum Jovi inferrent, ut eum caelo dejicerent, eamque ob rem de caelo tactos; at plane verum eſt, nefariam gentem fuiſſe, atque etiam eſſe, quae Deum Opt. Max. viribus ex eo acceptis violare, ac petere non dubitarit, illamque ſempiternis ſuppliciis vivam mortuamque mactatam.

2. Triplex eſt fabula. Una enim ab homine rationis participe aliquid factum, aut dictum fingit, ut a ſene illo apud Aeſopum, qui ex gravi morbo ſe moriturum intelligens liberos ad ſe advocavit, ac virgarum faſciculum maximo natu frangendum obtulit; is vero fruſtra expertus ceteris permiſit; & cum nemo unus frangeret, iterum natu maximum affatus Pater, cape unam, inquit, & frange, quam cum ille facile, ac deinde ceteri ordine fregiſſent, ita & vos, retulit ſenior, ſi inter vos congruetis, fortes, atque invicti eritis, ſi ab altero alter abeat, omnes ruetis. Altera brutorum ingenia exprimit, eiſque colloquia, & facta accommodat ad informandos homines qualis haec Phaedr. lib. 1. fab. 1. *Ad*

a. Aphth. de fab. c. 1. ex interp. Rodulphi Agricolae.

Ad rivum eumdem Lupus, & Agnus venerant
Siti compulſi: ſuperior ſtabat Lupus,
Longeque inferior Agnus; tum face improba
Latro incitatus jurgii cauſſam intuit.
Cur, inquit, turbulentam mihi fecisti aquam
Iſtam bibenti? Laniger contra timens:
Qui poſſum, quaeſo, facere quod quereris Lupe?
A te decurrit ad meos hauſtus liquor,
Repulſus ille veritatis viribus,
Ante hos ſex menſes, ait, maledixiſti mihi.
Reſpondit Agnus, equidem natus non eram.
Pater hercle tuus, inquit, maledixit mihi:
Atque ita correptum lacerat injuſta nece.
Haec propter illos ſcripta eſt homines fabula,
Qui fictis cauſſis innocentes opprimunt.

Tertia eſt, quae hominum, ac brutorum ſimul indolem, ſermonem, & facta conjungit; qualis ea, qua Demoſthenes uſus eſt, Paſtores cum lupis convenientes commentus, ut canes jurgiorum cauſſam interficerent, iisque ſublatis, greges a lupis laceratos, ut Philippum illum Macedonem ſignificaret Athenienſium remp. everſurum, ſi ei, ut petierat, Oratores imperii tutela dederentur.

3. Fabularum utilitas primis earum auctoribus ea fuit, ut illa ipſa eadem morum, ac vitae monita traderent, quae optimae rradunt diſciplinae, ſed ita ut populo etiam perciperentur, altiuſque animis ſederent, caſtigata atque emollita documentorum ſeveritate per fabularum involucra, & diſſimulatae praeceptionis inſtitutionem. Nam

Nec aliud quicquam per fabellas quaeritur,
Quam corrigatur error ut mortalium [a],

Nec jucundius potuit audiri, nec avidius quaeri,

a. Phaedr. prolog. l. 2.

ri, quam humaniſſimo mendacio concluſa', & blandiſſime oblata veritas; immo ea ratione eo libentius, conſtantiusque excepta eſt, quo blandius propoſita. Etenim *Si quis a Zenone contendat aurum habenti nocere, quis patienter audit? quis ſtoicam ſeveritatem non accuſat: at ſi hoc idem Phaedrus per apologum Muli a latronibus ſpoliati eleganter, teſteque ingerat, accipitur, & probatur* [a]. Nobis vero eſt ad juſtam orationem proluſio.

4. Fabulae partes ſunt fictae rei perſpicua, brevis, probabilis, & ſuavis narratio, ejuſdemque fictae rei interpretatio, ſeu quid ſignificet fabula.

5. Artificium denique, quo nobis fabula elaboratur, ampliorique oratione exponitur, ſunt haec capita: exordium, ſeu laus aut auctoris fabulae, quam ſcribas, aut totius generis fabularum, aut eorum caſtigatio, qui ultro fabulas traducunt, non ſatis earum natura animadverſa: fabulae interpretatio paullo uberius enarrata: mores eorum, qui in fabula deſcribuntur ſingulorum ingenio accommodati, aperti ingenuo, diſſimulati aſtuto, ſuperbo arrogantes, humiles timido: ſimilitudo, quae monitum, atque interpretationem confirmet: atque epilogus, & quaſi cohortatio ad id fugiendum, aut complectendum, quod per fabulam ſignificatum eſt. Alii haec capita hoc verſu complexi ſunt:

Laus, monitum, mores, ſermo, collatio, finis.

Ora

a. Facciol. orat. 9. Locus Phaedr. l. 2. fab. 7.

Chria: *ejus genera*: *utilitas*: *artificium*.

CAP. XVII.

1. CHria eſt brevis commemoratio alicujus perſonae dictum, vel factum apte referens amplificandum.

2. Earum aliae in verbis poſitae ſunt; ut Annibalis Romae expugnationem jam deſperantis, *cum potui noli, cum volui non potui* [a] aut Veſpaſiani Caeſaris, cum interdum beneficium ſeſe eo die nullum contuliſſe recordatus, *amici diem perdidi* [b]; aliae in facto, ut Pythagoras interrogatus quanta eſſet hominum vita, paullulum ſe conſpiciendum dedit, deinde e conſpectu ſe ſuſtulit [c]: aliae demum ex utriſque conſtant, ut Xenocrates, *cum Legati ab Alexandro 50. talenta attuliſſent, adduxit Legatos ad cenam * in Academiam, iis appoſuit tantum, quod ſatis eſſet, nullo apparatu. Cum poſtridie rogarent eum, cui numerari juberet; quid? vos heſterna, inquit, cenula non intellexiſtis me pecunia non egere* [d]?

§ 3. Chriarum utilitas non mediocris eſt; nam accurate eas Adoleſcentes pertractantes paullatim ad juſtam perfectamque orationem quaſi manu ducti perveniunt; chria enim illius potius forma eſt, quam umbra.

4. De-

a. Ex Plut. Laur. Beyerl. Theat. Vit. Hum. V. *Occaſio*. b. Sueton. in Tit. Veſpas. c. Vide Aphth. c. 3. * *Ceno*, & *cena* ſine dipthongo rectius ſcribitur, ut Manut. in Orthogr. oſtendit. d. Cic. 5. Tuſc. c. 32.

4. Denique artificium, quo Chria ampliori ſtilo ſcribitur, illud eſt: primum brevi tamquam exordio ejus laudes commemorantur, cujus eſt inſigne illud ſeu dictum, ſeu factum; ac deinde dicti illius, aut facti ſequitur expoſitio paullo ampliori oratione: tum argumenta afferuntur, quae illud confirment: praeterea illud ipſum a contrariis rationibus, ſive ab incommodis comprobatur, quae ſibi important qui diverſi agunt ac factum, aut dictum praeſcribit: itemque ad explicandum apertius ſimilitudo adhibetur: inſuper inſigne aliquod exemplum praeſtantis cujuſpiam viri adducitur, quod idem oſtendat: denique aliorum teſtimonia, qui idem dixerint, advocantur: ac poſtremo brevi cohortatione ad documentum illud animo, & uſu complectendum eos, qui audierint, incitantur.

Chriarum argumenta.

CAP. XVIII.

1. MOyſes Scriptorum primus Deut. 32. v. 4. *Dei perfecta ſunt opera; & omnes viae ejus judicia.* Job. 28. v. 13. *Nec invenitur* ſapientia, & ſalus *in terra ſuaviter viventium.*

2. Regum ſanctiſſimus Vates Pſal. 33. v. 9. *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Pſal. 36 v. 10. *Adhuc puſillum, & non erit peccator; & quaeres locum ejus, & non invenies.* Pſal. 84. v. 11. *Juſtitia, & pax oſculatae ſunt.*

3. Regum ſapientiſſimus Salomon Prov. 8.

v. 10. *Doctrinam magis, quam aurum eligite*. Et 14. v. 20. *Amici divitum multi*. Et 17. v. 27. *Qui moderatur ſermones ſuos, doctus, & prudens eſt*. Sap. 7. v. 11. de ipſa Sapientia: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa*.

4. Iſocrates ad Demonicum. *Talis eſto erga parentes, quales optaveris erga te eſſe tuos liberos. Utere optimis; ſic enim nemini eris odioſus, omnibus fies amicus. Magis ſerva verborum, quam pecuniarum depoſita. Lente amicus fias, factus autem conſtanter permane. Immortalia ſape. Conſulta tarde; perfice celeriter deliberata. Quodcumque ſis dicturus, prius inſpice mente*.

5. Thales Mileſius primus Graeciae Sapiens: *Optimum, quod in praeſentia occurrit, bene agere. Tempus noſce* [a]. Cleobulus alter Sapiens: *Amici beneficiis fovendi, inimici autem amici faciendi. Cum ſecunda fortuna arridet ſuperbire noli; adverſa ſaeviente noli frangi. Audiendi magis, quam loquendi ſtudioſum eſſe oportet* [b]. Antiſthenes non ignobilis Philoſophus *interrogatus quaenam eſſet diſciplina magis neceſſaria, mala*, inquit, *dediſcere* [c]. Zeno Dialecticae inventor, tacitus convivio accumbens ejus rei cauſſam roganti, *nuncia*, inquit, *Regi* Ptolemaeo *adeſſe qui tacere ſciat* [d]. Cleantes Philoſophus, cum vitio ei verteretur, quod timidus eſſet, *ideo*, ait, *parum pecco* [e].

Orà.

a. Laert. in Thal. lib. 1. ex interpr. Ambr. Mon. Camald b. Id. lib. 1. in Cleob. ex interpr. ejuſdem. c. Id. l. 6. in Antiſth. ex interpr. ejuſd. d. Laert. l. 7. in Zen. ex interpr. ejuſd. Ambr. e. Laert. l 7. in Cleant. eod. interpr.

Oratoris probitas, prudentia, in cauſſam ardor quanta, & quae efficiat.

CAP. XIX.

1. Tanti momenti ad perſuadendum eſt Oratoris ſanctimonia, ut ipſius ratio ſine ea vix conſtet: *eſt enim Orator*, ut Cato inquit, *vir bonus dicendi peritus* [a]. Vix quisquam unus malo ſe ducendum tradat; immo quo etiam fortius dicentis oratio ad agendum impellit, eo acrius aut cognita, aut ſuſpicata improbitas ad repugnandum animat audientem, Deo ipſo nequitiae ultore etiam jubente. Certe boni Oratoris & verba, & facta permovent: *permagni* ergo *intereſt ad faciendam fidem, ut Orator vir bonus eſſe videatur* [b].

2. Probus vero apparet Orator primum in argumentis, quae ſuſcipiat, nam *bonus vir non agit niſi cauſſas bonas* [c], nec mala niſi malus ſcribit. Deinde in ipſa oratione, bona, magna, utilia, ſempiterna orando, eaque ipſa audientium facultati aptando: praeterea optimorum praeceptorum, ſanctiſſimarum rerum copia ipſius redundet oratio: ac denique omne ejus factum ſanctitatem, aut certe integritatem praeſeferat, ut vere *Oratoris vita, & oratio cum ſcientia divinarum rerum ſit, humanarumque conjuncta* [d].

E 2 3. Nec

a. Apud Quinctil. l. 12 c. 1. b. Ariſt. Rhet. l. 2. c. 1. tex. 3. c. Quinct. l. 12. c. 1. d. Idem ibi c. 2.

3. Si qui vero, *nec enim deerunt umquam qui diſerti eſſe, quam boni malint* [a], dicendo, non vivendo boni Oratores erunt, ii maximam eloquentiae, atque omnem agendi fructum ſe amiſiſſe plane ſentient.

4. Nec minus ad ejus laudem, & fructum neceſſaria eſt prudentia, immo & ad artis naturam, qua de cauſſa Geographo *Rhetorica dicitur prudentia eloquendi* [b].

5. Prudens vero appareat, ut eligat apud quosque ea argumenta, ea exemplorum, eruditionisque capita, ea lumina etiam verborum, quae ab iis probari ſentiet: tum loquendo, agendo, cum aliis verſando, ubique vivendo ſit ſane magnus, at quidem cautus; omnium ſalutem quaerat, aut certe praeſeferat; vitia non habeat, at ſaltem tegat.

6. Quanti autem ad perſuadendum dicentis eſt ardor? bona oratio ad cauſſae laudem, ac fructum deſtinat, ardor vero id conſequitur; nam quisque audiendo afficitur, ut agentem, atque affectum videt Oratorem.

7. Haec autem praeſtet ardor: ut ſcribens Orator omnia excogitavit, ſelegit, armavit, quae perſuaderent, ſic dicens eadem ita offerat, & armet; lingua, ore, latere, animo incendat, ut univerſa evincant, & duros etiam, ac pervicaces debellent. Hinc Cicero, *quo die*, inquit, *mihi dicendum, non ſolum commoveor animo, ſed etiam toto corpore perhorreſco* [c]. Inde Oratoris praemium, Civitatum fructus, divini Numinis gloria aut obtinetur, aut projicitur.

Quin-

a. Quinctil. l. 12. c. 1. b. Euſtath. in 1. Iliad. c. 187. ex interpr. Alex. Politi Schol Piar; locus autem Strabonis eſt in 1. l. ejus apud eumd. Polit. Not. 6. c. Divin. in Verr. c. 13.

Quinque eſſe Rhetoricae partes.

CAP. XX.

1. RHetoricae partes quinque ſunt; inventio, diſpoſitio, elocutio, memoria, & pronunciatio. Tres priores Oratorem, reliquae orationem perficiunt. Ejus rei ratio in promtu eſt: nam ut res, quae agitur, vere perſuadeatur, argumentis confirmanda eſt, quod praeſtat inventio: ut argumenta etiam probentur, certo ordine, & modo diſtribuit diſpoſitio; ut excipiantur, ac ducant quae dicuntur, ornatu verborum, & ſplendore ilminanda ſunt, qnod elocutionis eſt: ſi oratio habenda eſt, ut plane emineat, memoria, vox, geſtus accedant neceſſe eſt, quae eam moderentur.

2. Haec deinceps perſequar, cum eloquentiae perfectiones, ac motus expoſuero: quorum illae artis ſunt ſumma capita, & ceterorum pulchritudo: iſti vero cauſſarum plane triumphus.

RHETORICARUM
INSTITUTIONUM
LIBER SECUNDUS,

Quo eloquentiae capita explanantur.

*Ei, qui eloquentiae * deſtinabitur, non in unam partem aliquam, ſed in omnia, quae ſunt ejus operis, elaborandum eſt.*
Quinctil. lib. 2. cap. 9.

**

Quid ſit eloquentiae pulchritudo: quot ejus genera: quid perfectio.

CAPUT I.

1. PUlchritudo, ut univerſe eſt plurimarum in re, aut in homine gratiarum collectio, ita ſingulatim in eloquentia eſt plurimarum, maximarumque virtutum conſenſio: itaque pulchra oratio, quae latina, vera, utilis, ampla, brevis, facilis, polita, ornata, denſa, evidens, gravis, ſuavis, venuſta, inſigni affectione, aut more excellens, immo eo pulchrior, quo eorum plura contineat. Pulchrum ergo Tullianum hoc 13. Phil. c. 1. *Quem diſcordiae, quem caedes Civium, quem bellum delectat, ex numero hominum, ex*

* *Foro*, ait auctor principem ad eloquentiam ſuae aetatis locum complexus.

ex finibus humanae naturae exterminandum puto: nam praeclarum, utile, ac verum documentum continet, fugiendas eſſe Civibus inter Cives ſimultates, & injurias, praeclaris locutionibus, ac figuris ornatum, magnifice, ac decore propoſitum.

2. Jam vero eloquentiae pulchritudo alia eſt interna, alia externa, alia argumenti, alia artificii. Interna ex intimo, inſitoque rerum pondere, ac ſanguine exſtat, atque eminet, *orationemque implet altis, reconditis, & graviſſimis ſenſibus, magniſque Philoſophiae, Theologiae, omniumque diſciplinarum documentis*[a]. Ejuſmodi hoc Cic. Somn. Scip. c. 3. *Juſtitiam cole, & pietatem* (Scipio pater caeleſti ſpecie, ut fingit, oblatus filium alloquitur) *quae cum ſit magna in parentibus, & propinquis, tum in patria maxima eſt, & ea vita via eſt in caelum, & in hunc coetum eorum, qui jam vixerunt, & corpore laxati illum incolunt locum, quem vides*. Et quod ibi addit Scipio filius. *Ex quo* orbe *omnia mihi contemplanti jam ipſa terra ita parva viſa eſt, ut me imperii noſtri, quo quaſi punctum ejus attingimus, poeniteret: quam cum magis intuerer, quaeſo, inquit* pater, *quouſque humi defixa tua mens erit? nonne aſpicis quae in templa veneris?* Et Hor. lib. 3. od. 27. v. 76. *Bene ferre magnam Diſce fortuuam*.

3. Argumenti pulchritudo eſt ſatis magnae, ac praeclare afficientis rei elegans, & accurata expoſitio. Itaque inſignis pugna, florentis horti amoenitas; vagus fugacis rivi curſus; ſereni, ac placidi diei, aurorae, ve-

a. Jo. Mar. Creſcimb. Dial. 1., quem hac de re vide.

ris, inſolitae celebritatis pompa, fera etiam tempeſtas, egregium principis viri factum vivide deſcripta, etſi multa, aut magna documenta non contineant, nec operoſo artificio ſcripta ſint, pulchra ſunt. Tale hoc Cic., licet non ſine egregio documento, in Somn. Scip. c. 3. *Ut ſis Africane alacrior ad tutandam Remp. ſic habeto: omnibus, qui patriam conſervarint, adjuverint, auxerint, certum eſſe in caelo, & definitum locum, ubi beati aevo ſempiterno fruantur: nihil eſt enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia, coetuſque hominum jure ſociati, quae civitates appellantur. Harum rectores, & conſervatores hinc profecti huc revertentur.*

4. Externa pulchritudo non raro ea eſt, quae ſua ſponte, aut prope nulla induſtria, ex interna rerum vi ſeſe prodit conſpiciendam, ut externa corporum pulchritudo ex ingenito ſanguinis, ac ſpirituum habitu, ſaepius vero ex arte quaeſita. Idcirco haec fere artificioſa eſt: quare priorem illam, ut omnia prope verae eloquentiae capita, *latentem artem* dixeris, alteram *apertam*. Prioris igitur exempla ſunt ea praeſertim, quae de facilitate, de nativo ornatu, de amplitudine, de orationis veritate, robore, venuſtate afferuntur. Alterius hoc Cic. pro Leg. Man. c. 12. *Tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateque diſperſum, quo bello omnes gentes, ac nationes premebantur, Gn. Pompejus extrema hieme apparavit, ineunte vere ſuſcepit, media aeſtate confecit*: hoc enim loco figurarum ornatus maxima gratia eſt, licet non deſit celeritas illa in conficiendo, & belli magnitudo expoſita.

5. Quam-

5. Quamquam vero haec diviſa ſint, ea tamen optimus quiſque conjungit, atque *efficit, ut in diſerta, atque elegante forma praeclata ſenſa contineantur* [a], ac tum excellit.

6. Perfectio denique eſt, cum aliqua eloquentiae virtus abſolutiſſima in ſuo genere exhibetur, aut argumentum ſit, aut factum, aut motio, aut mos, aut narratio, aut peroratio, aut figura, aut aliud denique.

7. Haec vero eloquentiae capita, perfectiones, & fundamenta inſpiciens intelliges, quare ſummi in dicendo viri excellant, quod quidam non ſatis aſſecuti *cum legunt orationes bonas, aut poemata, probant Oratores, & Poetas, nec intelligunt qua re commoti probent, quod ſcire non poſſunt, ubi ſit, nec quid ſit, nec quo modo factum ſit, quod eos maxime delectat* [b]: intelliges quo pacto oratio elaboranda ſit, ex iis enim illuſtranda, & conficienda eſt: intelliges quid ingenium, quid mentis perceptio, ſeu phantaſia, quid judicium, quid guſtus, ac ſapor eloquentiae praeſtare debeat in dicente, & quibus iſtae animi facultates perficiendae ſint: intelliges denique neminem unam eloquentiae ſpeciem, ac virtutem, aut unum Scriptorem, qui in ea praeſtet, admirari debere, ceteras vero perfectiones, ceteroſque Scriptores, qui non aeque ea delectantur, tamquam deſpicere, cum *tantum quiſque laudat, quantum ſe poſſe ſperat imitari* [c]; contra enim omnes formae ſuas habent laudes, ideoque omnes ſatis aeſtimandae ſunt, licet aliae omnium maxime curandae, quod ſuis locis tacitus non praeteribo. Ora-

a. Creſcimb. Dial. 1. b. Auct. ad Her. l. 4. c. 2.
c. Cic. in Orat. c. 24.

Orationis puritas: munditia: elegantia: ornatus: ſplendor: eorumque dignitas.

CAP. II.

1. ORationis puritas, ſeu caſtitas, aut germanitas eſt incorrupta, atque emendata dicendi forma in ea lingua, qua dicas. Itaque haec virtus verborum omnem barbariem, peregrinitatem, labem, atque omne pingue refugiens, ſartam tectam linguae integritatem tuetur, non modo nullo ſermonis vitio admiſſo, quod tandem Grammatici eſt, *aliud autem eſt grammatice, aliud latine loqui* [a], ſed nativa elocutionis proprietate, & vi ſervata, quod Oratoris. Id vero niſi ad ceteras perfectiones viam muniat, nihil inſigne in eloquentia ſperes: *neque enim conamur docere eum dicere, qui loqui neſciat, nec ſperamus, qui latine non poſſit, hunc ornate eſſe dicturum* [b]: quamquam *non tam praeclarum ſcire latine, quam turpe neſcire* [c]; *nemo enim umquam eſt Oratorem, qui latine loqueretur, admiratus* [d]. Ejus rei, quam Latini omnes Scriptores praecipue aureae aetatis ubique tibi exhibent, exemplum aliquod ſit hoc Cic. in Piſ. cap. 6. *Ego abiens magiſtratu, cum dicere a Trib. Plebis prohiberer, quae conſtitueram, cumque is mihi tantummodo, ut jurarem, permitteret, juravi Rempub. mea unius ope.*

a. Quinctil. l. 1. c. 6. b. Cic. 3. de Orat. c. 10. c. Id. in Brut. c. 37. d. Id. 3. de Orat. c. 14.

opera eſſe ſalvam: mihi Pop. Rom. univerſus illa in concione non unius diei gratulationem, ſed aeternitatem, immortalitatemque donavit; cum meum jusjurandum tale, atque tantum juratus una voce, & conſenſu approbavit: nam quod Cicero *abire*, aut *abdicare ſe magiſtratu* alii deinceps *renunciare*, aut *reſignare magiſtratum*; quod *dicere prohibitus ſum* alii *mihi prohibitum*; quod *Remp. eſſe ſalvam* alii *ſalvatam;* quod ipſe *jusjurandum* alii *juramentum* minus latine dixerunt.

2. Orationis munditia eſt religioſe ſervata, & modeſte polita ſermonis integritas, & gratia. Igitur aliquid cultus, & nitoris addit puritati: ut in aede, ut in veſte tum eſt integritas, cum nullae ſordes, nullae maculae, nihil laceri, nihil diſciſſi, aut fracti eſt, tum mundities, nitor, aut decor, cum cultus aliquis accedit, & poliuntur, licet non ornentur. Talem in epiſtolis praecipue ad Atticum, in philoſophiae, eloquentiaeque libris Ciceronem, Caeſarem, Nepotem, Catullum ſuſpicimus. Haec in exemplum. Caeſ. Bel. Gal. l. 1. c. 8. *Neque homines inimico animo, data facultate per provinciam itineris faciundi, temperaturos ab injuria, & maleficio exiſtimabat*. Nep. in Milt. c. 1. *Miltiades cum antiquitate generis, & gloria Majorum, & ſua modeſtia unus omnium maxime floreret, eaque eſſet aetate, ut non jam ſolum de eo bene ſperare, ſed etiam confidere Cives poſſent ſui, cum delecta manu Cherſoneſum eſt profectus*.

3. Elegantia, a legendo dicta, eſt ex delectis, cultiſque verbis, ex eorumque numero, & poſitione paullum quaeſita gratia, & con-

concinnitas. Itaque ex verborum, locutionum, numerorum, & collocationis delectu orta in laetis argumentis, in narrationibus, ſedatisque motibus principem locum habet. Haec habe exemplo. Ter. Eun. act. 5. ſc. 2. *Saepe ex injuria, & Malo ex principio magna familiaritas Conflata eſt*. Et Heaut. act. 1. ſc. 1. T*antumne eſt ab re tua otii tibi, Aliena ut cures?* Et Adelph. act. 1. ſc. 5. *Malo coactus qui ſuum officium facit, Dum id reſcitum iri credit, tantiſper cavet, Si ſperat fore clam, rurſus ad ingenium redit*. Catull. epig. 6.

Flavi delicias tuas Catullo,
Ni ſint illepidae, atque inelegantes,
Velles dicere, nec tacere poſſes.
Verum neſcio quid febriculoſi
Capitis diligis, hoc pudet fateri.
Quare quicquid habes boni, malique
Dic nobis; volo te, ac tuos amores
Ad caelum lepido vocare verſu.

4. Ornatus orationis eſt egregius illius cultus per ſpecioſa verborum lumina, per orationis, & rerum copiam, per belle dicta, ac per ingenioſarum ſententiarum, atque eruditionis dignitatem comparatus. Itaque elegantiae addit ornatus figurarum lucem, ingenioſam orationis ſtructuram, plurimaſque divitias dicendi *Cauſſae* vero *non parum confert hic orationis ornatus, nam qui libenter audiunt, & magis attendunt, & facilius credunt, plerumque ipſa delectatione capiuntur, nonnumquam admiratione auferuntur* [a]. Certe *numquam vera ſpecies ab utilitate dividitur* [b]. Pari ope tamen nitendum, ut *hic ornatus virilis, fortis, & ſanctus ſit, nec ef-*

a. Quinctil. L 8. c. 3. b. Id. ibi.

feminatam levitatem, nec fuco eminentem colorem amet, ſanguine, ac viribus niteat a. Hujuſmodi hoc Cic. pro Marc. c. 3. *Cum aliquid clementer, manſuete, juſte, moderate, ſapienter factum in iracundia praeſertim, quae eſt inimica conſilio, & in victoria, quae natura inſolens, & ſuperba eſt, aut audimus, aut legimus, quo ſtudio incendimur non modo in geſtis rebus, ſed etiam in fictis, ut eos ſaepe, quos numquam vidimus, diligamus? Te vero C. Caeſar, quem praeſentem intuemur, cujus mentem, ſenſuſque, & os cernimus, ut quicquid belli fortuna reliquum Reip. fecerit, id eſſe ſalvum velis, quibus laudibus efferemus? quibus ſtudiis proſequemur? qua benevolentia complectemur?* Et Hor. l. 2. od. 14.

*Eheu fugaces Poſtume *, Poſtume*
Labuntur anni; nec pietas moram
Rugis, & inſtanti ſenectae
Afferet, indomitaeque morti.
Fruſtra cruento Marte carebimus,
Fractiſque rauci fluctibus Adriae.
Fruſtra per autumnos nocentem
Corporibus metuemus auſtrum.
Linquenda tellus.

5. Orationis ſplendor eſt ipſius ſummus ornatus, ditiſſimus, atque elaboratiſſimus. Proinde omni rerum copia, omnique ingenii arte abundat ſplendida oratio: quae, ſi ita temperatur, ut res quidem emineant, & audientes rapiant, in rerum, atque hominum efferenda dignitate, & praeſtantia, in primis idonea, & laudabilis; ut lucem

a. Quinctil. l. 8. c. 3. * *Poſtumum*, ac *Poſtumium* nomina ſine adſpiratione ſcribit Manut. Lamb. & alii.

cem amamus, quae illuminet, ac paullulum etiam feriat, modo non perſtringat. Satis ſplendida haec pro Mil. c. 35. *Addit* Milo *haec, quae certe vera ſunt; fortes, & ſapientes viros non tam praemia ſequi ſolere recte factorum, quam ipſa recte facta; ſe nihil in vita niſi praeclariſſime feciſſe, ſiquidem nihil ſit praeſtabilius viro, quam periculis patriam liberare: beatos eſſe, quibus ea res honori fuerit a ſuis Civibus, nec tamen eos miſeros, qui beneficio Cives ſuos vicerint; ſed tamen ex omnibus praemiis virtutis, ſi eſſet habenda ratio praemiorum, ampliſſimum eſſe praemium gloriam: eſſe hanc unam, quae brevitatem vitae poſteritatis memoria conſolaretur: quae efficeret, ut abſentes adeſſemus, mortui viveremus: hanc denique eſſe, cujus gradibus etiam homines in caelum videantur adſcendere.*

Orationis facilitas: perſpicuitas: evidentia: in iiſque obſervationes.

CAP. III.

1. ORationis facilitas eſt rerum expoſitio, atque etiam contentio per ita ingenua, & nativa verborum, ac rerum ornamenta, ut a natura omnia, nihil vero a ſtudio profectum videatur. Haec in dicendo facile princeps, maxima, atque optima: nam *in ingenio quoque, ſicut in agro, quamquam alia dudum ſerantur, atque elaborentur, gratiora tamen, quae ſua ſponte naſcuntur* [a]. Sed facili eloquentia multis nihil difficile-

a. Auct. Dial. de Orat. c. 3.

ficilius. Ad eam tendes, ac pervenies, ſi omnia, quae in eo argumento, quod tractes dici poſſunt, ante inſpicies, ac deinde ea verba, ornamenta, rationum, permotiorumque vim eligas, quae illud explanent, non infuſcent, naturam prope ſequendo, non perturbando. omnium maxime Terentium, Caeſarem, Nepotem, Ciceronem, Virgilium, Horatium, ut in ceteris, in eo genere eximios intuendo; quos omnia ſuà ſenſa, cogitata, animadverſa, rationes, ac facta ita exponere, ornare, armare admiraberis, ut rerum naturam omnia dictaſſe affirmes. Hinc intelligis, ex perſpicaci ingenio, & quaſi ſenili judicio facilitatem profluere, atque inſtrui: quare ſi adoleſcens eam ames, guſtes, & quaeras, in homine ſperabo: tum enim *erit ſuum parandae facilitatis tempus* [a]. Nativa haec. Caeſ. Bel Civ. l. 1. c. 4. *Inſtructa claſſe omnium ſeniorum, matrum familiae, ac virginum precibus, ac fletu excitati, ut extremo tempore civitati ſubvenirent, non minore animo, ac fiducia, quam antea dimicaverant, naves conſcendunt*. Et Bel. Gal. l. 1. c. 2. de Helvetiis. *Pro multitudine hominum, & pro gloria belli ac fortitudinis anguſtos ſe fines habere arbitrabantur, qui in longitudine millia paſſuum CCXL., in latitudine* CXXC. *patebant*. Hor. l. 1. od. 22.

Integer vitae, ſceleriſque purus
*Non eget Mauris * jaculis, neque arcu,*
Nec venenatis gravida ſagittis,
Fuſce, pharetra,
Sive per ſyrtes iter aeſtuoſas,

Sive

a. Quinct. l. 2. c. 4. * Ita ex antiqq. codd. Lamb in. quod vulgati alii *Mauri*.

Sive facturus per inhoſpitalem
Caucaſum, vel quae loca fabuloſus
Lambit Hydaſpes.

3. Orationis perſpicuitas eſt ita aperta rerum expoſitio, & contentio, ut cerni prope videantur, non exponi. Singularis dicendi haec laus eſt, nam *prima eſt eloquentiae virtus perſpicuitas* [a], & maxime neceſſaria; *nec enim ſperamus, qui non dicat quae intelligamus, hunc poſſe quae admiremur dicere* [b]. *Id vero aſſequimur, ſi utamur verbis uſitatis, ac prope demonſtrantibus ea, quae ſignificari, ac declarari volumus, ſine ambiguo verbo, aut ſermone, non nimis longa continuatione verborum, non diſcerptis ſententiis, non perturbato ordine* [c]. Audi quam aperte Rullum expingat Cic. 2. Agr. c. 5. *Jam deſignatus* Tribunus plebis *alio vultu, alio vocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabatur, veſtitu obſoletiore, corpore inculto, & horrido, capillatior quam ante, barbaque majore, ut oculis, & aſpectu denunciare omnibus vim tribunitiam, & minitari Reip videretur.* Et Virg. Romanorum ſeriem 6. Aen. v. 808.

Quis procul ille autem ramis inſignis olivae
Sacra ferens? Noſco crines, incanaque menta
Regis Romani: primus qui legibus urbem
Fundabit, Curibus parvis, & paupere terra
Miſſus in imperium magnum.
Vis & Tarqinios Reges, animamque ſuperbam
Vltoris Bruti, faſceſque videre receptos?
Conſulis imperium hic primus, ſaevaſque ſecures
Accipiet, natoſque Pater nova bella moventes
Ad

a. Quinctil. l. 2. c. 3. b. Cic. 3. de Orat. c. 10.
c. Id. ibi c. 13.

Ad poenam pulchra pro libertate vocabit
Infelix: utcumque ferent ea facta minores,
Vincet amor patriae, laudumq. immenſa cupido.
Quin Decios, Druſosq. procul, ſaevumq. ſecuri
Aſpice Torquatum, & referentem ſigna Camillum.
Illae autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animae nunc, & dum nocte premuntur,
Heu quantum inter ſe bellum, ſi lumina vitae
Attigerint, quantas acies, ſtragemque ciebunt?

3. Evidentia eſt ſumma perſpicuitas, ac res ob oculos poſita; atque adeo maxime excellens Orator, Hiſtoricus, ac Poeta, qui maxime evidens. En qua evidentia Cic. 2. Phil. c. 9. *P. Clodium meo conſilio interfectum eſſe dixiſti. Quidnam homines putarent, ſi tum occiſus eſſet, cum tu illum in foro, inſpectante Pop. Rom., gladio ſtricto inſecutus es, negotiumque tranſegiſſes, niſi ille ſe ſub ſcalas tabernae librariae conjeciſſet, hiſque oppilatis impetum tuum compreſſiſſet?* Et Hor. Paridi Helenae raptori mala vaticinans lib. 1. od. 15.

Eheu quantus equis, quantus adeſt viris
Sudor? quanta moves funera Dardanae
Genti? jam galeam Pallas, & aegida
Curruſque, & rabiem parat.
Non Laertiaden exitium tuae
Gentis, non Pylium Neſtora reſpicis?
Urgent impavidi te Salaminius,
Teucerque, & Sthenelus ſciens
Pugnae, ſive opus eſt imperitare equis,
Non auriga piger. Merionem quoque
Noſces: ecce furit te reperire atrox
Tydides melior patre.

Orationis veritas : robur : denſitas : granditas : maturitas : in iisque advertenda.

CAP. IV.

1. VEra oratio ea eſt, quae rationes, ſententias, facta, & dicta continet aut omnino vera, aut certe veriſimilia. Bonus itaque Orator certas, conſtantes, ac prope ineluctabiles res affert ad cauſſas, ut perſuadeat, trahimur enim omnes veritate: Hiſtoricus quae vere contigerunt memoriae prodit, ut eorum teſtimonium exſtet, aut quae veri ſint ſimilia; ſincera omnia quilibet Scriptor, ut ſibi fidem faciat. Quare non immerito *exagitator omnium Rhetorum* [a] Plato dixit, *veram orationem, ac veram dicendi artem abſque veritate, neque eſſe aliquam, neque umquam fore* [b]. Certarum rationum plena haec. Cic. 13. Phil. c. 6. *Omniane viris bonis, quae facere poſſunt, facienda ſunt? etiamne ſi turpia, ſi pernicioſa erunt? ſi facere omnino non liceat? Quid autem turpius, aut foedius, aut quod minus deceat, quam contra Senatum, contra Cives, contra patriam exercitum ducere? Quid vero magis vituperandum, quam id facere, quod non liceat? Liceat autem nemini contra patriam ducere exercitum: ſiquidem licere id dicimus, quod legibus, quod more majorum, inſtitutiſque conceditur. Neque enim quod*

a. Cic. in Orat. c. 13. b. Plat. in Gorg., ſeu de Rhet. ex interpr. Marſ. Ficin.

quod quiſque poteſt, id ei licet: nec, ſi non obſtatur, propterea etiam permittitur.

2. Orationis robur eſt illa vis, quae ex veriſſimarum rationum, ex maximarum rerum, ex eruditionis, ex omniſque ſcientiae copia proficiſcitur. Hoc robur orationis laudem, cauſſarum, ac rerum, quae aguntur, victoriam, & audientium perſuaſionem refert, & conſtituit. Quocirca legendo, annotando, meditando, alteque omnia inſpiciendo comparandum eſt: nam magna, aut certe ſeria argumenta incredibilem rationum ſententiarum, exemplorum, eruditionis, permotionum, graviter ingenioſeque dictorum, magnorumque ornamentorum numerum continent, quae accurati, ac ſapientes Scriptores intuentur, atque advocant, rudes vero, ac imperiti omittunt, atque ita res labefaciunt, ac perdunt. Ubique magis minus locum habet robur, ac veritas. Audi quo robore, licet Hiſtoricus, Helvetiis Legatis reſpondet Caeſar Bel. Gal. l. 1. c. 14. *Si veteris contumeliae oblivisci vellet, num etiam recentium injuriarum? quod eo invito iter per provinciam per vim tentaſſent, quod Aeduos, quod Ambarros, quod Allobroges vexaſſent, memoriam deponere poſſet? quod ſua victoria tam inſolenter gloriarentur, quodque ſe tandiu impune tuliſſe injurias admirarentur, eodem pertinere: conſueſſe enim Deos immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere ulciſci velint, his ſecundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere: tamen, ſi obſides ſibi dentur, uti ea, quae polliceantur, facturos intelligat, & ſi de injuriis, quas intulerint, ſatisfaciant, ſeſe cum iis pacem facturum.* Et Hor. l. 3. od. 6.

Delicta Majorum immeritus lues
Romane, donec templa refeceris,
Aedeſque labentes Deorum, &
Foeda nigro ſimulacra fumo.
Diis te minorem quod geris imperas:
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Dii multa neglecti dederunt
Heſperiae mala luctuoſae.
Paene occupatam ſeditionibus
Delevit Urbem Dacus, & Aethiops:
Hic claſſe formidatus, ille
Miſſilibus melior ſagittis.
Fecunda culpae ſaecula nuptias
Primum inquinavere, & genus, & domos:
Hoc fonte derivata clades
In patriam, populumque fluxit.

3. Denſa oratio ea eſt, quae plurimarum, maximarumque rerum vim complectitur, includit, & quaſi addenſat. Igitur magna exponit, exhibet, atque oſtendit hoc orationis genus, plura colligit, atque intuenti tamquam latitantia, facile tamen ſeſe offerentia manifeſtat; nam robur vel una ex certa ratione, ſatiſque explicata oritur, denſa ex pluribus quaſi acervatis, penituſque inſitis erumpit; atque imperanti, terrenti, graviſſime dicenti accommodata eſt. Tale hoc Cic. 2. Catil. c. 12. *Quod reliquum eſt jam non poſſum obliviſci meam hanc eſſe patriam, me horum eſſe Conſulem, mihi aut cum his vivendum, aut pro his eſſe moriendum. Nullus eſt portae cuſtos, nullus inſidiator viae: ſi qui exire volunt, conſulere ſibi poſſunt: qui vero in Urbe ſe commoverit, cujus ego non modo factum, ſed inceptum ullum, conatumve contra patriam deprehendero, ſentiet in hac*

urbe

urbe eſſe Conſules vigilantes, eſſe egregios Magiſtratus, eſſe fortem Senatum, eſſe arma, eſſe carcerem. Et 2. Phil. c. 1. *Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitum non perhorreſcere.* Hor. l. 3. od. 3. v. 61.

Trojae renaſcens alite lugubri
Fortuna triſti clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Conjuge me Jovis, & ſorore.
Ter ſi reſurgat murus aheneus
Auctore Phoebo, ter pereat meis
Exciſus Argivis: ter uxor
Capta virum, pueroſque ploret.

4. Granditas orationis eſt quae magnifica argumenta, & magnifico ſtilo proponit, atque exornat. Itaque praeter argumenti magnitudinem, magnificas formas, vehementes permotiones, vehementes figuras, magnificam verborum collocationem, ac numerum, nonnumquam priſca verba amat, nam priſca parce adhibita conciliant granditatem. De hac iterum, cum de ſublimi genere agemus. Interim haec habe exemplo. Nep. in Them. c. 4. *Themiſtocles unus reſtitit, & univerſos eſſe pares ajebat, diſperſos teſtabatur perituros.* Marius apud Sall. Bel. Jug. c. 88. *Invident honori meo: ergo invideant labori meo, & innocentiae, periculis etiam meis, quoniam per haec illum cepi.* Jupiter 1. Aen. v. 280.

Romulus excipiet gentem, & mavortia condet
Moenia, Romanoſque ſuo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono.
Imperium ſine fine dedi: quin aſpera Juno
Conſilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

5. Maturitas orationis eſt magnarum, uti-

lium, verarumque rerum affluens copia, nullo niſi nativo, & quaſi ſeſe offerente, non quaeſito, nedum fucato ornamento illuſtrata. Quare haec ſummorum hominum, ac ſenum, & in magnis conſiliis, ac ſummis rebus ſolet eſſe oratio, praeſtantium documentorum, exemplorum, hiſtoriarum, ac graviſſimae litteraturae plena, qualis praecipue pro Sextio, de Lege Agraria, pro Milone, in Catilinam, atque in Philippicis fuit Cicero, cum *oratio jam noſtra*, ut de ſe ipſe affirmat non multo antequam Philippicas ſcriberet, *caneſceret*, *haberetque ſuam maturitatem*, *& quaſi ſenectutem* [a]. Eam indolem haec praeſeferunt. Caeſar Bel. Civ. lib. 3. c. 10. Legatos ad Pompejum de pace mittens. *Debere utrumque pertinaciae finem facere, & ab armis diſcedere, neque amplius fortunam periclitari: ſatis eſſe magna utrimque incommoda accepta, quae pro diſciplina, & praeceptis habere poſſent, ut reliquos caſus timerent: proinde ſibi, ac Reipublicae parcerent, quantumque in bello fortuna poſſet, jam ipſi incommodis ſuis ſatis eſſent documento: hoc unum eſſe tempus de pace agendi, dum ſibi uterque confideret, & pares ambo viderentur: ſi vero alteri paullum modo tribuiſſet fortuna non eſſe uſurum conditionibus pacis eum, qui ſuperior videretur; neque fore aequa parte contentum, qui ſe omnia habiturum confideret.* Aeneas ſummum in bellum advolans filium cohortaturus 12. Aen. v. 435.

Diſce puer virtutem ex me, verumque laborem,
Fortunam ex aliis: nunc te mea dextera bello

Me-

a. In Bruto c. 2.

Defenſum dabit, & magna inter praemia ducet,
Tu facito, mox cum matura adoleverit aetas
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum,
Et pater Aeneas, & avunculus excitet Hector.

Orationis amplitudo, & brevitas: earum dignitas: & locus: ubi etiam aliquid de obſcuritate.

CAP. V.

1. ORationis amplitudo eſt multarum rerum, graviumque verborum felix ubertas, & magnificentia. Ex ingenii vi alte ac penitus cuncta cernentis, & recondita in rebus tamquam prodire jubentis, ut oratione explanentur, oritur: mirifice autem comparatur, ſi epitheta ſingulis paene rebus addas, ſi pluribus modis unam eamdemque rem dicas, ſemper tamen augeas, ſi partes omnes, cauſſas, effecta, & ſimilitudines afferas, & rem cum rebus componas; quod explicandis, ob oculos quaſi monſtrandis, honeſteque efferendis argumentis aptiſſima eſt. Hujus orationis praeſtantia, & fontes pluribus aperientur, cum de amplificatione. Nunc audi quam ample hoc quod eſt, *Curia incenditur*, exponat Cic. pro Mil. c. 33. *Quid miſerius, quid acerbius, quid luctuoſius vidimus? templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilii publici, caput urbis, aram ſociorum, portum*

omnium gentium, ſedem ab univerſo Populo Rom. conceſſam uni ordini inflammari, exſcindi, funeſtari? Et hoc, *urbs ab hoſte habetur*, Virg. 2. Aen. v. 314.

Venit ſumma dies, & ineluctabile tempus
Dardaniae, fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum: ferus omnia Jupiter Argos
Tranſtulit, incenſa Danai dominantur in urbe.
Arduus armatos mediis in moenibus adſtans
Fundit equus, victorque Sinon incendia miſcet
Inſultans: portis alii bipatentibus adſunt
Millia quot magnis numquam venere Mycenis.
Obſedere alii telis anguſta viarum
Oppoſiti: ſtat ferri acies mucrone coruſco
Stricta parata neci: vix primi praelia tentant
Portarum vigiles, & caeco Marte reſiſtunt.

2. Verum ne quid nimis: cum orationi ne verbum quidem unum inutile ineſt, ſed unumquodque argumentum illuſtrat, explanat, auget, ut nihil omnino detrahi poſſit ſine rerum imminutione, ea eſt amplitudo; cum aliqua, aut plura inſunt, quae nihil tandem addunt, ea eſt luxurians, redundans, & verboſa oratio. Non caruit hac culpa aliquando Ovidius, ac Cicero praeſertim adoleſcens. Itaque illud pro Roſc. Amer. c. 26. *Nihil tam vile eſt, cujus partem ullam iis reliquerint: etenim quid tam eſt commune, quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis? ita vivunt, cum poſſunt, ut ducere animam de caelo non queant; ita moriuntur, ut eorum oſſa terra non tangat; ita jactantur fluctibus, ut numquam alluantur; ita poſtremo ejiciuntur, ut ne ad ſaxa qui-*

quidem mortui conquieſcant : quod ſummis clamoribus adoleſcens dixit, ſenex minime probavit *. Illud etiam pro Quinct. c. 31. *Miſerum eſt exturbari fortunis omnibus, miſerius eſt injuria; acerbum eſt ab aliquo circumveniri, acerbius a propinquo; calamitoſum eſt bonis everti calamitoſius cum dedecore; funeſtum eſt a forti atque honeſto viro jugulari, funeſtius ab eo, cujus vox praeconio quaeſtui proſtitit; indignum eſt a pari vinci, aut ſuperiore, indignius ab inferiore, atque humiliore; luctuoſum eſt tradi alteri cum bonis, luctuoſius inimico; horribile eſt cauſſam capitis dicere, horribilius priore loco dicere* : aliquanto amplius juſto eſt.

3. Enimvero nimium ab amplitudine ne deterreare adoleſcens. Si in aliquo peccandum, in amplitudine pecces potius, quam jejunitate, aut brevitate: licet enim *utrumque vitium ſit, pejus tamen illud, quod ex inopia, quam quod ex copia venit* [a]: itaque *volo ſe efferat in adoleſcente fecunditas* [b]; nam paullulum redundans oratio non aegre amputatur, *facile* enim *remedium eſt ubertatis, ſterilia nullo labore vincuntur*: *multum inde decoquent anni, multum ratio limabit: ſit modo unde excidi poſſit, & quod exſcalpi* [c]. Amplus ergo nunc ſis, dum ſcias te paullulum in eo errare, errorem facile emendaturus.

4. Brevitas orationis eſt multarum, magnarum

* *Quantis*, inquit in Oratore c. 30. *illa clamoribus adoleſcentuli diximus de ſupplicio parricidarum: quae nequaquam ſatis deferbuiſſe poſt aliquanto ſentire coepimus. Quid enim tam commune, & quae ſequuntur, ſunt omnia, ſicut adoleſcentis, non tam re & maturitate, quam ſpe & expectatione laudata*. a. Quinctil. l. 2. c. 4. b. Cic. 2. de Orat. c. 21. c. Quinctil. l. 2. c. 4.

Orationis venuſtas: ſuavitas: aſperitas: earum dignitas: locus, & cautiones.

CAP. VI.

1. VEnuſtas orationis eſt perquam elegans, vivax, & culta dicendi gratia. Oblectando, recreando, ac feſſis auribus, & ab auſteritate revocandis in primis idonea: ad eamque rem temperata, & laeta argumenta ſunt accommodata, ut cantus, *Nympharum horti*, *Hymenaei*, *Cupidines* [a], cenae, inambulationes, colloquia, conſilia cum amicis, placidus lenium fluviorum curſus, ſtellarum lumina, & circuitus, arvorum deliciae atque opes, luſciniarum cantus, & ſexcenta hujuſmodi; & blandiores rerum imagines, blandiores locutiones, nam *venuſta locutio res facit venuſtiores* [b], blandiores figuras, & quae blandiendi gratia diminui ſolent nomina amat, ut corculum, animulam, labellum, ocellum, ſuaviolum, ſolatiolum, conviciolum, quae in *oratione gravi, & in heroico verſu locum non habent, in epiſtolis, elegiis, epigrammatibus, dialogis adhiberi poſſunt* [c], & concinnitate periodorum, nativaque verborum poſitura delectatur. Hujuſmodi haec. Cic. pro Mil. c. 26. *Nihil eſt tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quam voluntas erga nos ſenſuſque Civium, qui non modo improbitati iraſcuntur Candidatorum, ſed etiam in recte factis*

a. Phaler. de Elocut. pag. 121. & 122. ex interpr. Vict. edit. Florent. 1594. b. Id. Phaler. eod. interp. pag. 122. c. Id. ibi.

ctis ſaepe faſtidiunt. Id. Att. lib. 1. ep. 7. *Tulliola deliciolae noſtrae tuum munuſculum flagitat, & me ut ſponſorem appellat*. Venuſtum etiam, ac lepidum hoc Catull. ep. 13.

Cenabis bene mi, Fabulle, apud me
Paucis, ſi tibi Dii favent, diebus,
Si tecum attuleris bonam, atque magnam
Cenam cum ſale, & omnibus cachinnis.
Haec ſi, inquam, attuleris venuſte noſter,
Cenabis bene, nam tui Catulli
Plenusſacculus eſt aranearum.
Sed contra accipies meros amores
Seu quid ſuavius, elegantiusque eſt.

2. Suavis oratio, *ſuaviloquentia* Ciceroni[a] dicta, eſt paullo jucundior, quam venuſtas. Itaque blandiſſima verba, molliſſimam eorum ſtructuram, gratiſſima lumina, temperatiſſimas rerum imagines, ac ſententias poſtulat; in iisdemque argumentis locum habet quam venuſtas. Hujus indolis ſunt haec. Cic. pro Mil. c. 34. *Valeant*, inquit Milo, *valeant Cives mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati: ſtet haec urbs praeclara, mihique patria cariſſima, quoquo modo merita de me erit: tranquilla Republ. Cives mei, quoniam mihi cum illis non licet, ſine me ipſi, ſed per me tamen, perfruantur: ego cedam, atque abibo. O fruſtra, inquit, ſuſcepti mei labores: o ſpes fallaces: o cogitationes inanes meae? Ego mihi umquam bonorum praeſidium defuturum putarem? Ego, cum te (mecum enim ſaepiſſime loquitur) patriae reddidiſſem, mihi non futurum in patria putarem locum? Ubi tua, Marce Tulli, vox, & defenſio?, Mihine ſoli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil, poteſt*

a. In Brut. c. 15.

Orationis veritas : robur : denſitas : granditas : maturitas : in iisque advertenda .

CAP. IV.

1. VEra oratio ea eſt, quae rationes, ſententias, facta, & dicta continet aut omnino vera, aut certe veriſimilia. Bonus itaque Orator certas, conſtantes, ac prope ineluctabiles res affert ad cauſſas, ut perſuadeat, trahimur enim omnes veritate: Hiſtoricus quae vere contigerunt memoriae prodit, ut eorum teſtimonium exſtet, aut quae veri ſint ſimilia; ſincera omnia quilibet Scriptor, ut ſibi fidem faciat. Quare non immerito *exagitator omnium Rhetorum* a Plato dixit, *veram orationem, ac veram dicendi artem absque veritate, neque eſſe aliquam, neque umquam fore* b. Certarum rationum plena haec. Cic. 13. Phil. c. 6. *Omniane viris bonis, quae facere poſſunt, facienda ſunt? etiamne ſi turpia, ſi pernicioſa erunt? ſi facere omnino non liceat? Quid autem turpius, aut foedius, aut quod minus deceat, quam contra Senatum, contra Cives, contra patriam exercitum ducere? Quid vero magis vituperandum, quam id facere, quod non liceat? Liceat autem nemini contra patriam ducere exercitum: ſiquidem licere id dicimus, quod legibus, quod more majorum, inſtitutiſque conceditur. Neque enim quod*

a. Cic. in Orat. c. 13. b. Plat. in Gorg., ſeu de Rhet. ex interpr. Marſ. Ficin.

quod quiſque poteſt, id ei licet: nec, ſi non obſtatur, propterea etiam permittitur.

2. Orationis robur eſt illa vis, quae ex veriſſimarum rationum, ex maximarum rerum, ex eruditionis, ex omniſque ſcientiae copia proficiſcitur. Hoc robur orationis laudem, cauſſarum, ac rerum, quae aguntur, victoriam, & audientium perſuaſionem refert, & conſtituit. Quocirca legendo, annotando, meditando, alteque omnia inſpiciendo comparandum eſt: nam magna, aut certe ſeria argumenta incredibilem rationum ſententiarum, exemplorum, eruditionis, permotionum, graviter ingenioſeque dictorum, magnorumque ornamentorum numerum continent, quae accurati, ac ſapientes Scriptores intuentur, atque advocant, rudes vero, ac imperiti omittunt, atque ita res labefaciunt, ac perdunt. Ubique magis minus locum habet robur, ac veritas. Audi quo robore, licet Hiſtoricus, Helvetiis Legatis reſpondet Caeſar Bel. Gal. l. 1. c. 14. *Si veteris contumeliae oblivisci vellet, num etiam recentium injuriarum? quod eo invito iter per provinciam per vim tentaſſent, quod Aeduos, quod Ambarros, quod Allobroges vexaſſent, memoriam deponere poſſet? quod ſua victoria tam inſolenter gloriarentur, quodque ſe tandiu impune tuliſſe injurias admirarentur, eodem pertinere: conſueſse enim Deos immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere ulciſci velint, his ſecundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere: tamen, ſi obſides ſibi dentur, uti ea, quae pollicentur, facturos intelligat, & ſi de injuriis, quas intulerint, ſatisfaciant, ſeſe cum iis pacem facturum.* Et Hor. l. 3. od. 6.

Delicta Majorum immeritus lues
Romane, donec templa refeceris,
Aedeſque labentes Deorum, &
Foeda nigro ſimulacra fumo.
Diis te minorem quod geris imperas:
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Dii multa neglecti dederunt
Heſperiae mala luctuoſae.
Paene occupatam ſeditionibus
Delevit Urbem Dacus, & Aethiops:
Hic claſſe formidatus, ille
Miſſilibus melior ſagittis.
Fecunda culpae ſaecula nuptias
Primum inquinavere, & genus, & domos:
Hoc fonte derivata clades
In patriam, populumque fluxit.

3. Denſa oratio ea eſt, quae plurimarum, maximarumque rerum vim complectitur, includit, & quaſi addenſat. Igitur magna exponit, exhibet, atque oſtendit hoc orationis genus, plura colligit, atque intuenti tamquam latitantia, facile tamen ſeſe offerentia manifeſtat; nam robur vel una ex certa ratione, ſatiſque explicata oritur, denſa ex pluribus quaſi acervatis, penituſque inſitis erumpit; atque imperanti, terrenti, graviſſime dicenti accommodata eſt. Tale hoc Cic. 2. Catil. c. 12. *Quod reliquum eſt jam non poſſum oblivisci meam hanc eſſe patriam, me horum eſſe Conſulem, mihi aut cum his vivendum, aut pro his eſſe moriendum. Nullus eſt portae cuſtos, nullus inſidiator viae: ſi qui exire volunt, conſulere ſibi poſſunt: qui vero in Urbe ſe commoverit, cujus ego non modo factum, ſed inceptum ullum, conatumve contra patriam deprehendero, ſentiet in hac*

urbe

urbe eſſe Conſules vigilantes, eſſe egregios Magiſtratus, eſſe fortem Senatum, eſſe arma, eſſe carcerem. Et 2. Phil. c. 1. *Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitum non perhorreſcere.* Hor. l. 3. od. 3. v. 61.

Trojae renaſcens alite lugubri
Fortuna triſti clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Conjuge me Jovis, & ſorore.
Ter ſi reſurgat murus aheneus
Auctore Phoebo, ter pereat meis
Exciſus Argivis: ter uxor
Capta virum, pueroſque ploret.

4. Granditas orationis eſt quae magnifica argumenta, & magnifico ſtilo proponit, atque exornat. Itaque praeter argumenti magnitudinem, magnificas formas, vehementes permotiones, vehementes figuras, magnificam verborum collocationem, ac numerum, nonnumquam priſca verba amat, nam priſca parce adhibita conciliant granditatem. De hac iterum, cum de ſublimi genere agemus. Interim haec habe exemplo. Nep. in Them. c. 4. *Themiſtocles unus reſtitit, & univerſos eſſe pares ajebat, diſperſos teſtabatur perituros.* Marius apud Sall. Bel. Jug. c. 88. *Invident honori meo: ergo invideant labori meo, & innocentiae, periculis etiam meis, quoniam per haec illum cepi.* Jupiter 1. Aen. v. 280.

Romulus excipiet gentem, & mavortia condet
Moenia, Romanoſque ſuo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono.
Imperium ſine fine dedi: quin aſpera Juno
Conſilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

5. Maturitas orationis eſt magnarum, uti-

lium, verarumque rerum affluens copia, nullo niſi nativo, & quaſi ſeſe offerente, non quaeſito, nedum fucato ornamento illuſtrata. Quare haec ſummorum hominum, ac ſenum, & in magnis conſiliis, ac ſummis rebus ſolet eſſe oratio, praeſtantium documentorum, exemplorum, hiſtoriarum, ac graviſſimae litteraturae plena, qualis praecipue pro Sextio, de Lege Agraria, pro Milone, in Catilinam, atque in Philippicis fuit Cicero, cum *oratio jam noſtra*, ut de ſe ipſe affirmat non multo antequam Philippicas ſcriberet, *caneſceret, haberetque ſuam maturitatem, & quaſi ſenectutem* [a]. Eam indolem haec praeſeferunt. Caeſar Bel. Civ. lib. 3. c. 10. Legatos ad Pompejum de pace mittens. *Debere utrumque pertinaciae finem facere, & ab armis diſcedere, neque amplius fortunam periclitari: ſatis eſſe magna utrimque incommoda accepta, quae pro diſciplina, & praeceptis habere poſſent, ut reliquos caſus timerent: proinde ſibi, ac Reipublicae parcerent, quantumque in bello fortuna poſſet, jam ipſi incommodis ſuis ſatis eſſent documento: hoc unum eſſe tempus de pace agendi, dum ſibi uterque confideret, & pares ambo viderentur: ſi vero alteri paullum modo tribuiſſet fortuna non eſſe uſurum conditionibus pacis eum, qui ſuperior videretur; neque fore aequa parte contentum, qui ſe omnia habiturum confideret.* Aeneas ſummum in bellum advolans filium cohortaturus 12. Aen. v. 435.

Diſce puer virtutem ex me, verumque laborem,
Fortunam ex aliis; nunc te mea dextera bello *Me-*

a. In Bruto c. 2.

Defenſum dabit, & magna inter praemia ducet,
Tu facito, mox cum matura adoleverit aetas
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum,
Et pater Aeneas, & avunculus excitet Hector.

Orationis amplitudo, & brevitas: earum dignitas: & locus: ubi etiam aliquid de obſcuritate.

CAP. V.

1. ORationis amplitudo eſt multarum rerum, graviumque verborum felix ubertas, & magnificentia. Ex ingenii vi alte, ac penitus cuncta cernentis, & recondita in rebus tamquam prodire jubentis, ut oratione explanentur, oritur: mirifice autem comparatur, ſi epitheta ſingulis paene rebus addas, ſi pluribus modis unam eamdemque rem dicas, ſemper tamen augeas, ſi partes omnes, cauſſas, effecta, & ſimilitudines afferas, & rem cum rebus componas; quod explicandis, ob oculos quaſi monſtrandis, honeſteque efferendis argumentis aptiſſima eſt. Hujus orationis praeſtantia, & fontes pluribus aperientur, cum de amplificatione. Nunc audi quam ample hoc quod eſt, *Caria incenditur*, exponat Cic. pro Mil. c. 33. *Quid miſerius, quid acerbius, quid luctuoſius vidimus? templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilii publici, caput urbis, aram ſociorum, portum*

omnium gentium, ſedem ab univerſo Populo Rom. conceſſam uni ordini inflammari, exſcindi, funeſtari? Et hoc, *urbs ab hoſte habetur*, Virg. 2. Aen. v. 324.

Venit ſumma dies, & ineluctabile tempus
Dardaniae, fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum: ferus omnia Jupiter Argos
Tranſtulit, incenſa Danai dominantur in urbe.
Arduus armatos mediis in moenibus adſtans
Fundit equus, victorque Sinon incendia miſcet
Inſultans: portis alii bipatentibus adſunt
Millia quot magnis numquam venere Mycenis.
Obſedere alii telis anguſta viarum
Oppoſiti: ſtat ferri acies mucrone coruſco
Stricta parata neci: vix primi praelia tentant
Portarum vigiles, & caeco Marte reſiſtunt.

2. Verum ne quid nimis: cum orationi ne verbum quidem unum inutile ineſt, ſed unumquodque argumentum illuſtrat, explanat, auget, ut nihil omnino detrahi poſſit ſine rerum imminutione, ea eſt amplitudo; cum aliqua, aut plura inſunt, quae nihil tandem addunt, ea eſt luxurians, redundans, & verboſa oratio. Non caruit hac culpa aliquando Ovidius, ac Cicero praeſertim adoleſcens. Itaque illud pro Roſc. Amer. c. 26. *Nihil tam vile eſt, cujus partem ullam iis reliquerint: etenim quid tam eſt commune, quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis? ita vivunt, cum poſſunt, ut ducere animam de caelo non queant; ita moriuntur, ut eorum oſſa terra non tangat; ita jactantur fluctibus, ut numquam alluantur; ita poſtremo ejiciuntur, ut ne ad ſaxa qui-*

quidem mortui conquieſcant : quod ſummis clamoribus adoleſcens dixit, ſenex minime probavit *. Illud etiam pro Quinct. c. 31. *Miſerum eſt exturbari fortunis omnibus, miſerius eſt injuria; acerbum eſt ab aliquo circumveniri, acerbius a propinquo; calamitoſum eſt bonis everti calamitoſius cum dedecore; funeſtum eſt a forti atque honeſto viro jugulari, funeſtius ab eo, cujus vox praeconio quaeſtui proſtitit; indignum eſt a pari vinci, aut ſuperiore, indignius ab inferiore, atque humiliore; luctuoſum eſt tradi alteri cum bonis, luctuoſius inimico; horribile eſt cauſſam capitis dicere, horribilius priore loco dicere* : aliquanto amplius juſto eſt.

3. Enimvero nimium ab amplitudine ne deterreare adoleſcens. Si in aliquo peccandum, in amplitudine pecces potius, quam jejunitate, aut brevitate: licet enim *utrumque vitium ſit, pejus tamen illud, quod ex inopia, quam quod ex copia venit* [a]: itaque *volo ſe efferat in adoleſcente fecunditas* [b]; nam paullulum redundans oratio non aegre amputatur, *facile* enim *remedium eſt ubertatis, ſterilia nullo labore vincuntur: multum inde decoquent anni, multum ratio limabit: ſit modo unde excidi poſſit, & quod exſcalpi* [c]. Amplus ergo nunc ſis, dum ſcias te paullulum in eo errare, errorem facile emendaturus.

4. Brevitas orationis eſt multarum, magnarum

* *Quantis*, inquit in Oratore c. 30. *illis clamoribus adoleſcentuli diximus de ſupplicio parricidarum? quae nequaquam ſatis deferbuiſſe poſt aliquanto ſentire cepimus. Quid enim tam commune, & quae ſequuntur, ſunt omnia, ſicut adoleſcentis, non tam re & maturitate, quam ſpe & expectatione laudata.* a. Quinctil. l. 2. c. 4. b. Cic. 2. de Orat. c. 21. c. Quinctil. l. 2. c. 4.

rumque rerum paucis verbis comprehenſarum vis. Duplex autem eſt ejus genus: unum, quod multa paucis comprehendit, ſed omnia iis paucis explicat, atque exhibet, nihil prope in re incluſum relinquens: alterum praeter ea, quae ſtrictim dicit, alia, & forte plura includit facile inſpicienda, contemplanda, & ſuſpicienda in iis, quae profert, ac dicit. Utrumque in tempore plane utile, ac ſummis viris, ſummis rebus cito expediendis, praecipienti, nam *ipſa brevitate magis haerent* [a], aut rem, quae agitur, ſtatuenti utile, item terrenti, minanti, jubenti, etenim *imperare conciſum eſt, & breve* [b]. Poſterius vero multo aptius, ac magnificentius, *gravius enim eſt quod in pauco multum intus apparet, & vehementius* [c]. Ceterum *brevitas laus eſt interdum in aliqua parte dicendi, in univerſa eloquentia laudem non habet* [d]. Prioris ergo generis ſint exemplo Ter. Eun. act. 2. ſc. 2. *Omnium rerum viciſſitudo eſt*. Ibi act. 4. ſc. 6. *Quod cavere poſſis, ſtultum admittere eſt*. Virg. ecl. 8. v. 63. *Non omnia poſſumus omnes*. Id. 5. Aen. v. 467. *Cede Deo*. Et 1. Georg. v. 315. *Fato prudentia major*. Sen. ep. 1. *Tempus collige, & ſerva*. Et ep. 3. *Utrumque vitium eſt, & omnibus credere, & nulli*. Alterius vero Sall. Bel. Jug. c. 10. *Concordia res parvae creſcunt, diſcordia maximae dilabuntur*. Virg. 2. Aen. v. 505. *Tenent Danai qua deficit ignis*. Id. 3. Aen. v. 10. *Portuſque relinquo, Et campos ubi Troja fuit*. Et 5. Aen. v. 710. *Quidquid erit, ſuperan-*

a. Quinct. l. 12. c. 10. b. Phaler. de Ratione dicendi pag. 8. ex interpr. Victor. c. Id. ibi eod. interpr. d. Cic. in Brut. c. 13.

peranda omnis fortuna ferendo eſt. Et 6. Aen. v. 95. *Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito*. Idem 1. Aen. v. 368. *Dux femina facti*.

5. Utrique autem maxime obſcuritas fugienda eſt, quae ut ex ambiguis verbis, ex fuſiori circumlocutione, ac rerum perturbatione maxime creatur, ita ſaepe ex brevitate, ut aperte Horatius teſtatur, *Brevis eſſe laboro, Obſcurus fio* a. Nam obſcuritas ſemper vitioſa eſt, etiam forte cum de induſtria fit, *quod ii faciunt, qui cum nihil habent quod dicant, aliquid tamen dicere videri volunt* b, ut Ethnicorum oracula reſpondere, immo homines implicare conſueverunt. Eſto in epiſtolis ad amicos illarum rerum, atque animi noſtri participes locum, & gratiam habeat, etſi ex iis non ſunt obſcura, quae ita ſcribuntur. Enimvero in Oratore, ceterisque Scriptoribus, qui plurimos alloquuntur, numquam probanda, nec enim ingenioſa ſunt ea, quibus intelligendis opus ſit ingenio. Quamobrem *mandare quemquam litteris cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, hominis eſt intemperanter abutentis & otio, & litteris* c. Profecto qui intelligi velit, ac perſuadere, aperte dicat neceſſe eſt. Et ſi Ethnici Oratores interdum prudentes ſcienteſque obſcure dixerunt, ut Judices fallerent, ac reos poenis eriperent, nos alia lege dicimus, quae veritate contendere, & veritatem ornare jubet, non tegere.

Pro-

a. Epiſt. 12. l. 2. v. 26. quam non bene *de Arte Poetica* inſcribi, ut *de Vitae Ruſticae*, *de Philoſophiae laudibus*, *de priſcis*, *ac novis Poetis* alias epiſtolas Horatii non inſcribimus, etſi de iis rebus agant, Muretus, Lambinus, alii contendunt. b. Ariſt. Rhet. l. 3. c. 10. c. Cic. 1. Tuſc. c. 3.

Orationis venuſtas: ſuavitas: aſperitas: earum dignitas: locus, & cautiones.

CAP. VI.

1. VEnuſtas orationis eſt perquam elegans, vivax, & culta dicendi gratia. Oblectando, recreando, ac feſſis auribus, & ab auſteritate revocandis in primis idonea: ad eamque rem temperata, & laeta argumenta ſunt accommodata, ut cantus, *Nympharum horti, Hymenaei, Cupidines* [a], cenae, inambulationes, colloquia, conſilia cum amicis, placidus lenium fluviorum curſus, ſtellarum lumina, & circuitus, arvorum deliciae atque opes, luſciniarum cantus, & ſexcenta hujuſmodi; & blandiores rerum imagines, blandiores locutiones, nam *venuſta locutio res facit venuſtiores* [b], blandiores figuras, & quae blandiendi gratia diminui ſolent nomina amat, ut corculum, animulam, labellum, ocellum, ſuaviolum, ſolatiolum, conviciolum, quae in *oratione gravi, & in heroico verſu locum non habent, in epiſtolis, elegiis, epigrammatibus, dialogis adhiberi poſſunt* [c], & concinnitate periodorum, nativaque verborum poſitura delectatur. Hujuſmodi haec. Cic. pro Mil. c.26. *Nihil eſt tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quam voluntas erga nos ſenſuſque Civium, qui non modo improbitati iraſcuntur Candidatorum, ſed etiam in recte factis*

a. Phaler. de Elocut. pag. 121. & 122. ex interpr. Vict. edit. Florent. 1594. b. Id. Phaler. eod. interp. pag. 122. c. Id. ibi.

ctis ſaepe faſtidiunt. Id. Att. lib. 1. ep. 7. *Tulliola deliciolae noſtrae tuum munuſculum flagitat, & me ut ſponſorem appellat*. Venuſtum etiam, ac lepidum hoc Catull. ep. 13.

Cenabis bene mi, Fabulle, apud me
Paucis, ſi tibi Dii favent, diebus,
Si tecum attuleris bonam, atque magnam
Cenam cum ſale, & omnibus cachinnis.
Haec ſi, inquam, attuleris venuſte noſter,
Cenabis bene, nam tui Catulli
Plenus ſacculus eſt aranearum.
Sed contra accipies meros amores
Seu quid ſuavius, elegantiusque eſt.

2. Suavis oratio, *ſuaviloquentia* Ciceroni[a] dicta, eſt paullo jucundior, quam venuſtas. Itaque blandiſſima verba, molliſſimam eorum ſtructuram, gratiſſima lumina, temperatiſſimas rerum imagines, ac ſententias poſtulat; in iisdemque argumentis locum habet quam venuſtas. Hujus indolis ſunt haec. Cic. pro Mil. c. 34. *Valeant*, inquit Milo, *valeant Cives mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati: ſtet haec urbs praeclara, mihique patria cariſſima, quoquo modo merita de me erit: tranquilla Republ. Cives mei, quoniam mihi cum illis non licet, ſine me ipſi, ſed per me tamen, perfruantur: ego cedam, atque abibo. O fruſtra, inquit, ſuſcepti mei labores: o ſpes fallaces: o cogitationes inanes meae? Ego mihi umquam bonorum praeſidium defuturum* putarem*? Ego, cum te (mecum enim ſaepiſſime loquitur) patriae reddidiſſem, mibi non futurum in patria putarem locum? Ubi tua, Marce Tulli, vox, & defenſio?, Mibine ſoli, qui pro te toties morti me obtuli, nibil, poteſt*

a. In Brut. c. 15.

poteſt opitulari? Et l. 14. ep. 5. *Situ, & Tulliola lux noſtra valetis, ego, & ſuaviſſimus Cicero valemus*. Catull. carm. 63. v. 38.

Ut flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contuſus aratro,
Quem mulcent aurae, firmat ſol, educat imber,
Multi illum pueri, multae optavere puellae:
Idem cum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullae optavere puellae.

3. Aſperitas orationis eſt amarior, ac violentior dicendi vis. Acri libertate patefaciendis ſceleribus, omnique improborum foeditati ſententiarum aculeis perſtringendae utitur, & vaſtam atque hiulcam quandoque orationem admiſcet, quo fortiori contentione agat neglecta orationis, ac verborum arte. Hujus indolis haec. Demoſthen. pro Cteſiph. Aeſchinem appellans. *Quaenam ſunt, o coenum, o ſcribarum omnium poſtreme, quae agat Orator? Principia rerum cernere, multo ante futura providere, eaque aliis praedicere. Haec ego geſſi. Quid praeterea? Populorum tarditatem, cunctationem; deſidiam, inſcientiam, contentiones, quae Civitatibus vitia ſunt uſitata, haec coercere, & comprimere: diſcordiam ſedare, concordiam conſtituere, ad ſtudium agendi, quae Reipub. tempora poſtulant, cohortari, & excitare. Haec a me facta ſunt. Tu vero vir amplus, & gravis, qui ceteros deſpicis una cum patre, qui ludo litterarum affixus atramentum ferebas, ſcamna ſpongiis purgabas, gymnaſium verrebas, adoleſcens ficus, uvas, olivas, pomorum redemtor ex alienis fundis decerpſeras, & plura in his vulnera acceperas. Cum tibi Remp. admi-*

miniſtrare venit in mentem, cum in rebus ſecundis Civitatis leporis vitam viveres, quidquid increpuiſſet pertimeſceres, horreres, tremeres, in aliorum Civium adverſis caſibus ferox es? Qui Cives interfectos laete, ac inſolenter tuliſti, quibus poenis afficiendus es? Cic. in Piſ. c. 4. & 5. *Expoſui breviter conſulatum meum; aude nunc, o furia, de tuo dicere. Tu Sextum Clodium, qui numquam antea praetextatus fuiſſet, ludos facere, & praetextatum volitare paſſus es, hominem impurum, atque non modo facie, ſed etiam oculo tuo digniſſimum. Triduo poſt inſpectante, & tacente te & P. Clodio, fatali portento, prodigioque Reip. vetus illa magiſtra pudoris, & modeſtiae ſeveritas cenſoria ſublata eſt. Cum tu interim buſtum Reip., qui te Conſulem tum Romae dicis fuiſſe, verbo numquam ſignificaris ſententiam tuam tantis in naufragiis Civitatis. An poteſt ulla eſſe excuſatio non dicam male ſentienti, ſed ſedenti, cunctanti, dormienti in maximo Reip. motu Conſuli? Haec ſunt, o carnifex, in gremio ſepulta Conſulatus tui. Perſequere connexos his funeribus dies. Pro Aurelio tribunali, ne conivente quidem te, quod ipſum eſſet ſcelus, ſed etiam hilarioribus oculis, quam ſolitus eras, intuente, delectus ſervorum habebatur ab eo, qui nihil ſibi umquam nec facere, nec pati turpe duxit: arma in templo Caſtoris, o proditor templorum omnium, vidente te, conſtituebantur ab eo latrone, cui templum illud fuit te Conſule arx Civium perditorum, receptaculum veterum Catilinae militum, caſtellum forenſis latrocinii, buſtum legum omnium, ac religionum.*

4. Tenuitas orationis eſt ingenioſe, & deco-

core ſervata humilitas. Si ſatis graviter ſuſtineatur, in humilibus argumentis non parvam habet laudem Virg. 4. Georg. v. 8.

Principio ſedes apibus, ſtatioque petenda,
Quo neque ſit ventis aditus (nam pabula venti
Ferre domum prohibent) neque oves, haedique petulci
Floribus inſultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, & ſurgentes atterat herbas.

Cat. epigr. 1.

Cui dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi: namque tu ſolebas
Meas eſſe aliquid putare nugas
Jam tum, cum auſus es unus Italorum
Omne aevum tribus explicare chartis
Doctis, Jupiter, & laborioſis.
Quare habe hoc tibi quidquid eſt libelli.
*Qualecumque quidem * ora per virorum*
Plus uno maneat perenne ſaeclo.

Orationis ſubtilitas: acumen: ſpiritus: vehementia: abſtracta: ſingulorum locus, & canones.

CAP. VII.

1. ORationis ſubtilitas (non hic tenuitatem accipias) eſt rerum ingenioſe, penituſque cogitatarum aperta expoſitio, ut acute inventa non aegre intelligantur. In epiſto-

* Haec ſecunda pars verſus non eſt Catulli, ſed ab Joviano Pontano ad integritatem addita.

ſtolis, epigrammatibus, ſimilibuſque ſcriptionibus principem ſibi locum vindicat. Cic. 11. Phil. c. 3. *Eſt enim ſapientis quicquid homini accidere poſſit, id praemeditari ferendum eſſe modice, ſi advenerit; majoris omnino eſt conſilii providere, ne quid tale accidat; ſed animi non minoris fortiter ferre, ſi evenerit*. Hor. l. 1. od. 11. *Spatio brevi Spem longam reſeces: dum loquimur, fugerit invida Aetas*. Mart. l. 6. epig. 29 de puero immature mortuo.

Immodicis brevis eſt aetas, & rara ſenectus:
Quicquid ames cupias non placuiſſe nimis.

2. Acuta oratio eſt ingenioſa, & vivax gratia ex re alte cogitata. Itaque ſubtilitati amoenitatem quamdam ſaepius conjungit: in iiſque locum habet, quae ad hilaritatem animos revocare debent, vel ut attentius audiant, vel ut libentius ſe, aut alios damnent audientes. Peracute in Erathoſtenem unum ex triginta Athenarum Tyrannis concludit Lyſias. *Accuſationi finis hic ſit, audiſtis, vidiſtis, paſſi eſtis, tenetis, condemnate* *: nam ingenioſe omnia paucis memorat, meminiſſe quaſi jubet Judices, & ut ad ſeveritatem ingenioſius compellat, amoenitatem admiſcet. Cic. pro Quinct. c. 2. *Summis opibus Sextum Naevium defendunt: ſi id eſt defendere, cupiditati alterius obtemperare, quo is facilius, quem velit, iniquo judicio opprimere poſſit*.

3. Spiritus orationis eſt ille vigor, & fervor, quo tamquam vibrat, atque exſultat oratio. Ex cauſſis, quae agitantur, accurate penituſque perpenſis, atque inde ex illa rerum, quae ita cogitanti ſeſe offerunt, copia, & magnitudine oritur: mirum vero quan-

* Interpr. Claud. Groul.

quantum evehat orationem. Hujuſmodi haec. Cic. pro Arch. c. 8. *Quoties ego hunc Archiam vidi, Judices, cum litteram ſcripſiſſet nullam, magnum numerum optimorum verſuum de iis ipſis rebus, quae tum agerentur, dicere ex tempore? Quoties ego revocatum eamdem rem dicere commutatis verbis, atque ſententiis? quae vero accurate cogitateque ſcripſiſſet, ea ſic vidi probari, ut ad veterum Scriptorum laudem pervenirent*. Virg. 9. Aen. v. 446. de Niſo & Euryalo.

Fortunati ambo, ſi quid mea carmina poſſunt,
Nulla dies umquam memori vos eximet aevo,
Dum domus Aeneae Capitoli immobile ſaxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.

4. Vehemens oratio eſt robuſtiſſima, atque acerrima dicendi vis: itaque multum roboris, multum ſpiritus, multumque habet aſperitatis: quod objurganti, reprehendenti, accuſanti, acriusque contendenti peropportunum eſt. Vehementiae, fiduciae, ac roboris plena Horatii patris oratio apud Liv. l. 1. c. 26. *Hunccine, ajebat, quem modo decoratum ovantemque victoria incedentem vidiſtis, eum ſub furca vinctum inter verbera, & cruciatus videre poteſtis? quod vix Albanorum oculi tam deforme ſpectaculum ferre poſſent. I lictor, colliga manus, quae paullo ante armatae imperium populo Romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris urbis hujus: arbori infelici ſuſpende: verbera vel intra pomoerium, modo inter illa pila, & ſpolia hoſtium, vel extra pomoerium, modo intra ſepulchra Curiatiorum: quo enim ducere hunc juvenem poteſtis, ubi non ſua decora eum a tanta foeditate ſupplicii vindicent?* Et Didonis 4. Aen. v. 365.

Nec

Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor
Perfide, ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hircanaeque admorunt ubera tigres.
Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?
Num lacrimas victus dedit? aut miſeratus amantem eſt?
Nuſquam tuta fides: ejectum littore, egentem
Excepi, & regni demens in parte locavi:
Amiſſam claſſem, ſocios a morte reduxi.
Heu furiis incenſa feror: nunc Augur Apollo,
Nunc Lyciae ſortes, nunc & Jove miſſus ab ipſo
Interpres Divum fert horrida juſſa per auras.
Scilicet is Superis labor eſt, ea cura quietos
Solicitat, neque te teneo, neque dicta refello.
I, ſequere Italiam ventis, pete regna per undas.
Spero equidem mediis, ſi quid pia Numina poſſunt
Supplicia hauſturum ſcopulis, & nomine Dido
Saepe vocaturum: ſequar atris ignibus abſens:
Et cum frigida mors anima ſeduxerit artus,
Omnibus umbra locis adero: dabis improbe poenas.
Audiam, & haec manes veniet mihi fama ſub imos.

5. Abſtracta ſunt ingenioſa, & vivacia dicta rem aliquam complexa univerſe, & ab omni perſona, & cauſſa disjuncta, & quaſi abſtracta, unde iis nomen factum. Pulcherrima plane, orationem ornant, atque audientes rapiunt; & argumentum aliquod ingredienti, abſolventi, perpendenti, atque evehere volenti ſunt accommodata. Nimis tamen crebra in oratione non ſint, ne fatigent audientes, qui id rei, & homini quaſi appli-

care debent, quod de toto rerum, aut ho. minnm genere dictum eſt, neve orationem obſcurent, dum vix conſtat de qua re potiſſimum dicantur. Exemplo haec ſint. Cic. pro Quinct. c 6. *Nullum officium eſt tam ſanctum, atque ſolemne, quod non avaritia comminuere, atque violare ſoleat*. Et 14. Phil. c. 12. *O fortunata mors, quae naturae debita pro patria eſt potiſſimum reddita*. Id. ibi. *In fuga foeda mors eſt, in victoria glorioſa*. Hor. lib. 3. od. 2. v. 17.

Virtus repulſae neſcia ſordidae
Intaminatis fulget honoribus,
Nec ſumit, aut ponit ſecures
Arbitrio popularis aurae.
Virtus recludens immeritis mori
Caelum negata tentat iter via.

Sen. Troad. act. 2. ſc. 1. v. 57. *Violenta nemo imperia continuit diu: Moderata durant: quoque fortuna altius Evexit, ac levavit humanas opes, Hoc ſe magis ſupprimere felicem decet.*

Ingenioſa dicta: ſententiae: cogitata: animadverſa: eorumque praeſtantia.

CAP. VIII.

1. Ingenioſum dictum eſt elegans, ac ſcitum ex verborum gratia, & vi effatum. Itaque aut in verbi nitore, ac vi, aut in pulcherrimo, ac ſignatiſſimo epitheto, aut brevi figura, aut proverbio, aut denique in brevitate, ac documenti etiam utilitate ab ingenio accommodata, & ita propoſi-

poſita ingenioſa dicta poſita ſunt: ea vero mirifice animo ſedent, afficiunt, rapiunt, ac perſuadent, eo fortius, quo dulcius; atque ubique fere locum habent. Talia haec apud Terentium. *Occidi: interii: actum de me: reddidiſti animum: exanimaras me: habeo te: teneo te: recipe animum: non me effugies: obtundis, etſi intellexeram: dum haec loquitur abit hora: ſpem pretio non emo: abi, neſcis ineſcare homines: nihilne in mente eſt? das operam, ut cum ratione inſanias: quanti eſt ſapere!* Apud Ciceronem. *Vide ne haereas: hiſcere audebis? nimis urgeo? nihil profecto ſapis: beneficium latronum: obſtrinxiſti populum religione: viſne inſpiciamus te a puero? vocem in quaeſtum contulit: tempori cedere.* Sall. Con. Cat. c. 11. de Silla: *Bonis initiis malos eventus habuit.* Et c. 22. *Quibus mala abunde omnia erant*: Liv. l. 5. c. 2. *Donum inimicorum veneno illitum fore.* Et l. 1. c. 10. *Docet ſine viribus vanam iram eſſe.* Catull. ep. 22. *Suus cuique attributus eſt error: Sed non videmus manticae quod in tergo eſt.* Cic. pro Lig. c. 5. *Si honeſto, & miſericordi mendacio ſaluti Civis calamitoſi conſultum eſſe vellemus, hominis non eſſet refellere, & coarguere noſtrum mendacium.*

2. Ingenioſa ſententia eſt praeclari, atque utilis documenti brevis comprehenſio. Igitur quae tantummodo documentum continent, etiamſi nemini ignotum, & quaſi in medio poſitum, ſententiae ſunt, numquam ſine aliqua laude acceptae; quae vero inſigne aliquid, atque in rebus abditum aperiunt, ab ingenio excogitatum, & brevi comprehenſum, ingenioſae ſententiae ſunt. Iis vero de-

decet omne Scriptorum genus moderate abundet, ut audienti probentur, eique adjumento ſint ad propulſandas humanae vitae calamitates, & ad perennem in terris, ſempiternoque in aevo felicitatem conſequendam: eamque ob cauſſam illae magnopere laudabiles ſunt, *quae ad humanas actiones pertinent, & quas agendo vel expetimus, vel declinamus* a: *omnium maxime illae praecellunt, in quibus ejus, quod dicitur, cauſſa apparet* b. Prioris generis ſunt iſtae. Ovid. 2. Faſt. v. 117. *Dii pia facta vident*. Sall. Bell. Jug. c. 3. *Fruſtra niti, neque aliud ſe fatigando quam odium quaerere, extremae dementiae eſt*. Ter. Hec. act. 5. ſc. 3. *Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda aequum eſt ferre*. Xenoph. de Inſtit. Cyri l. 5. *Arduum opus eſt recte imperare* *. Id. de Rep. Laced. *Obedire maximum bonum eſt in Rep. militiae, & domi* ** Alterius Ov. 2. Heroid. v. 61. *Quaecumque ex merito ſpes venit, aequa venit*. Vetus Poeta Ariſtoteli c commendatus. *Ne immortale odium mortali in pectore ſerves*. Agamemnon apud Sen. Troad. act. 2. ſc. 2. v. 62. *Magna momento obrui Vincendo didici: tu me ſuperbum, Priame, tu timidum facis*.

3. Ingenioſe cogitatum eſt praeclarum inventum ab ingenio exploratum, atque ingenioſe propoſitum. Itaque generatim animi ſenſa, aut mentis conceptus ſunt, quae aliquid non rude continent, ingenioſe autem cogitatum illud, quod intuetur, reperit, atque exponit inſigne aliquid, novum, mirabile, atque

a. Ariſt. Rhet. l. 2. c. 42. tex. 509. b. Id. ibi tex. 516. * Ex interpr. Franc. Phil. ** Ex interpr. ejuſd. c. Rhet. l. 2. c. 42. t. 516.

atque illud exornat. Talia haec ſunt. Iſocrates initio Panegyrici. *Miratus ſaepe ſum eos, qui celebritates, & ludorum certamina inſtituerunt, quod quidem bonam corporum habitudinem ita magnis donis dignam judicaverunt, at pro communibus commodis laborantibus, & ſuos animos ſic apparantibus, ut aliis juvare poſſent, his nullum honorem impertirent.* Cic. ſtatim 2. Phil. *Quonam meo fato, P. C. fieri dicam, ut nemo his annis viginti Reip. hoſtis fuerit, qui non bellum eodem tempore mibi quoque indixerit?* Id. 3. Tuſcul. ineunte. *Quidnam eſſe, Brute, cauſſae putem, cur, cum conſtemus ex animo & corpore, corporis curandi tuendique cauſſa quaeſita ſit ars ejus, atque utilitas Deorum immortalium inventioni conſecrata, animi autem medicina nec tam deſiderata ſit antequam inventa, nec tam culta poſteaquam cognita eſt, nec tam multis grata, & probata, pluribus etiam ſuſpecta, & inviſa? An quod corporis gravitatem, & dolorem animo judicamus, animi morbum corpore non ſentimus?* Porſena Mutio Scaevolae, qui ut patriam obſidione liberaret, necem ei molitus erat, deprehenſus vero manum in ignem ſua ſponte injectam torrebat: *Tu vero*, inquit apud Liv. l. 2. c. 13. *abi in te magis, quam in me hoſtilia auſus: juberem te macte virtute eſſe, ſi pro mea patria tanta virtus ſtaret: nunc jure belli liberum te, intactum, inviolatumque hinc dimitto.* Hor. l. 3. v. 49. *Aurum irrepertum ſpernere fortior, Quam cogere humanos in uſus Omne ſacrum rapiente dextra.* Pulchrum ſane mortales aurum facilius ſpernere, quam eo bene uti.

4. Ingenioſum animadverſum (paullo pro-

fundius, quam cogitatum; nam cogitatum etiam aliqua prima rei ſpecies eſſe poteſt, animadverſum autem nonniſi accuratius ex ea deductum) eſt re altius reputata praeclarum, atque excellens inventum. Id qnoque mentis noſtrae opus, ſi tantummodo documentum, inventumque aliquod contineat, erit certe animadverſum, ingenioſum autem tum, cum plane excellens ab ingenio fuerit ex re perpenſa quaſi erutum, multo adhuc pulchrius, ſi ingenioſe fuerit adornatum. Hujus generis haec. Cic. pro Quinct. c. 19. *Moritur in Gallia Quinctius, & moritur repentino. Heredem* * *teſtamento reliquit hunc P. Quinctium, ut ad quem ſummus maeror morte ſua veniebat, ad eumdem ſummus honos quoque perveniret*. Et pro Marc. c. 1. *Ille quidem* Marcellus patriae a Caeſare reſtitutus *fructum omnis anteactae vitae hodierna die maximum cepit cum ſummo conſenſu Senatus, tum praeterea judicio tuo graviſſimo, & maximo*. Haec eſt velut certa ſpecies primo oblata & ſuo jure ingenioſe cogitatum dicetur: hanc rem nunc Cic. perpendit, ex eaque pulchrum hoc deducit. *Ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio ſit laus, cum in accepto tanta ſit gloria*. Ex hoc iterum aliam rem animadvertit: inquit enim. *Eſt vero fortunatus ille, cujus ex ſalute non minor paene ad omnes, quam ad illum ventura ſit, laetitia pervenerit*. Caeſ. Bel. Gallia. 1. c. 12. *Caeſar de tertia vigilia cum legionibus tribus et caſtris profectus impeditor, & inopinantes aggreſſus, magnam partem*

* *Heredem*, *Hereditatem*, ex iisque orta, ſine diphthongo ſcribit ex vett. libb. & lapidd. Ald. Manut.

tem eorum concidit: ita ſive caſu, ſive conſilio Deorum immortalium, quae pars Civitatis Helvetiae inſignem calamitatem Pop. Rom. intulerat, ea princes poenas perſolvit. Virg. 4. Georg. v. 203. de apum induſtria.

Saepe etiam duris errando in cotibus alas
Attrivere, ultroque animam ſub faſce dedere:
Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.

Inopinatum: novum: mirabile: eorum dignitas: & monita.

CAP. IX.

1. INopinatum eſt, quod vel ex verborum gratia, & forma, quibus proponitur, vel ex re ipſa, quae praeter conſuetudinem contingat, hominum expectationem ſuperat. Itaque unum inopinatum verborum, alterum factorum dicam. Verborum inopinatum, cum ſimplex propoſitio, aut pronunciatum eſt, in eo poſitum eſt, ut ſententia, & verba ipſa primo aſpectu falſa videantur, inſpicienti autem ea, & aſſequenti vera plane intelligantur, ac vera ſint. Cum vero ex argumentatione dictum eſt, in eo tum eſt, ut ex priori propoſitione aut omnino contrarium, aut certe non illud expectaretur, ideoque illatio inopinata contingit. Id vero ipſum ab exemplis ſatis erit perſpicuum. Inquit Virg. 2. Aen. v. 354. *Una ſalus victis nullam ſperare ſalutem*. Hic primam verborum, ac rei faciem ſpectanti repugnans videtur, ex deſperatis comploratiſque Troja-

no-

norum rebus ſalutem, ſeu pugnandi fiduciam, ac vincendi vim ortam eſſe, vere enim comploratis rebus nullum eſt remedium; ſed altius res inſpicienti verum eſſe intelligitur; cernit enim, nulla Troianis tuendae vitae ſpe exiſtente niſi extrema in bello conantibus, eos extrema conari debuiſſe, ut conatos ſeſe ex hoſtibus partim obtruncatis, partem eluſis ſervaſſe. Ubi vides ex pugna illa, quod paradoxum vocamus, cui inopinatim nititur, rei illius, quae vere eſt, & rei, quae primo aſpectu apparet, inopinatum oriri; quare tota induſtria, ut inopinata dicantur in eo eſt, ut ita animi ſenſa proponantur, ut prima facie videantur non vera, aut certe repugnantia, vera autem ſint accurate intuenti. Vides etiam niſi detur opera, ut ſimul plane vera ſint, inopinata inani ſpecie inniti. Dicta inopinata & haec. Liv. l. 1. c. 11. *Nec oſtenderunt bellum prius quam intulerunt.* Darius ad Milites ſuos apud Curt. l. 4. c. 34. *Effugit mortem quiſquis contemſerit.* Sen. epiſt. 2. *Nuſquam eſt qui ubique eſt.* Factum vero inopinatum id apud Herodot. l. 4. quo Scythae in longinquam expeditionem profecti domum deinde reverſi ſervos dominorum omnia occupaſſe deprehenderunt, & domo armis prohibere auſos, atque aliquot praeliis infelicius cum iis geſtis, hanc eorum princeps quidam pugnandi rationem ſuadet: *Quid facimus, ait, cum noſtris ipſorum ſervis dimicantes? Haſtis, arcubuſque omiſſis, ſumamus flagella, quibus equos verberamus; nam, quoad vident nos arma habentes, arbitrantur ſe ſimiles nobis, ubi pro armis verbera tenentes viderint tunc noſtros*

ſtros ſervos ſe intelligentes, non perſtabunt. Hoc Scythae faciendum putaverunt, qua ex re perculſi illi fugam capeſſerunt *.

3. Novum eſt, quod ſenſum aliquod, aut factum continet vel numquam auditum, aut per quam raro. Igitur nova dicunt, qui inuſitata in rebus ſenſa, nec imperitis ingeniis viſa intuentes ea produnt, aut qui inſolita facta, nec communiter contingentia exponunt, etſi etiam, qui non aegre obvia novo ordine, aut tempore, aut cultu dicunt nova dicunt; *ego enim*, inquit Cicero, *& me ſaepe nova videri dicere intelligo, cum pervetera dicam, ſed inaudita plerisque* [a]. Haec etiam nova aliquando ſimplex pronunciatum, aliquando illationes, aliquando facta ſunt. Singulorum aliqua ſint exemplo. Liv. praef. l. 1. *Quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat*. Sen. epiſt. 7. de Amico. *Fidelem, ſi putaveris, facies*. Vetus Poeta apud eumdem epiſt. 94. *Injuriarum remedium eſt oblivio*. Lucan. Bell. Civil. l. 1. v. 70. *Summiſque negatum Stare diu*. Paro Ariſtoteli commendatus ſapientiſſimum tempus appellanti, quod per ipſum cuncta diſcuntur, *aeque igitur*, ait, *inſipientiſſimum erit, quod tempore omnia dediſcuntur* [b]. Nepos in Miltiade c. 2. *Ex pacto poſtulat* Miltiades, *ut ſibi urbem tradant; illi enim dixerant, cum vento Borea domo profectus eo perveniſſet, ſeſe dedituros; ſe autem domum Cherſoneſi habere. Cares, & ſi praeter opinionem res ceciderat, tamen non dicto, ſed ſecunda fortuna capti adverſariorum, reſiſtere auſi non ſunt, atque ex inſula demigrarunt*. 4. Mi-

a. In Br. c. 3. b Vide Pallav. Tract. Stil. c. 16. num. 3. * Ex interpr. Laur. Valle

4. Mirabile eſt excellens, ac ſummum inopinati quaſi faſtigium: nam quidquid praeter hominum opinionem, expectationemque incidit, licet non eximium, inopinatum eſt: novum praeterea egregiam rei perfectionem poſtulat: mirabile autem inſignem, & tamquam ſummam in eo genere pulchritudinem: ſi quis tamen ea confundat, non admodum pugnabo. Tertii hujus generis facile ea ſunt. Cic. pro Leg. Man. c. 21. *Itaque tantum victus efficere potuit, quantum incolumis numquam eſt auſus optare*. Et 1. Acad. Quaeſt. c. 18. *Servilii, qui gemini fuerunt tam ſimiles, non cognoſcebantur foris, at domi, non ab alienis, at a ſuis*. Virg. 5. Aen. v. 231. de Mneſthei ſociis ad victoriam ſeſe animantibus. *Poſſunt, quia poſſe videntur*. Hor. l. 2. od. 10. v. 13. *Sperat infeſtis, metuit ſecundis Alteram ſortem bene praeparatum Pectus*.

5. Haec vero eloquentiae praeclara lumina profecto praeſtant: nam mirifice afficiunt, delectant, ac rapiunt, quod generatim optimo cuique Scriptori praeſtandum eſt. *Eloquentiam* enim, *quae non habet admirationem, nullam puto* a. Dicimus enim, ut audientes diſcant, ac docendo ad ea ducantur, quae utilia, & magna ſunt. Diſcunt autem plane cum ea audiunt, quae forte non ipſis, at certe non vulgari homini in mentem, cogitationemque veniſſent. Immo vero majori utilitate, ac voluptate diſcunt, cum ita haec inopinata, ac mirabilia offeruntur, ut quaſi per ſe ipſi ea diſcere videantur, & apertius quoque ita intelligunt: *magis* enim *perſpicue res intelligitur, cum aliter quis exiſtima-*

a. Cic. in Brut.

ſtimabat; nam tunc animus ſecum dicere videtur, quam verum hoc eſt, ſed ego decipiebar a. Certe *cum ea intellexerint, acumine ſuo delectantur, & gaudent non quaſi audiverint, ſed quaſi invenerint* b. Verum magnopere cavendum, ne nimium mirabiles eſſe velimus, praecipue in gravi, & matura ſcriptione, nam Oratoribus, atque Hiſtoricis, qui perſuadent, moderatius ſcribendum eſt, quam Poetis, qui potiſſimum delectent, atque adeo audaciores eſſe poſſunt.

Deſcriptionum, ac digreſſionum praeſtantia, & cautiones.

CAP. X.

1. DEſcriptio eſt accurata, elegans, vivax, ac ſplendida rei expoſitio. Differt vero a narratione, hypotypoſi, atque ethopoeja; narratio enim factum aliquod ſeu verum, ſeu fictum complectitur, hypotypoſis, quamquam ſimilior, certam aliquam, aut perſonam, aut ejus actionem expingit: ethopoeja indolem hominis, ac mores, deſcriptio autem omne rerum genus quaſi aliqua pictura exornat, atque adeo montium, camporum fluminum, aurorae, dierum, noctium, tempeſtatum, praeliorum, celebritatum, ludorum, conventuum, exercituum, ejuſque generis rerum omne ingenium, faciem, & pompam ob oculos ponit. Magno eſt uſui omni Scriptorum generi. Nam Hiſtorici quo plenius res legenti explanent regionum ſitum, ac

a. Ariſt. Rhet. l. 3. c. 28. b. Quinct. l. 8. c. 2.

ac temporum facultatem deſcribunt, Oratores non ſemel eorum aliqua, Poetae multo libentiſſime omnia. Egregia deſcriptio verius quam narratio Liv.l.1.c 24. *Forte in duobus tum exercitibus erant tergemini fratres nec aetate, nec viribus diſpares. Cum tergeminis agunt Reges, ut pro ſua quiſque patria dimicent ferro: ibi imperium fore, unde victoria ſteterit. Nihil recuſatur: foedus ictum inter Romanos, & Albanos eſt. Foedere icto tergemini arma capiunt. Cum ſui utroſque adhortarentur, Deos patrios, patriam, ac parentes, quidquid Civium domi, quidquid in exercitu ſit, illorum tunc arma, illorum intueri manus; feroces & ſuopte ingenio, & pleni adhortantium vocibus in medium inter duas acies procedunt. Conſederant utrimque pro caſtris duo exercitus, periculi magis praeſentis, quam curae expertes. Quippe imperium agebatur in tam paucorum virtute, atque fortuna poſitum. Itaque erecti ſuſpenſique in minime gratum ſpectaculum animo incenduntur. Datur ſignum, infeſtiſque armis, velut acies, terni juvenes magnorum exercituum animos gerentes concurrunt: nec his, nec illis periculum ſuum, ſed publicum imperium, ſervitiumque obverſatur animo, futuraque ea deinde patriae fortuna, quam ipſi feciſſent. Ut primo ſtatim concurſu increpuere arma, micanteſque fulſere gladii, horror ingens ſpectantes perſtringit, & neutro inclinata ſpe torpebat vox ſpirituſque. Confertis deinde manibus, cum jam non motus tantum corporum, agitatioque anceps telorum armorumque, ſed vulnera quoque & ſanguis ſpectaculo eſſent, duo Romani ſuper alium alius, vulneratis tribus Albanis, expi-*

pi-

ſpirantes corruerunt. Ad quorum caſum cum conclamaſſet gaudio Albanus exercitus, Romanas Legiones jam ſpes tota, nondum tamen cura deſeruerat, exanimes vice unius, quam tres Curiatii circumſteterant. Forte is integer fuit, ut univerſis ſolus nequaquam par, ſic adverſus ſingulos ferox: ergo, ut ſegregaret pugnam eorum, capeſſit fugam; ita ratus ſecuturos, ut quemque vulnere affectum corpus ſineret. Jam aliquantum ſpatii ex eo loco, ubi pugnatum eſt, aufugerat; cum reſpiciens videt magnis intervallis ſequentes, unum haud procul ab ſeſe abeſſe, in eum magno impetu rediit. Et dum Albanus exercitus inclamat Curatiis, uti opem ferant fratri, jam Horatius caeſo hoſte victor ſecundam pugnam petebat: tunc clamore, qualis ex inſperato paventium ſolet, Romani adjuvant Militem ſuum; & ille defungi praelio feſtinat. Prius itaque quam alter, qui nec procul aberat conſequi poſſet, & alterum Curiatium conficit. Jamque aequato Marte ſinguli ſupererant, ſed nec ſpe, nec viribus pares: alterum intactum ferro corpus, & geminata victoria ferocem in certamen tertium dabant: alter feſſum vulnere, feſſum curſu trahens corpus, victuſque fratrum ante ſe ſtrage victori objicitur hoſti: nec illud praelium fuit. Romanus exſultans, duos, inquit, fratrum manibus dedi, tertium cauſſam belli hujuſce, ut Romanus Albano imperet, dabo. Male ſuſtinenti arma gladium ſuperne jugulo defigit: jacentem ſpoliat. Et Virg. 4. Georg. v. 67. praeliantum apum deſcriptio.

ſaepe duobus
Regibus inceſſit magno diſcordia motu.
Tum trepidae inter ſe coeunt, penniſque coruſcant:

Spi-

Spiculaque exacuunt roſtris, aptantque lacertos:
Et circa Regem, atque ipſa ad praetoria denſae
Miſcentur, magniſque vocant clamoribus hoſtem.
Ergo ubi ver nactae ſudum, campoſque patentes,
Erumpunt portis, concurritur: aethere in alto
Fit ſonitus, magnum miſtae glomerantur in orbem,
Praecipiteſque cadunt; non denſior aere grando,
Nec de concuſſa tantum pluit ilice glandis.
Ipſi per medias acies, inſignibus alis,
Ingentes animos anguſto in pectore verſant.

2. Deſcriptiones tamen ad delectandum, quam ad magna, & utilia ſuadenda praeſtant, & dicentis fere ingenium magis praedicant, quam cauſſas promoveant, aut obtineant; niſi forte res certas deſcribas, ut ex iis conciliatum audientem alia orationis vi deinde facilius permoveas: magnis certe, ac veris argumentis non aptiſſimae. Hac de cauſſa praeclare Hor. lib. 2. ep. 12. v. 14.

Inceptis gravibus plerumque, & magna profeſſis
Purpureus late qui ſplendeat unus, & alter
Aſſuitur pannus, cum lucus, & ara Dianae,
Et properãtis aquae per amoenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius deſcribitur arcus:
Sed nunc non erat his locus: & fortaſſe cupreſſum
Scis ſimulare, quid hoc? ſi fractis enatat exſpes
Navibus aere dato qui pingitur?

3. Digreſſio eſt brevis a propoſito aberratio

tio. Itaque ad ornatum, atque eruditionem non ſemel Oratori, atque Hiſtorico, aut ad remiſſionem quamdam legentium praecipienti Scriptori, vel certam facultatem tractanti, aut denique ad animi voluptatem ad alia ſaepius Poetae vagari licet, ſed prioribus illis multo parcius: ſingulis vero efficiendum, ut ille excurſus ad propoſitum conducat, & maturior ſit reditus ad propoſitum, ut plane ſit *ab re non longa digreſſio* a. Pauca haec exemplo. Caeſ. Bel. Gal. l. 3. c. 22. *In ea re* (accipiendis dedititiorum armis, atque obſidibus) *omnium noſtrorum intentis animis alia ex parte oppidi Adcantuannus, qui ſummam imperii tenebat, cum ſexcentis devotis, quos illi Soldurios appellant, quorum haec eſt conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum ſe amicitiae dediderint, ſiquid iis per vim accidat, aut eumdem caſum una ferant, aut ſibi mortem conſciſcant; neque adhuc hominum memoria repertus eſt quiſquam, qui, eo interfecto, cujus ſe amicitiae devoviſſet, mori recuſaret. Cum iis Adcantuannus eruptionem facere conatus, clamore ab ea parte munitionis ſublato, cum ad arma milites concurriſſent, vehementerque ibi pugnatum eſſet, repulſus in oppidum eſt*. Non ad hiſtoriae, aut illius pugnae facta id pertinet, ſed ad gentis illius morem. Cic. 6. Ver. c. 33. *Segeſta eſt oppidum pervetus in Sicilia, Judices, quod ab Aenea fugiente a Troja conditum demonſtrant. Hoc quondam oppidum a Carthaginienſibus vi captum, atque deletum eſt, omniaque, quae ornamento urbi eſſe poſſent, Carthaginem ſunt*

H *ex*

a. Cic. 3. de Orat. c. 53.

ex illo loco deportata. Fuit apud Segeſtanos ex aere ſimulacrum Dianae, cum ſumma atque antiquiſſima praeditum religione, tum ſingulari opere artificioque perfectum. Hoc translatum Carthaginem aliquot ſaeculis poſt Scipio bello Punico peracto, & Carthagine capta convocatis ſingulis Segeſtanis reddidit, hoc autem cum iſte ſacrorum omnium hoſtis, religionumque praedo vidiſſet, imperat magiſtratibus demoliantur, & ſibi dent. Virgilio Trojani excidii narratio, Aenae Carthagine commoratio, Didonis amor ac mors, multa alia, digreſſiones ſunt.

Eruditae orationis fontes, & monita.

CAP. XI.

1. ERudita oratio eſt documentorum, & ſcientiae ex praeclaris diſciplinis, exemplorum ex incorruptis hiſtoriarum monumentis, inſtitutorum ex ſuae aliarumque gentium cognitione, ac moribus, teſtimoniorumque, ubi opus ſint, ex optimis Scriptoribus dives copia. Ad docendum maxime, atque ad perſuadendum ſupra modum confert. Exemplum eſto id Cic. pro Arch. c. 7. *Idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud neſcio quid praeclarum ac ſingulare ſolere exiſtere. Ex hoc eſſe hunc numero, quem Patres noſtri viderunt, divinum hominem Africanum, ex hoc C. Laelium, L. Furium modeſtiſſimos homines & continentiſſimos, ex hoc fortiſſimum virum, & illis temporibus doctiſſimum M. Catonem illum ſenem, qui profecto ſi nihil ab perficiendam co-*

lem.

lendamque virtutem litteris adjuvarentur, numquam ſe ad earum ſtudium contuliſſent. Ineſt hic ex Philoſophia ad virtutem comparandam praeclarum habitum naturae, atque inſtitutionem poſtulari, conjungique utrumque debere, ex Hiſtoria vero praeſtantium illa in eo genere Romanorum multitudo. Et Hor. l. 1. od. 28. v. 23. ubi inducitur Archytas Tarentinus egregius Philoſophus corpori ſuo tumuli honorem orans.

At tu Nauta vagae ne parce malignus arenae
Oſſibus, & capiti inhumato
Particulam dare: ſic, quodcumque minabitur Eurus
Fluctibus Heſperiis, Venuſinae
Plectantur ſilvae, te ſoſpite, multaque merces,
Unde poteſt, tibi defluat aequo
Ab Jove, Neptunoque ſacri cuſtode Tarenti.
Negligis immeritis nocitura
Poſtmodo te natis fraudem committere? forſan
Debita jura vicesque ſuperbae
Te maneant ipſum: precibus non linquar inultis,
Teque piacula nulla reſolvent.
Quamquam feſtinas, non eſt mora longa, licebit
Injecto ter pulvere curras.

Hic audis vel ex Ethnicorum Theologia inhumata corpora non modo inhonorata, ſed certis piis precationibus, & adjumentis privata; audis a Deo Opt. Max. praeclaris factis praemia conſtitui; audis parentum ſcelera in filios etiam puniri, & cuique, ſic Deo jubente, ſuperbiae & duritiae poenas imminere ac rependi, & miſerorum in ca-

lamitate rejectorum preces a Deo exaudiri.

2. Ex iis intelligis hanc eruditionem quidem ex his fontibus comparandam ſatis multo labore probatiſſimis Scriptoribus legendis adhibito, ſed adoleſcenti paullatim ſibi conſtituendam. Oratorum modo, ac Poetarum interpretationem audienti, tum diſciplinarum orbem conficienti, deinceps vero continenter accurateque per ſe legenti eruditio ſenſim quaſi occurret: quare, ſi eruditionem adoleſcens afferat, probabo, non flagitabo, dum contendat.

Varietas orationis: ejus praeſtantia: quae ea ſpectet: ac variandi rationes.

CAP. XII.

1. VArietas orationis eſt ejusdem rei dicendae, ejuſdemve lucubrationis condendae alia ratio. Itaque alia verborum eſt, alia rerum.

2. Utraque autem magnae laudis, nec minus enim in oratione, quam in pulcherrima hac rerum univerſitate, placet varietas. Maxime certe hac varietate commendantur ingenii opes, dicendi exercitatio, judicii magnitudo, adeo ut Cicero libenter ac ſaepe cum Roſcio, praeclaro in ſcena agendi variandique artifice, contenderet, utrum ipſe eamdem ſententiam varietate majore exprimeret, an geſtu & pronunciatione Roſcius [a]. Contra autem eamdem ſaepius cantilenam canere, eam

a. Vide Aver. diſſert. 90. in Cic.

eamdem tundere incudem, iterumque idem dicere faſtidioſiſſimum, immo *nihil eſt tam vitioſum, quam ſi ſemper eſt idem* [a]. Curandum ergo, *ut ſatietas varietate vitetur* [b], viteturque dicendi crebra ſimilitudo, *quae omnibus in rebus eſt ſatietatis mater* [c].

3. Porro haec varietas univerſas plane eloquentiae partes moderatur, ut nihil ſit, quod eodem ſaepius modo probetur, & variari non poſtulet. Ut ſingulatim aliquid praecipiamus, varietas verborum ſpectat verba; verborum collocationes, locutiones, periodorum comprehenſiones, ac dicendi figuras, ut, ſi idem in eodem argumento, in eademque lucubratione praeſertim brevi dicendum ſit, idem dicas, ſed aliis verbis, aliis locutionibus, alia figura dicas, alio modo verba colloces, alioque orationem concludas, niſi inſignis permotio, inſignis pulchritudo, aliud praeſcribat, nam *bis atque ter pulchrum ferunt quae pulchra ſunt repetere* [d]. Varietas rerum ſpectat argumenta, eorum expoſitionem, lucubrationum partes, earumque ſeriem ſive ordinem, alia argumenta aliis locis afferens, alia ratione ordiens, proponens, dividens, narrans, confirmans, refutans, & alio rerum exitu orationes perorans, aut carmina abſolvens. Audi quam aliis locutionibus, & figuris in Romanorum laudem excurrat Hor. lib. 1. od. 12. v. 13.

Quid prius dicam ſolitis Parentis *

a. Cic. in Orat. c. 63. b Auctor ad Heren l. 4 c. 11. c. Cic. Inv. l. 1. c 41. d. Plat. in Gorg. ſeu de Rhet.

* Ita ex vett. codd. emendat Lambin quod vulgati libri habent *parentum*: h. e. a quo exordiar potius quam ab Jovis ſummi omnium mortalium parentis laudibus?

Laudibus? qui res hominum, ac Deorum,
Qui mare, & terras, variiſque mundum
Temperat horis?
Unde nil majus generatur ipſo,
Nec viget quidquam ſimile, aut ſecundum:
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.
Praeliis audax neque te ſilebo
Liber, & ſaevis inimica virgo
Belluis, nec te metuende certa
Phoebe ſagitta.
Dicam & Alciden, pueroſque Ledae,
Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem, quorum ſimul alba Nautis
Stella refulſit,
Defluit ſaxis agitatus humor,
Concidunt venti, fugiuntque nubes,
Et minax [quod ſic voluere] ponto
Unda recumbit.
Romulum poſt hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an ſuperbos
Tarquini faſces, dubito, an Catonis
Nobile lethum.
Regulum, & Scauros, animaeque magnae
Prodigum Paullum ſuperante Poeno
Gratus inſigni referam camoena,
Fabriciumque.
Hunc, & incomtis Curium capillis
Utilem bello tulit, & Camillum
Saeva paupertas, & avitus apto
Cum lare fundus.
Creſcit occulto velut arbor aevo
Fama Marcelli: micat inter omnes
Julium ſidus, velut inter ignes
Luna minores.

4. Habes hic egregiam locutionum, habes figu-

figurarum, habes, etiam illam numerationis varietatem, qua certis quidem perſonis ſola nomina, plerisque vero ſuas attribuit proprietates, habes denique varietatis rationes, ac fontes quosdam: & verborum quidem varietatem conciliant maxime affinia, ſive, ut vocant, ſynonyma, figurarum in alias mutatio, eaque omnia, quae varias ejusdem rei imagines audienti ob oculos ponunt, unum tamen atque idem demum ſignificant.

5. Decet quidem unam eamdemque rem etiam in alia lucubratione propoſitam aliqua ratione variare, ut curarum ubique ſaevientum immanitatem Hor. lib. 2. od. 6. v. 9.

Non enim gazae, neque conſularis
Summovet lictor miſeros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.

Ibidem v. 21.

Scandit aeratas vitioſa naves
Cura, nec turmas equitum relinquit
Ocyor ventis, & agente nimbos
Ocyor Euro.

Et lib. 3. od. 1. v. 37.

Sed timor, & minae
Scandunt eodem, quo dominus, neque
Decedit aerata triremi, &
Poſt equitem ſedet atra cura.

Non dedecet tamen aut libris, aut locis ſatis diſtantibus idem omnino adhibere, ut Virg. 2. Aen. v. 745. de Orode, & 12. v. 309. de Podalirio

Olli dura quies oculos, & ferreus urget
Somnus, in aeternam clauduntur lumina noctem.

Alibi ipſe & alii alia.

Ante ſcribendum effingenda eſt in animo ſcribendorum veluti pictura, ut aptiſſime deinde omnia dicantur.

C A P. XIII.

1. NAtura, immo Deus naturae auctor, duo inſtrumenta homini dedit ad animi ſenſa exprimenda, ceteris communicanda, iiſque perſuadenda, mentem quaſi ducem, ac linguam tamquam adminiſtram. Menti perceptio, ſeu phantaſia, judicium, & ratiocinatio adſunt, atque opitulantur, eorumque omnem vim per verba animi ſimulacra lingua exprimit, perſuadet, obtinet.

2. Ex eo fit, ut antequam quis ſcribat, in animo ſuo rem illam, quam aggreditur, alte cogitet, clare intueatur, efficienter in omnem faciem verſet, vivide quaſi formam aliquam ejus effingat & conſtituat neceſſe eſt, ut poſtquam veluti aliquod corpus fictum eſt, ſuis deinde partibus, coloribus, carnibus, nervis pingatur, atque animetur. Tum ad rem illam verba, ornamenta, & vis ſeſe prope offerent. Hinc praeclarum Horatii dictum, *ut Pictura Poeſis erit* a. Poeſis quidem paullo ornatior, audaciorque; Oratoria vero, & Hiſtoria graviores, ſimpliciores, verecundiores. Utriſque autem ex eo omnis copia affluit; *Verbaque proviſam rem non invita ſequuntur* b. Itaque antequam dicamus, opus eſt

a. Horat. lib. 2. epiſt. 12. v. 361. b. Idem ibi v. 311.

eſt, ut ſciamus quid velimus dicere, ut autem bene dicamus, bene in animo ſingulas res dicendas pinxerimus neceſſe eſt: ex eo maxime perſpicua, propria, & rem aptiſſime exprimentia verba aderunt, ut etiam hypotypoſes, ſi conveniant, emphaſes, omnis ornatus, ſenſa, permotiones, argumenta: quare totius eloquentiae id prope eſt cauſſa atque origo. Vere animo ſuo rem ante expinxerat Livius l. 2. c. 5. de Bruto duos liberos ſuos cum exactis Tarquiniis conjuratos plectente. *Stabant deligati ad palum nobiliſſimi juvenes, ſed a ceteris, velut ab ignotis capitibus, Conſulis liberi omnium in ſe avertebant oculos, miſerebatque non poenae magis homines, quam ſceleris, quo poenam meriti eſſent. Conſules in ſedem proceſſere ſuam, miſſique lictores ad ſumendum ſupplicium; nudatos virgis caedunt, ſecurique feriunt; cum inter omne tempus Pater, vultuſque & os ejus ſpectaculo eſſet, eminente animo patrio inter publicae poenae miniſterium*. Et Virg. 1. Aen. v. 297.

Dirae ferro, & compagibus arctis
Claudentur belli portae: furor impius intus
Saeva ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis fremet horridus ore cruento.

Horatius quoque lib. 1. od. 28. v. 17.

Dant alios Furiae torvo ſpectacula Marti:
Exitio eſt avidis mare Nautis:
Miſta ſenum ac juvenum denſantur funera: nullum
Saeva caput Proſerpina fugit.

Per.

Perficienda eſt rerum natura: quibus in rebus: & quo pacto Oratori, Poetae, Hiſtorico.

CAP. XIV.

1. POſtquam aliquid dicendum, aut ſcribendum Orator ſuſceperit, accurate ac penitus ei rei illius natura, ſive omnis ejus veritas aut falſitas, robur aut imbecillitas, honeſtas aut turpitudo, utilitas aut pernicies, denique omnis facies contemplanda eſt, cumulate deinde exprimenda, immo perficienda, hoc eſt ad perfectam, praeclaram, ac praecellentem ſpeciem in eo genere revocanda, atque excitanda a, ut quod ei cauſſa offert, id perfectiſſime exponat, & qua par eſt amplitudine, vi, & ornatu praeſtans, atque eximium efficiat.

2. Id vero quatuor his rebus praeſtandum intelligo, in actionibus, in moribus, in ſententia, in elocutione; ut quae facta exprimenda ſunt perfecta exhibeantur, quamquam iis definita limitibus, quibus ea vere contigerunt, cumulate etiam ii mores hominibus attribuantur, quibus praediti fuerunt, itemque iis ſententiis, iiſque verbis dicentes, agentesque homines referantur, quae perfecte illos agentes, loquenteſque praeſeferant. Exemplo fiat notius, quod docetur. Non eo cupiditatis, & dementiae devenerat Verres Siciliae Praetor, ut Siculorum bonis tamquam

a. Vide Murat. Perf. Poeſ Ital. l. 1. c. 12.

quam e ſpecula inſidiaretur, ut cariſſima, & pretioſa quaeque ſubriperet, aut ſubripere conſtituiſſet, nec ut gloriaretur ſe Romae habere homines potentes, quibus defendentibus provinciam ſpoliaret: ut ita triennium illud praeturae Sicilienſis diſtributum haberet, ut ſecum praeclare agi diceret, ſi unius anni quaeſtum in rem ſuam converteret, alterum defenſoribus ſuis tiaderet, tertium illum quaeſtuoſiſſimum annum totum Judicibus reſervaret[a]; et ſaepe, ac multis audientibus dictitaverit, iis eſſe metuendum, qui quod ipſis ſolis ſatis eſſet ſubripuiſſent: nihil eſſe tam ſanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia poſſit[b]: ut potentum amicorum gratia ſua furta, & ſcelera abſolvi debere confideret: ſed homo improbus, & pecuniae avidus oblata facultate ſatis multa abſtulit, ſatis multa crudeliter, nefarieque geſſit, atque ut homines apud eum querentes ab accuſando deterreret, ſe potentes amicos Romae habere imprudens forte reſpondit: haec divinus Orator profert, illuſtrat, ac perficit, & hominis avariſſimi facta, mores, & orationem vere complet, in eximiaque ſpecie exhibet.

3. Magnopere autem inter ſe in perficienda rerum natura differunt Oratores, Hiſtorici, Poetae. Nam Orator illud perficit, quod a rebus factis ei offertur, oblata ita illuſtrans ac perficiens, ut ad perſuaſionem adducat, nihil fingens. Hiſtoricus ſimpliciſſime ac veriſſime, ut rerum perfecta exſtet fides. Poeta demum & ſuo ingenio addit ac fingit, ut rerum, morum humanarumque ra-

a. Cic. 2. Ver. c. 14. b. Id. ib. c. 2.

rationum excellant formae potius, quam narrationes. Ita cum naturae plerumque mediocres virorum fortium, avarorum, liberalium, temperantium actiones edat, eas ipſas abſolutiſſimas, atque excellentes fingit Poetica, ut in admirationem rapiat, licet mediocres non refugiat, ut varietate placeat. Trojána pugna tot, tantos, tam admirabiles exitus certe non dederat, eos dedit Homerus, Virgilius, Ovidius, alii Vates.

4. Non omittam hoc loco etiam Oratores, atque Hiſtoricos, ac Poetas, praecipue cum rerum naturam ita perficiunt, ſive homines eximia ſpecie agentes imitantur, ut delectent, in admirationemque rapiant, ſimulque juvent a vitiis deterrendo, & ad virtutem inflammando, multo ſane praeclariſſime communi utilitati conſulere: cum vero aut nimis molles ſunt, aut effeminati, divini Numinis, ac pietatis hoſtes eſſe, & civilem felicitatem perdere. Ita qui graphice, & mollius alienos, aut ſuos amores perſecuti ſunt, Poeticam labefecerunt civilis ſcientiae partem, licet non ut artem imitatricem: Rhetoricae enim, Hiſtoriae, ac Poeticae eſt imperitae multitudini non aptae ad audiendas ſeveriores diſciplinas ſempiternae felicitatis duces ac parentes eas tradere, inſtillare, inſerere: qui ergo ea ſuis ſcriptis praeſtiterunt, multo ſane optime meriti, qui vero ſecus fecerunt, multo peſſime. Nec Catullum audio epig. 16. v. 5.

Nam caſtum eſſe decet pium Poetam
Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt:

Nam ut bene vivere, ita bene dicere quiſque debet: nec bonus ſis Scriptor, niſi mollis, maledicus, improbus ſis? *Ima-*

Imagines: earum genera: pulchritudo: & quae Oratori, ac Hiſtorico conveniant.

CAP. XV.

1. IMagines rerum ſunt illa ex iisdem rebus accurate penitusque perceptis efficta, & quaſi animata, & ob oculos exhibita earum ſimulacra.

2 Sunt autem iſtae imagines aliae quidem ab intelligentiae ac mentis vi editae, conſtitutae, atque ornatae, ***quas intelligentiae imagines*** a dicam; ut, vere errare, qui ſe unum ſapere in animum induxerit; videri ſummorum hominum magna vitia habere; virtuti ſerius ocyus ſua praemia occurrere; ſapientiam humano errori & quaſi fato moderari: mens enim iis effatis, poſtquam illa percepit, inſpexit, ac vera judicavit, alacriorem formam addit, atque imagines facit, quae ita evecta, & coloribus quaſi adumbrata, ut praeclarae imagines ſolent, cerni ſe, & reputari tamquam jubent. Iſtae quidem ***etiam in ſoluta oratione utiles*** b, nam verae ſunt ſimilitudines, non fictae, nec audaces. Pulcherrimae iſtae Cic. pro Arch. c. 11. & 12. ***Inſidet quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes & dies animum gloriae ſtimulis concitat atque admonet, non cum***

a. Vide hac de re pluribus diſputantem Murat. Perf. Poeſ. Ital. l. 1. c. 19. b. Ariſt. Rhet. l. 3. c. 9.

eum vitae tempore eſſe dimetiendam commemorationem nominis noſtri, ſed cum omni poſteritate adaequandam. Ego vero omnia, *quae gerebam, jam tum ingerendo ſpargere me ac diſſeminare arbitrabar in orbis terrae memoriam ſempiternam.*

3. Aliae ſunt ex vehementi perceptione, ſive phantaſia, effictae imagines, nec ab intelligentia animadverſae, nec moderatae. Id fit, cum aut ſua vi, aut induſtria ſcribentis agitata mens inuſitatas, inauditas, ingentes, atque admirabiles rerum ſpecies excogitat, atque effingit, nec perpendendas judicio proponit, ut multae ſunt romanenſium fabularum, aliorumque Vatum imagines fingentium potius, quam canentium, & qui ſpecioſa potius, quam vera dicere videri volunt; ut interdum etiam Pictores incredibilia, & quae omnino fieri, aut conjungi non poſſunt, ad hilaritatem & riſum pingunt: hinc iſta Pictorum, ac Vatum commenta dicere conſuevimus: nam ut inquit Hor. *Pictoribus, atque Poetis Quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas* [a]. Haec vero omitto, non niſi enim fictae ſcriptioni accommodantur.

4. Demum aliae ſunt imagines a phantaſia, ſimulque ab intelligentia effictae: cum ſcilicet phantaſia a formis iis, quas ei res externis ſenſibus perceptae immittunt, imagines & quaſi earum ſimulacra effingit, eas tamen intelligentiae perpendendas, judicandaſque proponit: intelligentia vero, ut par eſt, augeri aut minui jubet, ornari aut ſimplicius exhiberi. Ut exemplo explicem: per.

[a]. Epiſt. 12. l. 2. v. 8.

percipit atque intuetur phantaſia, omnes homines nullo diſcrimine ſenum aut juvenum, nobilium aut infimorum, calamitoſorum aut beatorum interire, ex eo fingit mortem quaſi aliquam exiſtentem larvam vagari, Regum domos juxtaque pauperum tabernas pulſare, omnemque gentem abducere: hanc imaginem aſpectu & verbo falſam, re & experientia veram Poetae approbat intelligentia, Oratori eam veritatem praedicandam, eam imaginem mitigandam oſtendit. Quapropter has imagines phantaſiae, ac poeticas nuncupamus. Ejuſmodi haec Hor. l. 3. od. 2. v. 31. *Raro antecedentem ſceleſtum Deſeruit pede poena claudo*. Et multo ſane pulcherrime divinam poteſtatem ubique homini praeſentem veneratur, eamque humano quaſi ritu agentem, ut bonis praemia, malis autem poenas conſtituat, oculis prope objicit hac imagine Regius Vates Pſ. 138. v. 6. *Quo ibo*, inquit, *a ſpiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Si adſcendero in caelum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera ſua*.

5. Jam ergo perſpicuum eſt, pulcherrimas has imagines eſſe, nec minus evidentiae oculiſque rerum objiciendarum efficientiae, quam majeſtati atque amplitudini accommodatiſſimas, quare nulli ſcriptioni non apta eſt imago, licet Oratori, atque Hiſtorico *ea parce utendum, quoniam magis Poetas decet* [a].

Mi-

a. Ariſt. Rhet. l. 3. c. 9. tex. 79.

Minutarum rerum tractatio: ejus genera, & dignitas.

CAP. XVI.

1. Singularitas eſt minutarum rerum animos percellentium, rerumque ipſarum non omittenda momenta efferentium commemoratio. In eo itaque eſt poſita haec eloquentiae virtus, *ut minutiſſima quaeque* (modo nec ſordere, nec deſpici poſſint) *& maxime neceſſaria argumentorum, quae exponuntur, morum, affectionum, actionumque momenta vivide, & graphice explanentur, atque in oculis prope affigantur* a. Ad eam pervenies, ſi animo & cogitatione ante reputes, & comprehendas, tamquam earum quamdam imaginem expingens, ac deinde ſignatiſſimis verbis, velut pulcherrimis efficacibusque coloribus diſtinguens exponas. Oratoribus, atque Hiſtoricis convenit, potiſſimum vero Poetis. Talia haec ſunt. Cic. 2. Verr. c. 7. *Ut Hortenſius Conſul deſignatus domum reducebatur e campo, cum maxima frequentia a multitudine, fit obviam caſu ei multitudini C. Curio Videt ad ipſum fornicem Fabianum in turba Verrem; appellat hominem, & ei voce maxima victoriam gratulatur: ipſi Hortenſio, qui Conſul erat factus, propinquis, neceſſariisque ejus, qui tum aderant, verbum nullum facit; cum hoc conſiſtit, hunc amplexatur, hunc jubet ſine cura eſſe. Renuncio, inquit, tibi te hodiernis comitiis*

a. Murat. Perf. Poeſ. Ital. l. 1. c. 14.

mitiis eſſe abſolutum. Incredibilem gratiam & vim habet illa animadverſio atque expoſitio reditionis domum e campo, Verris occurſus in Curionem, ſalutati Verris a Curione, & gratulationis, diſſimulati Conſulis, ut Verrem ſine metu eſſe juberet. Caeſar Bel. Gal. l. 1. c. 53. *Valerius Procillus, cum a cuſtodibus in fuga trinis catenis traberetur, in ipſum Caeſarem hoſtium equitatum perſequentem incidit, quae res Caeſari non minorem, quam ipſa victoria, voluptatem attulit, quod hominem boneſtiſſimum ereptum e manibus hoſtium, ſibi reſtitutum videbat. Is ſe praeſente de ſe ter ſortibus conſultum dicebat, utrum igni ſtatim necaretur, an in aliud tempus reſervaretur: ſortium beneficio ſe eſſe incolumem*. Quantopere afficit, hominem beneficio ſortis eſſe ſervatum, & Imperatori ſuo hoſtem fundenti occurriſſe, cum ad mortem viveret? Virg. 11. Aen. v. 42. ubi Aeneas Evandro Pallantis in bello interemti filii corpus remittens loquitur.

Tene, inquit, miſerande puer, cum laeta veniret,
Invidit fortuna mihi? ne regna videres
Noſtra, neque ad ſedes victor veherere paternas?
Non haec Evandro de te promiſſa parenti
Diſcedens dederam, cum me complexus euntem
Mitteret in magnum imperium, metuenſque moneret,
Acres eſſe viros, cum dura praelia gente.
Et nunc ille quidem ſpe multum captus inani
Fors & vota facit, cumulatque altaria donis.

Hic vero ſane maxime animos percellit

commemoratio illa, qua parens pro filii victoria, & incolumitate vota faciat, cum vita functi corpus eſt excepturus.

2. Jam vero hujus ſcriptionis duo ſunt genera. Aliud parva quidem attingit, ſed praecipua, generatim, & brevius: aliud illa ipſa perſequitur ad minutiſſima quaeque, ſingulatim, & copioſe. Exempli cauſſa: ſi fortiſſimi Ducis pugnam, & victoriam deſcribat prius illud genus, inſtructae aciei rationem, in petendis, ſuſtinendis, fugandis, fundendis, obtruncandiſque hoſtibus virtutem, ac praeterea etiam quibus verbis ſui appellati, aut caſtigati, quo pacto hoſtes illuſi, dejecti, necati, ſpoliati, ac certas etiam in ea re ſingularitates, quae fraudes, aut qui caſus interceſſerint, ſed omnia anguſtius & brevius exponet. Poſterius vero illud genus praeterea multa ſingulorum verba, multos hominum, armorumque habitus, prope omnes in pugnando, in cadendo, aut interimendo conatus, infirmitatem, & virtutem ob oculos ponit. Quocirca aliud magis populare, magiſque etiam vivax, in eoque Homerus, aliique Graeci Scriptores viguerunt: aliud magnificentius, ac ſapientius, in eoque Virgilius, ac ferme Latini praeſtiterunt.

Quid ſit phantaſia: quid ejus impetus: quorumque Scriptorum propria.

CAP. XVII.

1. PHantaſia (ut graeco verbo, uſuque jam mollito utar) apud Philoſophos eſt ab extrin-

trinſecis rebus menti oblatarum imaginum perceptio, apud eloquentiae Doctores eſt mentis impulſus quaſi quaeſitus, & provocatus ad ea, quae dicenda ſint. Nam percipienti animo ab iis, quae jam percepit, ad ea, quae optima dictu ſint, vim ac prope impetum de induſtria addimus, mentemque agitari jubemus. Itaque haec phantaſia maximo ſane eloquentiae adjumento eſt, praeſertim judicio moderata.

2. Phantaſiae autem impetus ſunt ex alio ad aliud opportunus, ac vivax excurſus, cum ſcilicet ex re, aut ſententia aliqua jam conſtituta, atque orata ad aliam re potius, quam ſpecie ei conjunctam mente agitati, quaſique impetu abſtracti, atque avolamus excurrimus, ideo phantaſiae volatus etiam dicti

3. Ab iis non abhorrent ſubinde Oratores, & vehementiſſimae exclamandi, alienam opem implorandi, mala improbis, bona piis precandi, abſentes alloquendi, patriam & provinciam teſtes advocandi formae, atque hujuſmodi incitatae figurae ſunt non mediocres phantaſiae impetus licet moderati. Iis frequentius utuntur Poetae, ac praeſertim Lyrici. Pleniſſima horum eſt Horatii ode 13. l. 2 Etenim ruri agens animi gratia improviſo arboris ramus in eum prope decidit. Ex rei novitate, & ſui periculo commotus Vates in arborem imprecaturus ita orditur.

Ille & nefaſto te poſuit die,
Quicumque primum, & ſacrilega manu
Produxit arbos, in nepotum
Perniciem, opprobriumque pagi.

Deinde hanc improviſam arboris ruinam

contingere non debuiſſe ex phantaſia ſibi inſinuante arbitratus ad id excurrit, quod ſceleſtiſſimus eſſe debuit, qui arborem in agro poſuerit, ac teterrima omnium facinora de eo commemorans pergit.

Illum & parentis crediderim ſui
Fregiſſe cervicem, & penetralia
Sparſiſſe nocturno cruore
Hoſpitis: ille venena Colchica,
Et quidquid uſquam concipitur nefas
Tractavit, agro qui ſtatuit meo
Te triſte lignum, te caducum
In domini caput immerentis.

Hic autem, irae ac timoris quaſi omni ſedato impetu, quieſcit, & ad grave hoc vitae documentum convertitur.

Quid quiſque vitet numquam homini ſatis
Cautum eſt in horas: navita Boſphorum
Poenus perhorreſcit, neque ultra
Caeca timet aliunde fata.

Poſtquam ea mortis pericula, ejuſque fugiendae induſtriam complexus eſt, iterum ad commune, & ad proprium hominum fatum redit:

Sed improviſa lethi
Vis rapuit, rapietque gentes.

Haec autem moriendi neceſſitas, ac prope obitum illud periculum cum rurſum ad idem complorandum abripuit, & ut Poetam illuſtrium Vatum, rerumque apud Inferos futurarum peritiſſimum, ad ea omnia praedicanda quaſi impulit.

Quam paene furvae regna Proſerpinae,
Et judicantem vidimus Aeacum,
Sedeſque diſcretas piorum, &
Aeoliis fidibus querentem

Sap-

Sappho puellis de popularibus,
Et te ſonantem plenius aureo
Alcaee plectro.
Vide & quae ſequuntur.

Urbanitates: joci: ridicula: eorum cauſſa: utilitas: & cautiones.

CAP. XVIII.

1. URbanitas eſt feſtivum ac liberale dictum, aut etiam factum, quale ad animi remiſſionem principi viro, gravi Civi atque honeſto adhiberi ſolet; quare feſtivitatem quamdam cum gravitate conjungit. Tale hoc ex Anaxandrida vetere Poeta Graeco Ariſtoteli a celebratum: *Pulchrum eſt mori quando quis non eſt dignus mori*. Et Cic. de Senect. c. 10. *Quam* (ſenectutem) *ut adipiſcantur optant, eamdem accuſant adepti*. Paullo alacrius, ſatis tamen grave 2. Catil. c. 10. *Si ſtare non poſſunt, corruant, ſed ita ut non modo Civitas, ſed ne vicini quidem proximi ſentiant: nam non intelligo, cur minore dolore perituros ſe cum multis, quam ſi ſoli pereant, arbitrentur*. Virg. 2. Aen. v. 49. *Timeo Danaos & dona ferentes*. Et ecl. 2. v. 17. *Nimium ne crede colori; Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur*. Hor. l 2. od. 16. v. 2. *Nihil eſt ab omni Parte beatum*.

2. Joci, ſeu facetiae, aut lepor, ſunt acuta, & alacria dicta, aut etiam facta; nam qualia ad laborum, & curarum remiſſionem in vita, talia ad reficiendos animos, utiliuſque

a. Rhet. l. 3. c. 28. text. 258.

perſuadendos dicta laudantur in oratione. Severiores itaque ſunt urbanitates tamquam ſenum, aut certe virorum propriae, joci quaſi adoleſcentum, omnem autem ſcurrilitatem refugiunt. Hujus ingenii haec. Cic. pro Arch. c. 9. *Themiſtoclem ſummum Athenis virum dixiſſe ajunt, cum ex eo quaereretur, cujus vocem libentiſſime audiret; ejus, inquit, a quo ſua virtus optime praedicaretur.* Et c. 10. *Sylla, cum ei libellum malus Poeta de populo ſubjeciſſet, quod epigramma in eum feciſſet tantummodo alternis verſibus longiuſculis, ſtatim ex iis rebus, quas tunc vendebat, juſſit ei praemium tribui ſub ea conditione, ne quid poſtea ſcriberet.* Catull. ep. 20.

Aureli pater eſuritionum
Non harum modo, ſed quot aut fuerunt,
Aut ſunt, aut aliis erunt in annis.

Hor. l. 1. od. 27.

Vino & lucernis Medus acinaces
Immane quantum diſcrepat? impium
Lenite clamorem ſodales,
Et cubito remanete preſſo.
Vultis ſeveri me quoque ſumere
Partem Falerni? dicat Opuntiae
Frater Megillae, quo beatus
Vulnere, qua pereat ſagitta.
Ceſſat voluntas? non alia bibam
Mercede.

3. Ridicula ſunt alacria ſimul atque aſpera dicta ad riſum excitandum non ſine aliqua contemtione ejus, de quo afferuntur, ſed ſine contumelia: ut Cic. pro Quinct. c. 3. *Qui ab adoleſcentulo quaeſtum ſibi inſtituiſſet ſine impendio, poſtea quam neſcio quid impendit, & in commune contulit, mediocri quae-*

ſtu

ſtu contentus eſſe non poterat. Itaque haud mediocriter de communi quidquid poterat ad ſe in privatam domum ſevocabat. Id. Div. in Verr. c. 14. *Ita ille* (Hortenſius) *contra me dicet, quamvis ſit ingenioſus, ut nonnullum etiam de ſuo ingenio judicium fieri arbitretur: te vero, Caecili, quemadmodum ſit eluſurus, quam omni ratione jactaturus, videre jam videor: quoties ille tibi poteſtatem optionemque facturus ſit, ut eligas utrum velis; factum eſſe, nec ne: verum eſſe, an falſum: utrum dixeris, id contra te futurum: qui tibi aeſtus, qui error, quae tenebrae, Dii immortales! erunt homini minime malo?*

4. Cauſsa, ſeu materia, unde riſus erumpit, eſt aliqua improbitas, aut turpitudo ſine dolore: ea enim *luduntur, quae neque odio, neque miſericordia maxima digna ſunt; nam nec inſignis improbitas ſcelere juncta, nec rurſus inſignis miſeria agitata ridetur: facinoroſos majori quadam vi quam ridiculi vulnerari volunt, miſeros illudi nolunt, niſi ſe forte jactant* a. Itaque bonus Orator advertat, non quaerat, aut fingat (parci enim ſibi ſaepe hominum, ac rerum dignitas poſtulabit) in re, quam agat, ſi qua turpitudo inſit, quae urbane ac jocoſe expoſita blande afficiat, vel ad hilaritatem quamdam, vel etiam ad liberalem riſum revocet, eamque offerat: ita delectabit, atque ad cauſſam proficiet. Ceterum *Oratorem ut dicere urbane volo, ita videri affectare id plane nolo* b: nam *a deriſu non procul abeſt riſus* c.

a. Cic. 2. de Orat. c. 58. b. Quinctil. l. 6. c. 4.
c. Idem ibi.

Decorum: ejus dignitas: principes partes, in quibus conſpicitur: ac delicata oratio.

CAP. XIX.

1. Decorum eſt illud, quod unicuique rei, ac perſonae ſua omnino dicendo attribuit. Itaque ſapiens, ac plane eloquens Orator, Hiſtoricus, & Poeta *judicabit quid cuique opus ſit, & quocumque modo poſtulabit cauſſa dicet* a. Ad quod ut perveniatur, *eſt videndum quid deceat* b.

2. Maximae enim eſt ea res utilitatis, & incredibilis decori dignitas, ut vere dixerit Cicero, *caput eſſe artis decere* c: nam, ut *in vita, ſic in oratione nihil eſt difficilius, quam quid deceat videre* d. Certe autem *nihil poteſt placere, quod non deceat* e:

3. Omnium autem primum exſtet atque emineat decorum in verbis; etenim nec *humilis, nec elata eſſe debet elocutio, ſed ipſis rebus conveniens* f; itemque in omni verborum collocatione, ambitu, atque ornatu, ut verba ſint propria, ornata, & definita quaſi ad illam rem, quae agitur, & ſint ſaepe translata in grandibus, ſimplicia in humilibus, ſimulque brevi comprehenſione in epiſtolis, ampliata in gravi oratione, aut poemate. Decora plane a verbis, ab omnique locutio-

a. Cic. in Orat. c. 21. b. Id. ibi. c. Id. rurſum ibi. d. Ariſt. Rhet. l. 3. c. 4. text. 24. e. Quinctil. l. 1. c. 19. f Demetr. Phaler.

tione haec. Cic. pro Dom c. 16. *Quo jure, quo exemplo legem de capite Civis indemnati tuliſti?* Nep. in Thraſyb. c. 1. *Nihil in bello oportere contemni*. Liv. praef. l. 1. *Labente paullatim diſciplina ut magis magiſque lapſi ſint, tum ire ceperint praecipites, donec ad haec tempora, quibus nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſumus, ventum eſt*. Virg. 6 Aen. v. 469. *Illa ſolo fixos oculos averſa tenebat*. Et ecl. 8. v. 41. *Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error.*

4. Deinde igitur decorum in hominum ſententiis, in moribus, in factiſque exprimendis conſpicitur, ut cum de aliquo aliquid auditor, aut lector intelligat, ſtatim dicat, haec plane ejus eſt ſententia, hi mores, haec facta. Duci ac militi Romano decora haec certe, quae memorat Caeſ. Bel. Gal. l 7. c. 17. *Summa difficultate rei frumentariae affecto exercitu, nulla tamen eſt ab iis audita Populi Romani majeſtate, & ſuperioribus victoriis indigna, quin etiam Caeſar, cum in opere ſingulas legiones appellaret, & ſi acerbius inopiam ferrent, ſe dimiſſurum oppugnationem diceret, univerſi ab eo, ne id faceret, petebant; ſic ſe complures annos illo imperante meruiſſe, ut nullam ignominiam acciperent, numquam infecta re diſcederent, hoc ſe ignominiae laturos loco, ſi inceptam oppugnationem reliquiſſent: praeſtare omnes perferre acerbitates, quam non Civibus Rom. qui Genabi perfidia Gallorum interiiſſent, parentarent.*

5. Praeterea decorum poſtulat, ut aliis plerumque verbis, aliis locutionibus, aliis luminibus, aliiſque interdum ſententiis utatur Orator, Hiſtoricus, ac Poeta: immo ii ipſi alio pacto orationem, alio epiſtolam,

alio

alio praeceptivam ſcriptionem, itemque alio epigramma, alio elegiam, alio odam, ac poema conſcribant: Qui ergo haec advertat, *Ille profecto Reddere perſonae ſcit convenientia cuique* a.

6. Delicata oratio ea eſt, quae unicuique rei ſua maxime propria, maximeque accommodata omnia attribuit, ut omnino nihil dicatur, quod minus conveniat, minuſque exprimat quam neceſſe eſt, nec quicquam improprium, aut ineptum excidat, licet nec vehementem, nec magnificam dicendi rationem haec flagitet: ut ii homines delicati ſunt (nec enim faſtidioſos, nec molles, nec effemminatos nomino) qui in omnibus rebus volunt, quod ſibi cumulate ſatisfaciat, nec quicquam ferunt, quod laedat, aut incommodet: quare delicata oratio ſumma decori perfectio eſt, argumentis nec ſummis, nec incitatis idonea. Non aliuſmodi haec Cic. l. 2. ep. 6. *Grave eſt homini pudenti petere aliquid magnum ab eo, de quo ſe benemeritum putet, ne id, quod petat, exigere magis, quam rogare, & in mercedis potius, quam beneficii loco numerare videatur*. Propert. l. 1. eleg 2.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo,
Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturaeque decus mercato perdere cultu,
Nec ſinere in propriis membra nitere bonis?

Tibul. lib. 1. eleg. 1. v. 33.

At vos exiguo pecori furesque lupique
Parcite, de magno eſt praeda petenda grege.

Pe-

a. Hor. l. 2. epiſt. 12. v. 315.

Periodus: ejus partes: uſus, atque utilitas.

CAP. XX.

5. PEriodus eſt *tamquam in orbe incluſa currens oratio quoad inſiſtat in ſingulis perfectis abſolutiſque ſententiis* [a]; ſive *oratio, quae principium & finem ex ſe habet, & eam magnitudinem, quae facile perluſtrari poſſit* [b]: hoc eſt, quae nec brevior ſit, nec longior, quam dicentis ſpiritus, audientiſque patiatur.

2. Duae ſunt ejus partes, inciſa, & membra. Inciſa ſunt imperfecta ſententia, ſi ſolam a ceteris ſeparatam accipias, a reliquis perficienda, quale hoc Cic. 1. Phil. c. 4. *Erectus maximi ac pulcherrimi facti conſcientia*, en inciſum nihil perfecti complectens; perge autem, *nihil de ſuo caſu*, en aliud inciſum, nec quicquam tamen perfectum; adde porro, *multa de noſtro querebatur*, en perfecta ſententia, & periodus tribus inciſis diſtincta. Membra ſunt perfecta quidem ſaepe ſententia, non autem omnino, aliis membris cumulate abſolvenda, quae periodo contineantur: ut hoc eodemque in eadem oratione c. 4. *Illud magis vereor, ne ignorans verum iter gloriae glorioſum putes, plus te unum poſſe, quam omnes, & metui a civibus, quam diligi malis:* en ſententia ex pluribus ſatis quidem perfecta, ut perfectum dictum ferme ver-

a. Cic. in Orat. c. 61. b. Ariſt. Rhet. l. 3. c. 20. text. 158. ex interpr. Majorag.

verba ſuis caſibus conjuncta complecti ſolent, non autem omnino, quod efficiunt verba aliis quaſi aliqua eorum pars copulata: perge igitur, *ſi ita putas totam ignoras viam gloriae;* en alia ſatis perfecta, non tamen quieſcit ibi Cicero, atque addit: *mereri laudari, coli, diligi glorioſum eſt;* quod ex quatuor inciſis membrum eſt, cui haec conjungens *metui vero, & in odio eſſe invidioſum, deteſtabile, imbecillum, caducum*, periodum abſolvit.

3. Jam vero ex iis inciſim dicere eſt crebris inciſis in dicendo uti, quod incitatae contentioni iraſcentis, objurgantis, perterrefacientis, ſevere imperantis, aſpera admonentis, & laeſi convenit, irritati enim animi brevi ſua ſenſa conjiciunt, quaſi tela, non ſigna. Tale hoc Cic. 1. Catil. c. 5. *Quid eſt, Catilina? num dubitas id me imperante facere quod jam tua ſponte faciebas? exire ex urbe Conſul hoſtem jubet: interrogas me num in exilium? non jubeo, ſed ſi me conſulis, ſuadeo. Quid enim, Catilina, eſt quod te jam in hac urbe delectare poſſit, in qua nemo eſt extra iſtam conjurationem perditorum hominum, qui te non metuat, nemo qui te non oderit? quae nota domeſticae turpitudinis non inuſta vitae tuae eſt? quod facinus a manibus umquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit?* Membratim dicere eſt crebris membris orationem ornare, quod jucunda narranti, venuſta deſcribenti, ac ſedate docenti eſt accommodata. Hujusmodi hoc Cic. pro Mil. c. 23. *Magna vis conſcientiae, Judices, & magna in utramque partem, ut neque timeant,*

qui

qui nihil commiſerint, & poenam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccarint.

4. Praeterea ex ipſis membris, quibus conſtat, periodus appellatur ſimplex, cum unius membri eſt, compoſita, cum duorum, aut plurium membrorum; ſi longiori ambitu & comprehenſione contineatur, plena, fuſa, & profluens dicitur. Exemplis abſtineo, quod partim allata ſunt, & partim ſatis obvia.

5. Utiles vero ſunt orationis hujuſmodi ambitus, circuitus, & comprehenſiones, nam ita melius intelligitur, paullisper quieſcendi oranti audientique facultas datur, quod commodum ſane eſt ac jucundum. Oppoſitam huic virtuti orationem vocat Ariſtoteles *tractam ac pendentem, quae nullum ex ſe finem habet, niſi res, quae exponitur, ad finem pervenerit, quae ſane eſt injucunda, quoniam infinite fertur* [a], & graviori verbo Cicero perennem ac profluentem loquacitatem; *rudis, & indocta*, inquit, *putanda eſt illa ſine intervallis loquacitas perennis ac fluens* [b].

Numeri oratorii natura: origo: cauſſa: utilitas: uſus: is varius pro varietate argumenti.

CAP. XXI.

1. NUmerus orationis eſt latens ille ac tacitus, ſatis tamen apertus ac perceptus ſonus ex idonea verborum comprehenſione coortus. Is Oratori quidem accuratus & ſatis cultus, Poetis autem plane exqui-

a. Rhet. l. 3, c. 19. text. 155. b. 3. de Orat.

quiſitus, atque elaboratus non modo a ſillabarum multitudine, ſed a delectu, & a concinnitate, ac vi.

2. Hic numerus veteribus Graecis, ut fere in linguarum parentibus cernere eſt, aut ignotus, aut neglectus Thraſimacho Chalcedonio, & Gorgiae Leontino pri mum, ſed paullo intemperantius adhibitus. *Cum enim videret Oratores cum ſeveritate audiri, Poetas autem cum voluptate, tum dicitur numeros ſecutus, quibus etiam in oratione uteremur cum jucunditatis cauſſa, tum ut varietas occurreret ſatietati. Veteres quippe illi verba eligebant, & ſententias graves, & ſuaves reperiebant, ſed eas aut * vinciebant, aut explebant parum* [a].

3. Numerorum cauſſa eſt aurium judicium, quae ab aſpera, diſſona, fracta, amputata, & nullis legibus perfecta, & vincta oratione abhorrent, ſuavi autem, lene, ſonanti, apta, finita, expleta, gratoque ſono mollita oblectantur. Haec porro aurium affectio ad numerum conciliandum verborum delectum, ut aſperis molliora, humilibus graviora, velocibus tardiora, contraque etiam aſpera mollibus, humilia gravibus, tardis velocia ad aſperitatem, juxtaque mollitiem vitandam temperentur, & eorumdem verborum comprehenſionem inſpirat, ut ſonantius volvatur, & concludatur oratio. Itaque a primo incitatius commode orditur brevitate pedum, deinde proceritate tardius, ac denique ubi aut paullulum, aut omnino quieſcit oratio praecedente breviori *verba melius in ſillabas lon-*

* Ita legit Lambin. quod vulgati vinciebant, haud explebant. Vide eum locum a. Cic. in Orat. c. 25.

longiores cadunt [a] ; *cum aures extremum ſemper expectent, in eoque acquieſcant* [b] : atque ita quatuor ſillabarum voces apte ſaepe orationem claudunt, aut trium longarnm praecedente una, aut pluribus brevibus, multo aptius varietas, argumenti genus, & omnium aptiſſime exercitatio.

4. Utilis certe in oratione numerus, eum enim aures poſtulant : *meae quidem*, ait Cicero, *perfecto completoque verborum ambitu gaudent, & curta ſentiunt, nec amant redundantia : quid dico meas? Conciones ſaepe exclamare vidi, cum apte verba cecidiſſent* [c]. Et perſuaſioni conducit, multo enim *majorem habent apta vim, quam ſoluta* [d], & qui cum voluptate audiunt facile ſe duci ſinunt. Apte *igitur abbibetur numeroſa oratio ſi laudandum eſt aliquid ornatius, ſi exponenda narratio, quae plus dignitatis deſideret, quam doloris* [e], ſi amplificandum, ſi delectandum, tum enim auditor *gratiam babet Oratori voluptati aurium ſervienti* [f]. Cic. 2. Verr. c. 1. *Quod erat optandum maxime, Judices, & quod unum ad invidiam veſtri ordinis, infamiamque judiciorum ſedandam maxime pertinebat, id non humano conſilio, ſed prope divinitus datum atque oblatum vobis ſummo Reipublicae tempore videtur : inveteravit enim jam opinio pernicioſa Reip. vobiſque periculoſa, quae non modo Romae, ſed & apud exteras nationes omnium ſermone percrebuit, his judiciis, quae nunc fiunt, pecunioſum hominem, quamvis ſit nocens, neminem poſſe damnari.*

5. In

a. Cic. in Orat. c. 57. b. Id. ibi c. 59. c. Id. ibi c. 50 d. Id. ibi c. 68. e. Id. ibi c. 62. f. Id. ibi c. 61.

5. In gravi autem argumento neque accuratius aſſumendus hic numerus, neque omnino repudiandus: in triſti aſperitas quaedam, nec rara litterarum eliſio, earumdemque creber potius tardiorum concurſus aptus eſt: *curſum contentiones magis requirunt, expoſitiones rerum tarditatem* a. Virgilius certe ſaepiſſime ipſo numero rerum conditionem exponit: ut illam difficultatem, qua Gygantes, ut eſt in fabulis, montes montibus addiderunt Jovi bellum illaturi, plurium conſonantium, & crebro earumdem vocalium concurſu uſus exprimit. 1. Georg. v. 281. *Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam*: aſperum guſtantis ſenſum aſperrimis litteris 2. Georg. v. 147. *Triſtia tentantum ſenſu torquebit amaror*: grandinis impetum, & ſtridorem ſtrepentibus litteris 1. Georg. v. 349. *Tam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando*: amplitudinem ſeſquipedali voce 8. Aen. v. 103. *Rex Arcas honorem Amphitrioniadae magno, Diviſque ferebat*: & 1. Georg. v. 101. *Satis jam pridem ſanguine noſtro Laomedonteae luimus perjuria Trojae*; ut languorem ac quaſi gemitum minus numeroſo verſu 3 Georg. v. 226. *Multa gemens ignominiam, plagaſque ſuperbi Victoris*: remigum conatum 3. Aen. v. 208. *Adnixi torquent ſpumas, & caerula verrunt*.

6. Sunt autem omnino vitia, nimia quadrandae orationis induſtria, cum inania verba inculcantur, *quaſi complementa numerorum* b: & nimis etiam elaborata dictio, *neque enim numeroſa eſſe ut poema, neque extra numerum, ut ſermo vulgi eſt, debet oratio: alterum nimis eſt vinctum, ut de induſtria fa-*

a. Cic. in Orat. c. 63. b. Id. ibi c. 69.

factum appareat, alterum nimis diſſolutum, ut pervagatum, ac vulgare videatur, ut ab altero non delectere, alterum oderis a. Certe *oratio numerum habere debet, non verſum* b. Sed nimis fortaſſe multa: rem tradet, & moderabitur exercitatio.

Stilus: ejus genera: ſingulorum natura: cauſſae: inſtrumenta: exempla: locus.

CAP. XXII.

1. STilus, dicendi figura, genus, nota, aut forma, eſt *dictio ſimilis ejus rei, cujus dictio eſt, re, magnitudine, ſpecie* c: ut in hoc Nepotis in Pelopida c. 2. *Magnae ſaepe res non magnis copiis ſunt geſtae. Res copiis geſtae* ſententia & res eſt; *magnae non magnis* rei dignitas ac magnitudo, ratio ita germane, ac facile exponendi ſpecies dicendi eſt bene argumento aptata, nam ſatis magna ſatis magnifice expoſita ſunt.

2. Porro hujus plura ſunt genera: etenim pro verborum copia, parcitate, virtute, vitio dividitur in aſiaticum, laconicum, atticum, aureum, terſum, cultum, diſſipatum, adipatum, barbarum. Aſiaticus copioſiſſime omnia, adſtricte laconicus, temperate atticus, germanae latinitatis ingenio aureus, ornate cultus, barbaris vocibus peregrinus, non bene junctis diſ-

a. Cic. in Orat. c. 57. b. Ariſt. Rhet. l. 3 c. 17. tex. 146.
c. Scalig. Poet. l. 4. c. 1. *Eſt character*, inquit, *dictio ſimilis ejus rei, cujus dictio eſt, ſubſtantia, quantitate, qualitate.*

diſſipatus, pingue ſonantibus adipatus dicit. Ex rebus vero, admiſta verborum forma, ſublimis eſt, temperatus, humilis, floridus, ſiccus, tumidus, luxurians.

3. Sublimis, ſeu magnificus, aut ſummus eſt, qui magnifica argumenta magnifico elocutionis genere, ac magnifica verborum comprehenſione pertractat; *nam in tribus poſitum eſt quod magnificum eſt, ſententia, locutione, verborum conſtructione* [a]. Itaque grandia argumenta ſunt clariſſimorum Regum, Imperatorum, Ducum, Principum facta, bella, procellae, ſaevientis peſtis, aut incendii horror, graviſſimorum hominum ſententiae de communi ſalute, de Civitatis ſtatu, de regni gloria, de improborum poenis, grandes atque incitatae permotiones; eorumq; ſunt ſelecta, magnifica, translata, ſonantia verba, vehementes figurae, ac deniq; *magnifica, atq; elata* orationis *compoſitio* [b], ſeu gravior numerus, & gravior verborum collocatio, quae dicendi granditatem efficiunt. Locum vero habet proprium in gravibus orationibus, in poemate, in odis, in tragoediis. Itaque in hoc genere *Orator, & defunctos excitabit, & patria ipſa exclamabit, aliquandoque Conſulem alloquetur: amplificationibus extollet orationem, & vi ſuperlationum eriget* [c]. Sublime eſt ex argumenti magnitudine hoc Hor. l. 3. od. 1. v. 5. *Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipſos imperium eſt Jovis, Clari giganteo triumpho Cuncta ſupercilio moventis*. Ex gravi ſententia Alexandri reſponſio Parmenioni pe-

a. Phaler. de rat. dic. pag. 47. ex interpr. Vict. b. Longin. de ſublimi. c. 8. quem vide ſingularem hac de re Doctorem. c. Quinctil. l. 12. c. 10.

pecuniam a Dario accipiendam ſuadenti apud Curt. l. 4. c. 26. *Et ego*, inquit, *pecuniam, quam gloriam mallem, ſi Parmenio eſſem: nunc Alexander me non mercatorem memini, ſed Regem: nihil quidem habeo venale, ſed fortunam meam utique non vendo*. Ex affectionum, ac figurarum vi haec Cic. pro Mil. c. 31. *Vos enim Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro, atque obteſtor, voſque Albanorum obrutae arae ſacrorum, populi Romani ſociae, & aequales, quas ille praeceps amentia, caeſis proſtratiſque ſanctiſſimis lucis ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat: veſtrae tum arae, veſtrae religiones viguerunt; veſtra vis valuit, quam ille omni ſcelere polluerat: tuque ex tuo edito monte, Latialis ſancte Jupiter, cujus ille lacus, nemora, fineſque ſaepe omni nefario ſtupro, & ſcelere macularat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuiſti. Vobis illae, vobis, veſtro in conſpectu ferae, ſed juſtae, & debitae poenae ſolutae ſunt*. Virg. ecl. 1. v. 71. *Impius haec tam culta novalia miles habebit? Barbarus has ſegetes? en quo diſcordia Cives Perduxit miſeros! en queis conſevimus agros!* Denique ex orationis numero, & ex verborum collocatione huc Cic. pro Roſc. Amer. c. 25. *Majores noſtri cum intelligerent nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquando violaret audacia, ſupplicium excogitaverunt, ut quos natura ipſa retinere in officio non potuiſſet, ii magnitudine poenae maleficio ſummoverentur*.

4. Stilus humilis, ſeu tenuis, aut ſummiſſus eſt, qui humilia argumenta humili ornamentorum, locutionum, conſtructioniſque verborum genere tractat: *habeat tamen ſuccum*

cum aliquem oportet a, non raras ſententias, ſubinde acute dicta, & ſanam ubique, ſatiſque vigentem vim, ne jaceat, aut ſordeſcat; cui rei hoc genus eſt multo proximum. Quare adoleſcenti illud minime ſuaſerim: facile enim fiat, ut non ſatis ſciat aſſurgere. Ita factum Cicero ait, ut *Demoſthenes* fere ſublimis *poſſet ſummiſſe dicere*, *elate Lyſias* humili aſſuetus *fortaſſe non poſſet* * b: *is autem eſt eloquens, qui & humilia ſubtiliter, & magna graviter, & mediocria temperate poteſt dicere* c. Itaque genus hoc humiles res accurate exponit, acute expendit, & ſales admiſcet, ornare autem, & colligare verba vix curat diligenti quadam negligentia: in eoque genere *ratio narrandi, probandique conſiſtet* d. *Haec* porro orationis ſubtilitas *imitabilis illa quidem videtur exiſtimanti, ſed nihil eſt experienti minus* e; ac praecipue in epiſtolis, eclogis, epigrammatibus, comoediis locum habet. Sit exemplo hoc Lyſiae 2. in Erathoſth. *Difficile mihi non videtur eſſe, Judices, accuſationis initium reperire, ſed finem dicendi facere; ea eſt enim magnitudo, eaque copia rerum, quae ab illis admiſſae ſunt, ut nequeat vel qui mentiri in animum induxerit, graviores & acerbiores eis confingere, vel, ſi verum dicere voluerit, omnes perſequi: ita neceſſe eſt, ut aut accuſator defatigetur, aut tempus illum deficiat* *.

5. Stilus mediocris, temperatus, & medius, eſt qui mediocria argumenta mediocri ora-

a. Cic. in Orat. c. 29. * *Poſſit* ait Cicero utroque loco, ſed hic fuit accommodandum. b. Cic. de opt. gen. Orat. c. 4. c. Id. in Orat. c. 29. d. Quinctil. l. 12. c. 10. e. Cic. in Orat. c. 23. * Ex interpr. Claudii Groularti.

orationis genere nec valde effert, nec minimum deprimit, *ſed uno tenore, ut ajunt, in dicendo fluit, nihil afferens praeter facilitatem, & aequabilitatem, omnemque orationem ornamentis modicis verborum, ſententiarumq; diſtinguit* [a]; *translationibus crebrior, figuris jucundior, egreſſionibus amoenus, compoſitione aptus, ſententiis dulcis, lenior tamen, ut amnis lucidus quidam, & virentibus utrinque ſilvis inumbratus* [b], licet non admodum dives; ac ſubinde in omni ſcriptionis genere, praeſertim vero in praeceptivis facultatibus, atque hiſtoriis idoneus. Hujus indolis haec Demoſt. pro Cteſiph. *Viros fortes ſemper oportet res laudabiles, atque honeſtas ſuſcipere, & conari, bona ſpe in poſterum fretos; quicquid autem Deorum immortalium voluntate evenerit, fortiter ac moderate ferre* *. Nep. in Annib. c. 1. *Non eſt inficiandum, Annibalem tanto praeſtitiſſe ceteros Imperatores, quanto Populus Romanus antecedebat cunctas nationes; nam quotieſcumque cum eo congreſſus eſt in Italia, ſemper diſceſſit ſuperior, quod niſi domi Civium ſuorum invidia debilitatus fuiſſet, Romanos videtur ſuperare potuiſſe: ſed multorum obtrectatio devicit unius virtutem*. Cic. pro Arch. c. 5. de eo: *Hac tanta celebritate famae Romam venit, Mario Conſule, & Catulo. Nactus eſt Conſules eos, quorum alter res ad ſcribendum maximas, alter cum res geſtas, tum etiam ſtudium, atque aures adhibere poſſet. Statim Luculli, cum praetextatus etiam tum Archias eſſet, eum domum ſuam receperunt: ſed hoc non ſolum ingenii, ac literarum, verum etiam naturae, atque virtutis fuit, ut domus, quae hu-*

a. Cic. in Or. c. 26. *Ex inter. Lamb. b. Quinct. l. 12. c. 10

hujus adoleſcentiae prima fuerit, eadem eſſet familiariſſima ſenectuti.

6. Stilus floridus is eſt, qui *actiones exprimit, mores, res acute, ac ſplendidis dictis, cogitatis, animadverſis, pulchris adſtrictiſque ſententiis, vivacioribus abſtractis, atque alacri ſpiritu* [a], omnium denique orationis florem exquirit. Ad pompam aptior, quam ad robur, atque adoleſcentibus amandus mox luxum temperaturis. Non pauca ejus generis continet Ariadne a Theſeo relicta epiſtola apud Ovid. 10. Her. v. 15.

Interea toto clamanti littore, Theſeu,
Reddebant nomen concava ſaxa tuum.
Et quoties ego te, toties locus ipſe vocabat:
Ipſe locus miſerae ferre volebat opem.
Aut vidi, aut etiam cum me vidiſſe putarem,
Frigidior glacie, ſemianimiſque fui.
Nec languere diu patitur dolor: excitor illo,
Excitor, & ſumma Theſea voce voco.
Quo fugis? exclamo: ſcelerate revertere, Theſeu:
Flecte ratem, numerum non habet illa ſuum:
Quid potius facerent, quam me mea lumina flerent,
Poſtquam deſieram vela videre tua?
Jam mare proſpiciens in ſaxo frigida ſedi.
Quamque lapis ſedes, tam lapis ipſa fui.
Quid faciam? quo ſola ferar? quae littora tendam?
Multa mihi terrae, multa minantur aquae.
Occurrunt animo pereundi mille figurae,
Morsq; minus poenae, quam mora mortis habet.
Crudeles ſomni quid me tenuiſtis inertem!
At ſemel aeterna nocte premenda fui.
Vos quoque crudeles venti, nimiumque parati;
Fla-

a. Murat. Perſ. Poeſ. Ital. l. 2. c. 15.

Flaminaque in lacrimas officioſa meas.
Spiritus infelix peregrinas ibit in auras?
Nec mea qui digitis lumina condat erit?
Oſſa ſuperſtabunt volucres inhumata marinae!
Haec ſunt officiis digna ſepulcra meis.

7. Quamquam vero iſtae dicendi notae alia ab aliis diverſa ſit, tamen inter ſe miſcentur: *non omnis quidem cum omni, ſed ornata cum tenui, cum magnifica; & gravis cum ambabus, ſola autem magnifica cum tenui ſimul non miſcetur* [a]. Itaque *is erit eloquens, ut illud idem iteremus, qui poterit parva ſummiſſe, modica temperate, magna graviter dicere* [b].

Praecipua inter ſtilum oratorium, hiſtoricum, ac poeticum diſcrimina.

CAP. XXIII.

1. PRimum diſcrimen, ac facile origo ceterorum, inter ſtilum oratorium, hiſtoricum, ac poeticum ex eo proficiſcitur, quod Orator, Hiſtoricus, ac Poeta ſuam quiſque veluti ſupellectilem verſat, adhibet, offert. Orator enim ſuum veluti aerarium habet vera, ac ſolida argumenta, ſcientiarum ſemina, hiſtoriarum exempla, omnem eruditionem, eaque ipſa ſincera, non adumbrata acri contentione agitat, quippe cui perſuadendum veris apertisque rebus. Hiſtoricus rerum geſtarum memoriam poſteritati tradit; ea vero *tanto robuſtior, quanto verior* [c]; idcirco ſimpliciſſime omnia exponit. Poeta de-

a. Phaler. de rat. dic. pag. 25. ex interpr. Victor.
b. Cic. in Orat. c.29. c. Quinctil. l.2. c.4.

demum, ut qui numine afflari creditus, Apolline & Muſis diſcere & audire quae canat, ut ſano dulcique mendacio maximarum rerum auſteritatem molliat, maximeque delectet, haec accipit, atque agit. Sint aliquo exemplo Cic. pro Roſc. Amer. c. 14. *Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis ſaepe numero videtis eos, qui aliquid impie ſcelerateque commiſerint, agitari, & perterreri furiarum taedis ardentibus: ſua quemque fraus, & ſuus terror maxime vexat; ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit; ſuae malae cogitationes conſcientiaeque animi terrent: hae ſunt impiis aſſiduae, domeſticaeque furiae, quae dies noctesque poenas a conſceleratiſſimis repetant.* Juven. Sat. 13.

Quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere caedit
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Nocte dieque ſuum geſtant in pectore teſtem.
Perpetua anxietas, nec menſae tempore ceſſat,
Faucibus ut morbo ſiccis, interque molares
Difficili creſcente cibo; ſed vina miſellus
Expuit, Albani veteris pretioſa ſenectus
Diſplicet, oſtendas melius, denſiſſima ruga
Cogitur in frontem velut acri ducta Falerno.
Nocte brevem ſi forte indulſit cura ſoporem,
Et toto verſata toro jam membra quieſcunt,
Continuo templum, & violati Numinis aras,
Et quod praecipuis mentem ſudoribus urget,
Te videt in ſomnis; tua ſacra, & major imago
Humana turbat pavidum, cogitque fateri.
Hi ſunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,
Cum tonat exanimes primo quoque murmure caeli

Non quaſi fortuitu, nec ventorum rabie, ſed
Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.

2. Deinde Oratores rerum, atque hiſtoriarum veritatem, aut certe ipſius ubique effigiem ſequuntur, adornant, atque amant, non adumbrant, aut fingunt. Poetae ad fabulas multo libentiſſime confugiunt, quae in eo genere, in quo dicant, pervulgatae ſint, aut eas ipſi comminiſcuntur. Haec tibi habe exemplo. Cic. 1. Tuſcul. c. 5. *Moriendum eſt omnibus*. Hor. l. 1. od. 3. v. 25.

Omnes eodem cogimur: omnium
Verſatur urna: ſerius ocyus
Sors exitura, & in aeternum
Exſilium impoſitura cymbae.

Id. l. 1. od. 28. v. 15.

Sed omnes una manet nox,
Et calcanda ſemel via lethi.

3. Praeterea in eo differunt, quod ornatius, liberius, audacius omnia Poetae dicunt, conſideratius, gravius, temperatius Oratores, atque Hiſtorici: etenim *ſoluta oratio pauciora ad exornandum adjumenta, quam verſus habet* [a]. Itaque crebrius elaboratiusque deſcribunt Poetae, ſaepius a propoſito digrediuntur, ac libentius res ab omni ſingularitate ſeparatas perſequuntur; Oratores vero omnia e contrario. Eſto exemplum. Cic. 14. Phil. c. 12. *Vos qui extremum ſpiritum in victoria effudiſtis piorum eſtis ſedem & locum conſecuti. Brevis autem vobis vita data eſt, at memoria bene redditae vitae ſempiterna. Veſtra virtus nec oblivione eorum, qui nunc ſunt, nec reticentia poſterorum inſepulta eſſe poterit, cum vobis immortale monumentum ſuis paene manibus*

a. Ariſt. Rhet. l. 3. c. 4. tex. 27.

bus Senatus Populusque Romanus exſtruxerit. Erit exſtructa moles opere magnifico, inciſaeque litterae divinae virtutis teſtes ſempiternae: numquamque de vobis eorum, qui aut videbunt veſtrum monumentum, aut audient, gratiſſimus ſermo conticeſcet. Hor. *l.* 2. od. 20.

Non uſitata, nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum aethera
Vates, neque in terris morabor
Longius, invidiaque major
Urbes relinquam. Non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas
Dilecte, Maecenas, obibo,
Nec Stygia cohibebor unda.
Jam jam reſidunt cruribus aſperae
Pelles, & album mutor in alitem
Superne, naſcunturque leves
Per digitos, humeroſque plumae.
Jam Daedaleo ocyor Icaro
Viſam gementis littora Boſphori,
Syrteſque Getulas canorus
Ales, Hyperboreoſque campos.
Me Colchus, & qui diſſimulat metum
Marſae cohortis Dacus, & ultimi
Noſcent Geloni; me peritus
Diſcet Iber, Rhodanique potor.

4. Denique inter ſe Oratores ac Poetae differunt in certis quibusdam verbis, in certo quadem verborum exitu, & ſtructura, atque in certis quibusdam locutionibus; neque enim *Pierides, orcum, cacumina, Pana, Orphea, Acheronta, meditari avena carmen, adſcenſu ſuperare, idoneum dicere, fortis ſpernere.* Dicet Orator: nec Poeta ſtirpis *extinctores*, patriae *everſorem*, vitiorum *expultricem* ſapientiam, & ſimilia a verbis nomina profecta, niſi raro. Sed haec minima. *Di-*

Diſtinguendae orationis ratio per epitheta, & quae ea eſſe debeant.

CAP. XXIV.

1. MIrifice orationem ornant, amplificant, eruditam, diſertam, vehementemque faciunt epitheta, nec dicentis ingenium, atque judicium minus praedicant, quam cauſſas promovent. Nec adjectiva ſola intelligo, ſed alia etiam orationis quaſi membra; ut *bella deteſtata matribus* [a], *a bello quieta provincia* [b], *corpus annis infirmum* [c], *ingenium ſapientia validum* [d], *o multa fleturum caput* [e] *! O numquam dolituri, o ſemper inertes* [f] *!*

2. Poetae *longe liberiores in epithetis* [g] quaedam nomini interdum quaſi inania addunt, *ut dolo malo, humida vina, ferrea telorum ſeges, mala tactu vipera, lac niveum: apud Oratores quae nihil efficiunt, epitheta redundant* [h]: ipſi tamen duo etiam, ac plura epitheta conjungunt.

3. Haec autem epitheta omnium primum ad rem, quae agitur, aptiſſima eſſe debent, & rem, quae intenditur, maxime exprimere: hujuſmodi haec ſunt Cic. de Seneſt. c. 2. *Praeterita enim aetas quamvis longa, cum effluxiſſet, nulla conſolatione permulcere poſſet ſtultam ſenectutem*. Virg. 3. Georg. v. 164.

Viamque inſiſte domandi,

Dum

a. Hor. l. 1. od. 1. b. Liv. l. 39. c. 2. c. Sall. Con. Cat. c. 6. d. Id. ibi. e. Hor. epod. 5. f. Virg. 11. Aen. v. 732. g. Ariſt. Rhet. l. 3. c. 16. h. Quinctil. l. 8.

Dum faciles animi juvĕum, dum mobilis aetas.

Idem 1. Aen. v. 707. ubi Aeneas patrem alloquitur:

Cervici imponere noſtrae,
Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte gravabit,
Quo res cumque cadent, unum, & commune periclum,
Una ſalus ambobus erit.

Et 6. Aen. v. 596. de Tityo

Per tota novem, cui jugera corpus
Porrigitur, roſtroque immanis vultur obunco
Immortale jecur tundens, fecundaque poenis
Viſcera, rimaturque epulas, habitatque ſub alto
Pectore

Itemque 4. Georg. v. 212. de apibus.

Rege incolumi mens omnibus una eſt,
Amiſſo rupere fidem, conſtructaque mella
Diripuere ipſae.

Haec accurate res intuenti paene occurrunt, rudi & oſcitanti abeunt e manibus.

4. Deinde epitheta debent amplificare, evehere, augere rem, cui adduntur, ut magnam vim nomina ipſa per ſe habeant, ac novam, eamque maximam addant epitheta. Hujus ingenii haec Cic. pro Marcello c. 1. *Tantam enim manſuetudinem, tam inuſitatam inauditamque clementiam, tantum in ſumma poteſtate rerum omnium modum, tam denique incredibilem ſapientiam, ac paene divinam tacitus praeterire nullo modo poſſum.* Sall. Con. Cat. c. 5. *Ex pulcherrima & optima peſſima, ac flagitioſiſſima facta eſt.* Virg. eclog 5. v. 26.

Non tu in triviis indocte ſolebas
Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen?

Catull. carm. 66. v. 113. de Theſeo

Errabunda regens tenui veſtigia filo,

Ne,

Ne labyrintheis e flexibus egredientem
Tecti fruſtraretur inobſervabilis error.

5. Praeterea praeclaram aliquam eruditionem contineant epitheta, ita ut inuſitatam vel notionem aperiant, vel audita, & animadverſa tacitam, aut apertam objectionem diſſolvant, vel egregium quiddam doceant. Non aliuſmodi haec. Horat. l. 3. od. 29.

Faſtidioſam deſere copiam.

Virg. ecl. 6. v. 58.

Errabunda bovis veſtigia.

Id. Georg. v. 3.

Prolem tarde creſcentis olivae.

Et 5. Aen. v.

Auritoſque ſequi lepores.

Et eclog. 1. v. 65.

At nos hinc alii ſitientes ibimus Afros.
Pars Scythiam, & rapidum Cretae veniemus Oaxem,
Et penitus toto diviſos orbe Britannos.

Item 10. Aen. v. 564.

Tacitis regnavit Amiclis.

Amiclae enim nunciato ſaepius irrumpentium hoſtium cum claſſe adventu, nec contingente, lege caverant, ne quis de hoſtibus verbum faceret, iis vero improviſo irrumpentibus, nec quidquam de ea re ullo admonente, everſae ſunt: quare Amiclarum ſilentium veteri proverbio celebratum.

6. At certus his quoque modus eſſe debet: nimis crebra epitheta in oratione non ſemel moleſta, atque adeo *ſi qui crebrius utantur artem detegunt, planumque faciunt eam eſſe poeſim* [a], ſubinde addita ornatam, eruditam, efficacem: quare mediocritate opus eſt.

Ordo

a. Ariſt. Rhet. l. 3. c. 8. text. 65.

Inſignia orationis vitia.

CAP. XXVI.

1. *Cernenda autem ſunt diligenter, ne fallant & nos vitia, quae virtutem videntur imitari* [a]; quibus ſane, quoniam certis quibusdam Scriptoribus placuerunt, & fortaſſe interdum naturae aut impetu, aut tarditate irrumpunt, niſi judicium, & ſanus eloquentiae guſtus dicentes moderetur, non ſemel decipimur ſpecie recti. Quare, ut *ne id quidem inutile aliquando vitioſas orationes, quas tamen plerique judiciorum pravitate mirantur, legi palam pueris, oſtendique in his quam multa impropria, obſcura, tumida, humilia, ſordida, effeminata, quae laudantur, non modo a pleriſque, ſed, quod pejus eſt, propter hoc ipſum, quo* * *ſunt prava laudantur* [b], ita hic eorum tamquam capita afferre aliquid juvabit.

2. Inflata, ſive tumida oratio eſt ea, quae immodico rerum, ac verborum aeſtu, ac viribus fervet. Plura hujus generis in Lucano, in Statio, nec raro in Claudiano invenies: a quibus tamen adoleſcentem non admodum deterream, immo quoſdam ſic audere etiam jubebo, ſi ita eos quidem errare admoneam, dum ab inflato ad erectum, & grave revocentur in hoc manſuri. Turgida haec Statii dices de equo Domitiani.

Qua-

a. Cic. Partit. Orat. c. 23. * Ita legi debere credam, non *quod*, ut non commune, ſed ſingulare vitium ſignificetur. b. Quinctil. l. 2, c. 5.

Quae ſuperimpoſito moles gemmata coloſſo
Stat latium complexa forum, caelone peractum
Fluxit opus, Siculis an conformata caminis
Effigies laſſum Steropem, Brontemque reliquit?

3. Contra humilis atque abjecta oratio ea eſt, quae perexigua argumenta perſequitur, aut ea minimum verborum nervis, aut nulla dicendi vi erigit: quod humilium rerum Scriptori, & cui etiam ex neceſſitate utendum ſit rebus, & *nominibus cum honoris praefatione ponendis* a, vix tolerabilis eſt: eis enim orationis elegantia, & acumine omnia, quantum par eſt, erigenda & animanda ſunt; quare hujus exempla nec requiras.

4. Huic affinis eſt inculta, & exſanguis, aut arida, vel jejuna oratio, quae aut nullum ornatum adhibet, ut Cato ille, ut auctor eſt Cicero, *in ea fuit haereſi, quae nullum ſequitur florem orationis* b, & fere in omni lingua primi fuerunt parentes, aut exiguo rerum pondere ac ſanguine ſuſtinetur, cujusmodi aliqua Ovidii, praeſertim Faſtorum, affirmes: immo id *ſuperfluum erat monere, niſi fieret* c.

5. Nec minus peccat *diſſipata oratio* d, ſeu *fluctuans, & diſſolutum orationis genus* e, quod huc illuc vagatur, nec bene copulat, nec abſolvit: ut hoc Catulli epig. 55. licet facile tempus illius aliqua abſumſerit, quae omnium lux, ſtructura, vis, & perſpicuitas erant.

Othonis caput oppido eſt puſillum,
Subtile, & leve peditum Libonis;

L *Sed*

a. Plin. praef. Nat. Hiſt. b. Prooem. Paradox. c. Quinct. l. 4. c. 1. d. Cic. in Orat. e. Auct. ad Her. l. 4. c. 11.

hujus adoleſcentiae prima fuerit, eadem eſſet familiariſſima ſenectuti.

6. Stilus floridus is eſt, qui *actiones exprimit, mores, res acute, ac ſplendidis dictis, cogitatis, animadverſis, pulchris adſtrictiſque ſententiis, vivacioribus abſtractis, atque alacri ſpiritu* a, omnium denique orationis florem exquirit. Ad pompam aptior, quam ad robur, atque adoleſcentibus amandus mox luxum temperaturis. Non pauca ejus generis continet Ariadne a Theſeo relicta epiſtola apud Ovid. 10. Her. v. 15.

Interea toto clamanti littore, Theſeu,
Reddebant nomen concava ſaxa tuum.
Et quoties ego te, toties locus ipſe vocabat:
Ipſe locus miſerae ferre volebat opem.
Aut vidi, aut etiam cum me vidiſſe putarem,
Frigidior glacie, ſemianimiſque fui.
Nec languere diu patitur dolor: excitor illo,
Excitor, & ſumma Theſea voce voco.
Quo fugis? exclamo: ſcelerate revertere, Theſeu:
Flecte ratem, numerum non habet illa ſuum:
Quid potius facerent, quam me mea lumina flerent,
Poſtquam deſieram vela videre tua?
Jam mare proſpiciens in ſaxo frigida ſedi.
Quamque lapis ſedes, tam lapis ipſa fui.
Quid faciam? quo ſola ferar? quae littora tendam?
Multa mihi terrae, multa minantur aquae.
Occurrunt animo pereundi mille figurae,
Morsq; minus poenae, quam mora mortis habet.
Crudeles ſomni quid me tenuiſtis inertem!
At ſemel aeterna nocte premenda fui.
Vos quoque crudeles venti, nimiumque parati;

Fla-

a. Murat. Perf. Poeſ. Ital. l. 2. c. 15.

Flaminaque in lacrimas officioſa meas.
Spiritus infelix peregrinas ibit in auras?
Nec mea qui digitis lumina condat erit?
Oſſa ſuperſtabunt volucres inhumata marinae!
Haec ſunt officiis digna ſepulcra meis.

7. Quamquam vero iſtae dicendi notae alia ab aliis diverſa ſit, tamen inter ſe miſcentur: *non omnis quidem cum omni, ſed ornata cum tenui, cum magnifica; & gravis cum ambabus, ſola autem magnifica cum tenui ſimul non miſcetur* [a]. Itaque *is erit eloquens, ut illud idem iteremus, qui poterit parva ſummiſſe, modica temperate, magna graviter dicere* [b].

Praecipua inter ſtilum oratorium, hiſtoricum, ac poeticum diſcrimina.

CAP. XXIII.

1. PRimum diſcrimen, ac facile origo ceterorum, inter ſtilum oratorium, hiſtoricum, ac poeticum ex eo profiſciſcitur, quod Orator, Hiſtoricus, ac Poeta ſuam quiſque veluti ſupellectilem verſat, adhibet, offert. Orator enim ſuum veluti aerarium habet vera, ac ſolida argumenta, ſcientiarum ſemina, hiſtoriarum exempla, omnem eruditionem, eaque ipſa ſincera, non adumbrata acri contentione agitat, quippe cui perſuadendum veris apertisque rebus. Hiſtoricus rerum geſtarum memoriam poſteritati tradit; ea vero *tanto robuſtior, quanto verior* [c]; idcirco ſimpliciſſime omnia exponit. Poeta de-

a. Phaler. de rat. dic. pag. 25. ex interpr. Victor.
b. Cic. in Orat. c. 29. c. Quinctil. l. 2. c. 4.

demum, ut qui numine afflari creditus, Apolline & Muſis diſcere & audire quae canat, ut ſano dulcique mendacio maximarum rerum auſteritatem molliat, maximeque delectet, haec accipit, atque agit. Sint aliquo exemplo Cic. pro Roſc. Amer. c. 24. *Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis ſaepe numero videtis eos, qui aliquid impie ſcelerateque commiſerint, agitari, & perterreri furiarum taedis ardentibus: ſua quemque fraus, & ſuus terror maxime vexat; ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit; ſuae malae cogitationes conſcientiaeque animi terrent: hae ſunt impiis aſſiduae, domeſticaeque furiae, quae dies noctesque poenas a conſceleratiſſimis repetant.* Juven. Sat. 13.

Quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere caedit
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Nocte dieque ſuum geſtant in pectore teſtem.
Perpetua anxietas, nec menſae tempore ceſſat,
Faucibus ut morbo ſiccis, interque molares
Difficili creſcente cibo; ſed vina miſellus
Expuit, Albani veteris pretioſa ſenectus
Diſplicet, oſtendas melius, denſiſſima ruga
Cogitur in frontem velut acri ducta Falerno.
Nocte brevem ſi forte indulſit cura ſoporem,
Et toto verſata toro jam membra quieſcunt,
Continuo templum, & violati Numinis aras,
Et quod praecipuis mentem ſudoribus urget,
Te videt in ſomnis; tua ſacra, & major imago
Humana turbat pavidum, cogitque fateri.
Hi ſunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,
Cum tonat exanimes primo quoque murmure caeli

Non.

Non quaſi fortuitu, nec ventorum rabie, ſed
Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.

2. Deinde Oratores rerum, atque hiſtoriarum veritatem, aut certe ipſius ubique effigiem ſequuntur, adornant, atque amant, non adumbrant, aut fingunt. Poeſae ad fabulas multo libentiſſime confugiunt, quae in eo genere, in quo dicant, pervulgatae ſint, aut eas ipſi comminiſcuntur. Haec tibi habe exemplo. Cic. 1. Tuſcul. c. 5. *Moriendum eſt omnibus*. Hor. l. 1. od. 3. v. 25.

Omnes eodem cogimur: omnium
Verſatur urna: ſerius ocyus
Sors exitura, & in aeternum
Exſilium impoſitura cymbae.

Id. l. 1. od. 28. v. 15.

Sed omnes una manet nox,
Et calcanda ſemel via lethi.

3. Praeterea in eo differunt, quod ornatius, liberius, audacius omnia Poetae dicunt, conſideratius, gravius, temperatius Oratores, atque Hiſtorici: etenim *ſoluta oratio pauciora ad exornandum adjumenta, quam verſus habet* a. Itaque crebrius elaboratiusque deſcribunt Poetae, ſaepius a propoſito digrediuntur, ac libentius res ab omni ſingularitate ſeparatas perſequuntur; Oratores vero omnia e contrario. Eſto exemplum. Cic. 14. Phil. c. 12. *Vos qui extremum ſpiritum in victoria effudiſtis piorum eſtis ſedem & locum conſecuti. Brevis autem vobis vita data eſt, at memoria bene redditae vitae ſempiterna. Veſtra virtus nec oblivione eorum, qui nunc ſunt, nec reticentia poſterorum inſepulta eſſe poterit, cum vobis immortale monumentum ſuis paene manibus*

a. Ariſt. Rhet. l. 3. c. 4. tex. 27.

bus Senatus Populusque Romanus exſtruxerit. Erit exſtructa moles opere magnifico, inciſaeque litterae divinae virtutis teſtes ſempiternae: numquamque de vobis eorum, qui aut videbunt veſtrum monumentum, aut audient, gratiſſimus ſermo conticeſcet. Hor. *l.* 2. od. 20.

Non uſitata, nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum aethera
Vates, neque in terris morabor
Longius, invidiaque major
Urbes relinquam. Non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas
Dilecte, Maecenas, obibo,
Nec Stygia cohibebor unda.
Jam jam reſidunt cruribus aſperae
Pelles, & album mutor in alitem
Superne, naſcunturque leves
Per digitos, humeroſque plumae.
Jam Daedaleo ocyor Icaro
Viſam gementis littora Boſphori,
Syrteſque Getulas canorus
Ales, Hyperboreoſque campos.
Me Colchus, & qui diſſimulat metum
Marſae cohortis Dacus, & ultimi
Noſcent Geloni; me peritus
Diſcet Iber, Rhodanique potor.

4. Denique inter ſe Oratores ac Poetae differunt in certis quibusdam verbis, in certo quadem verborum exitu, & ſtructura, atque in certis quibusdam locutionibus; neque enim *Pierides, orcum, cacumina, Pana, Orphea, Acheronta, meditari avena carmen, adſcenſu ſuperare, idoneum dicere, fortis ſpernere*. Dicet Orator: nec Poeta ſtirpis *extinctores*, patriae *everſorem*, vitiorum *expultricem* ſapientiam, & ſimilia a verbis nomina profecta, niſi raro. Sed haec minima. *Di-*

Diſtinguendae orationis ratio per epitheta, & quae ea eſſe debeant.

CAP. XXIV.

1. Mirifice orationem ornant, amplificant, eruditam, diſertam, vehementemque faciunt epitheta, nec dicentis ingenium, atque judicium minus praedicant, quam cauſſas promovent. Nec adjectiva ſola intelligo, ſed alia etiam orationis quaſi membra; ut *bella deteſtata matribus* [a], *a bello quieta provincia* [b], *corpus annis infirmum* [c], *ingenium ſapientia validum* [d], *o multa fleturum caput* [e] *! O numquam dolituri, o ſemper inertes* [f] *!*

2. Poetae *longe liberiores in epithetis* [g] quaedam nomini interdum quaſi inania addunt, *ut dolo malo, humida vina, ferrea telorum ſeges, mala tactu vipera, lac niveum: apud Oratores quae nihil efficiunt, epitheta redundant* [h]: ipſi tamen duo etiam, ac plura epitheta conjungunt.

3 Haec autem epitheta omnium primum ad rem, quae agitur, aptiſſima eſſe debent, & rem, quae intenditur, maxime exprimere: hujuſmodi haec ſunt Cic. de Seneſt. c. 2. *Praeterita enim aetas quamvis longa, cum effluxiſſet, nulla conſolatione permulcere poſſet ſtultam ſenectutem*. Virg. 3. Georg. v. 164.

Viamque inſiſte domandi,

Dum

a. Hor. l. 1. od. 1. b. Liv. l. 39. c. 2. c. Sall. Con. Cat. c. 6. d. Id. ibi. e. Hor. epod. 5. f. Virg. 11. Aen. v. 732. g. Ariſt. Rhet. l. 3. c. 16. h. Quinctil. l. 8.

Dum faciles animi juvĕum, dum mobilis aetas.

Idem 1. Aen. v. 707. ubi Aeneas patrem alloquitur:

Cervici imponere noſtrae,
Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte gravabit,
Quo res cumque cadent, unum, & commune periclum,
Una ſalus ambobus erit.

Et 6. Aen. v. 596. de Tityo

Per tota novem, cui jugera corpus
Porrigitur, roſtroque immanis vultur obunco
Immortale jecur tundens, fecundaque poenis
Viſcera, rimaturque epulas, habitatque ſub alto
Pectore

Itemque 4. Georg. v. 212. de apibus.

Rege incolumi mens omnibus una eſt,
Amiſſo rupere fidem, conſtructaque mella
Diripuere ipſae.

Haec accurate res intuenti paene occurrunt, rudi & oſcitanti abeunt e manibus.

4. Deinde epitheta debent amplificare, evehere, augere rem, cui adduntur, ut magnam vim nomina ipſa per ſe habeant, ac novam, eamque maximam addant epitheta. Hujus ingenii haec Cic. pro Marcello c. 1. *Tantam enim manſuetudinem, tam inuſitatam inauditamque clementiam, tantum in ſumma poteſtate rerum omnium modum, tam denique incredibilem ſapientiam, ac paene divinam tacitus praeterire nullo modo poſſum.* Sall. Con. Cat. c. 5. *Ex pulcherrima & optima peſſima ac flagitioſiſſima facta eſt.* Virg. eclog 5. v. 26.

Non tu in triviis indocte ſolebas
Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen?

Catull. carm. 66. v. 113. de Theſeo

Errabunda regens tenui veſtigia filo,

Ne,

Ne labyrintheis e flexibus egredientem
Tecti fruſtraretur inobſervabilis error.

5. Praeterea praeclaram aliquam eruditionem contineant epitheta, ita ut inuſitatam vel notionem aperiant, vel audita, & animadverſa tacitam, aut apertam objectionem diſſolvant, vel egregium quiddam doceant. Non aliuſmodi haec. Horat. l. 3. od. 29.

Faſtidioſam deſere copiam.

Virg. ecl. 6. v. 58.

Errabunda bovis veſtigia.

Id. Georg. v. 3.

Prolem tarde creſcentis olivae.

Et 5. Aen. v.

Auritoſque ſequi lepores.

Et eclog. 1. v. 65.

At nos hinc alii ſitientes ibimus Afros.
Pars Scythiam, & rapidum Cretae veniemus
Oaxem,
Et penitus toto diviſos orbe Britannos.

Item 10. Aen. v. 564.

Tacitis regnavit Amiclis.

Amiclae enim nunciato ſaepius irrumpentium hoſtium cum claſſe adventu, nec contingente, lege caverant, ne quis de hoſtibus verbum faceret, iis vero improviſo irrumpentibus, nec quidquam de ea re ullo admonente, everſae ſunt: quare Amiclarum ſilentium veteri proverbio celebratum.

6. At certus his quoque modus eſſe debet: nimis crebra epitheta in oratione non ſemel moleſta, atque adeo *ſi qui crebrius utantur artem detegunt, planumque faciunt eam eſſe poeſim* [a], ſubinde addita ornatam, eruditam, efficacem: quare mediocritate opus eſt.

Ordo

a. Ariſt. Rhet. l. 3. c. 8. text. 65.

Ordo: ejus dignitas; officia: & an alia eloquentiae ſpecies prae alia praeſtet.

CAP. XXV.

1. ORdo, ut generatim *eſt compoſitio rerum aptis, & accommodatis locis* a, ita ſingulatim in eloquentia eſt omnium dictorum diſtributa ſeries, ut ſuo quaeque loco inhaereant. Igitur tum in oratione eſt ordo, cum ſuperiora proximis, & proxima conſequentibus apte cohaerent, & quaſi unum efficiunt, non modo quantum ad argumenta, & comprehenſionem ſententiarum ſpectat, ſed quantum ad ſenſa, & verba ſingula.

2. Maximae utilitati, ac laudi ordo eſt, dum enim orationi unitatem, atque conjunctionem comparat, comparat quoque pulchritudinem, majeſtatem, robur; quae enim ex pluribus coaleſcunt, cum ita accommodata, & conjuncta ſint, ut unum videantur ac ſint, tum vigent, apparent, excellunt; cum autem ita acervantur, aut admoventur, ut commiſſa cernantur, labefiunt, cadunt, intereunt. Quare, ut in agendo, ita in dicendo ordo eſt optimus, & pulcherrimus.

3. Ut vero ordinis officia admireris, atque ut ea dicendo expleas, in optimo quoque optimae, ac aetatis prope in quoque cujuſque linguae ſcriptore intuere, ut in exordiis, in narrationibus, hiſtoriarum, exemplorumque ad rem ſuam expoſitione quaedam jaciuntur ſemina ad conſequentia viam, & quaſi vinculum

a. Cic. 1. Offic. c. 40.

lum, ut argumentum ex argumento, periodus ex periodo naſcatur, aut certe aliud alii recte conjungatur, atque ita ex longa, perpetuaque oratione, aut hiſtoria, aut carmine unum quiddam efficiunt, quod de Homero Euſtathius dixit, *unum, continuum, beneque aptatum corpus tota Ilias eſt* [a], quod de Aeneidê Virgilii, quod de qualibet Tulliana oratione omnes ſuſpicimus, qui enim germana facilitate delectantur, ordine etiam quod in tempore dicendum eſt dicunt, in quo ordinis praeſtantia eſt, ut Horatius affirmat: *Ordinis haec virtus erit, & venus, aut ego fallor, Ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici, Pleraque differat, & praeſens in tempus omittat* [b]. Contra qui maxime vigentes, maxime cogitantes, a verbis, a verborum luminibus locupletiores videri volunt, facile diſparata, necc ohaerentia dicunt, quod non omnino injuria de Seneca Caligula aſſeruit, *Senecam commiſſiones meras componere, & arenam eſſe ſine calce* [c].

4 Eſt vero in eloquentia alia ſpecies alia formoſior, nec difficile eſt de iis judicare: nam orationis veritas, robur, perſpicuitas, facilitas, maturitas, decorum, elegantia, & ornatus omnino ubique ſemper praeſtant; amplitudo, fervor, vehementia, & aſperitas optima apparent, cum ex argumenti magnitudine ad ea incitamur; acumen, ingenioſa inopinata, novum, admirabilia, brevitas, venuſtas, ſuavitas, ſubtilitas certis in locis commode allata commendantur. Optimus vero ille, qui opportunis locis univerſa ea complectitur, ut Cicero, Virgilius, Horatius fecerunt. *Inſi-*

a. In comment. in 1. Iliad. c. 1. Interpr. Polito.
b. Epiſt. 3. l. 2. v. 42. c. Suet. in Calig. c. 53.

Inſignia orationis vitia.

CAP. XXVI.

1. *Cernenda autem ſunt diligenter, ne fallant & nos vitia, quae virtutem videntur imitari* [a]; quibus ſane, quoniam certis quibusdam Scriptoribus placuerunt, & fortaſſe interdum naturae aut impetu, aut tarditate irrumpunt, niſi judicium, & ſanus eloquentiae guſtus dicentes moderetur, non ſemel decipimur ſpecie recti. Quare, ut *ne id quidem inutile aliquando vitioſas orationes, quas tamen plerique judiciorum pravitate mirantur, legi palam pueris, oſtendique in his quam multa impropria, obſcura, tumida, humilia, ſordida, effeminata, quae laudantur, non modo a pleriſque, ſed, quod pejus eſt, propter hoc ipſum, quo * ſunt prava laudantur* [b], ita hic eorum tamquam capita afferre aliquid juvabit.

2. Inflata, ſive tumida oratio eſt ea, quae immodico rerum, ac verborum aeſtu, ac viribus fervet. Plura hujus generis in Lucano, in Statio, nec raro in Claudiano invenies: a quibus tamen adoleſcentem non admodum deterream, immo quoſdam ſic audere etiam jubebo, ſi ita eos quidem errare admoneam, dum ab inflato ad erectum, & grave revocentur in hoc manſuri. Turgida haec Statii dices de equo Domitiani.

Qua-

a. Cic. Partit. Orat. c. 23. * Ita legi debere credam, non *quod*, ut non commune, ſed ſingulare vitium ſignificetur. b. Quinctil. l. 2, c. 5.

Quae ſuperimpoſito moles gemmata coloſſo
Stat latium complexa forum, caelone peractum
Fluxit opus, Siculis an conformata caminis
Effigies laſſum Steropem, Brontemque reliquit?

3. Contra humilis atque abjecta oratio ea eſt, quae perexigua argumenta perſequitur, aut ea minimum verborum nervis, aut nulla dicendi vi erigit: quod humilium rerum Scriptori, & cui etiam ex neceſſitate utendum ſit rebus, & *nominibus cum honoris praefatione ponendis* [a], vix tolerabilis eſt: eis enim orationis elegantia, & acumine omnia, quantum par eſt, erigenda & animanda ſunt; quare hujus exempla nec requiras.

4. Huic affinis eſt inculta, & exſanguis, aut arida, vel jejuna oratio, quae aut nullum ornatum adhibet, ut Cato ille, ut auctor eſt Cicero, *in ea fuit haereſi, quae nullum ſequitur florem orationis* [b], & fere in omni lingua primi fuerunt parentes, aut exiguo rerum pondere ac ſanguine ſuſtinetur, cujusmodi aliqua Ovidii, praeſertim Faſtorum, affirmes: immo id *ſuperfluum erat monere, niſi fieret* [c].

5. Nec minus peccat *diſſipata oratio* [d], ſeu *fluctuans, & diſſolutum orationis genus* [e], quod huc illuc vagatur, nec bene copulat, nec abſolvit: ut hoc Catulli epig. 55. licet facile tempus illius aliqua abſumſerit, quae omnium lux, ſtructura, vis, & perſpicuitas erant.

Othonis caput oppido eſt puſillum,
Subtile, & leve peditum Libonis;

a. Plin. praef. Nat. Hiſt. b. Prooem. Paradox. c. Quinct. l. 4. c. 1. d. Cic. in Orat. e. Auct. ad Her. l. 4. c. 11.

Sed non omnia diſplicere vellem
*Tibi, & Fuffetio * ſeni recocto,*
Iraſcere iterum meis jambis
Immerentibus unice Imperator.

6. Affectata oratio eſt nimis quaeſita, atque intemperans gratiae, cultus, artis induſtria. *Nihil* autem *eſt odioſius affectatione* [a], ac minus ferenda, quam negligentia, *magis* enim *offendit nimium, quam parum* [b]. Plura affectata in Martiale dicas. Hujuſmodi haec l. 6. epig. 51. nimium certis hominibus probata.

Quod convivaris ſine me tam ſaepe, Luperce,
Inveni noceam qua ratione tibi.
Iraſcar, licet uſque voces, mittaſque, rogeſque
Quid facies? iniquis: quid faciam? veniam.

Et lib. 1. epig 70.

Semper agis cauſſas, & res agis, Attale, ſemper;
Eſt, non eſt quod agas, Attale, ſemper agis.
Si res, & cauſſae deſunt, agis, Attale, mulas.
Attale, ne quid agas deſit, agas animam.

RHE-

* Fuffetium, non Suffetium hoc Romanae, & Sabinae familiae nomen ex Dionyſ. & Plut. Sigon. advertit Schol. in l. 1. Liv. a. Quinctil. l. 1. c. 11.
b. Cic. in Or. c. 22.

RHETORICARUM INSTITUTIONUM

LIBER TERTIUS,

Quo animi motus, variorumque hominum mores exhibentur.

Omnes animorum motus, quos hominum generi rerum naturæ tribuit, penitus pernoſcendi, quod omnis vis, ratioque dicendi in eorum, qui audiunt, mentibus aut ſedandis, aut excitandis expromenda eſt.
Cic. 1 de Orat. c. 5.

**

Quid ſint motus: unde excitandi ſint: quot eorum genera: quanta utilitas.

CAPUT I.

1. ANimi motus *eſt mentis commotio, atque immutatio* [a] acrius bonum expetens, vel abhorrens a malo; ſive *eſt animi incitatio aut ad voluptatem, aut ad moleſtiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem tot enim ſunt motus genera, partes plures generum ſingulorum* [b].

2. Ex ipſa igitur permotionum natura ſa-

a. Long. de ſublim. c. 20. b. Cic. Partit. Orat. c.

tis perſpicuum eſt, ex argumenti magnitudine eas excitari, atque oriri debere; ſi enim affectio eſt animi incitatio, ex re plane magna, inſolita, atque impellente erumpat neceſſe eſt: ita vero erumpens ad rem vere inflammandam, ac pervicaciam debellandam, ſi forte adſit, atque obſiſtat. ſuo jure naſcitur atque acuitur rei magnitudine, ac tum plane excellit, ac triumphat permotio Itaque Cicero, poſtquam Milonem non criminis, ſed pacis cauſſa in voluntarium exſilium profectum, & incredibili animi robore veniam non deprecari, ſed omnium ſalute ac tranquillitate per ſe afferta gaudere jam pluribus confirmavit, praecipue hoc gravi, magnifico, & ſummo viro digno dicto: *Exſilium ibi eſſe putat ubi virtuti non ſit locus, mortem naturae finem eſſe, non poenam*, tum vero in omnem miſericordiae, doloris, deprecationis, indignationiſque affectionem ſe vertit ſingularis illius orationis c. 37. Inquit ergo. *Sit hic ea mente qua natus eſt; quid vos Judices? quo tandem animo eritis? memoriam Milonis retinebitis, ipſum ejicietis? & erit dignior locus in terris ullus, qui hanc virtutem excipiat, quam hic, qui procreavit? O me miſerum! o me infelicem! Revocare tu me in patriam, Milo, potuiſti per hos, ego te in patria per eoſdem retinere non potero? quid reſpondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi, Q. frater, qui nunc abes, conſorti mecum temporum illorum? me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eoſdem, per quos noſtram ille ſervaſſet? at in qua cauſſa non potuiſſet? quae eſt grata gentibus: a quibus non potuiſſe? ab iis, qui maxime P. Clodii morte acqui-*

acquieverunt: quo deprecante? me. Quodnam concepi tantum ſcelus, aut quod in me tantum facinus admiſi, Judices, cum illa indicia communis exitii indagavi, patefeci, protuli, extinxi? omnes in me, meoſque redundant ex illo fonte dolores: quid me reducem eſſe voluiſtis? an ut inſpectante me expellerentur ii, per quos eſſem reſtitutus? Nolite, obſecro vos, pati, mihi acerbiorem reditum eſſe, quam fuerit ille ipſe diſceſſus. Nam qui poſſum putare, me reſtitutum eſſe, ſi diſtrahor ab iis, per quos reſtitutus ſum? Utinam Dii immortales feciſſent, ut P. Clodius non modo viveret, ſed etiam Praetor, Conſul, Dictator eſſet, antequam hoc ſpectaculum viderem. O Dii immortales! fortem, & a vobis, Judices, conſervandum virum! minime, minime inquit: immo vero paenas ille debitas luerit; nos ſubeamus, ſi ita neceſſe eſt, non debitas. Hiccine vir patriae natus, uſquam niſi in patria morietur? Et Virgil. peſtis deſcriptionem, ex eaque taurorum ruinam perſequens inauditos hos motus inflammat 3. Georg. v. 515.

Ecce autem duro fumans ſub vomere taurus
Concidit, & miſtum ſpumis vomit ore cruorem,
Extremoſque ciet gemitus: it triſtis arator
Maerentem abjungens fraterna morte juvencum,
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.
Non umbrae altorum nemorum, non gramina poſſunt
Grata movere animum: non qui per ſaxa volutus
Purior electro campum petit amnis: at ima
Solvuntur latera, atque oculos ſtupor urget inertes,

Ad terramque fluit devexo pondere cervix.
Quid labor, aut benefacta juvant? quid vomere terras
Invertiſſe graves? atqui non Maſſica Bacchi
Munera, non illis epulae nocuere repoſtae:
Frondibus, & victu paſcuntur ſimplicis herbae:
Pocula ſunt fontes liquidi, atque exercita curſu
Flumina, nec ſomnos abrumpit cura ſalubres.

3. Contra autem aut ultro omnino, aut levi momento, aut cum proficere non poſſunt, excitatae languent, intereunt, abeunt, atque adeo nec lucet, quod debuit incendere. Quare *equidem primum conſiderare ſoleo*, inquit Cicero, *poſtuletne cauſſa, nam neque parvis in rebus adhibendae ſunt hae dicendi faces, neque ita animatis hominibus, ut nihil ad eorum mentes oratione flectendas proficere poſſimus, ne aut irriſione, aut odio digni putemur, ſi aut tragoedias agamus in nugis, aut convellere adoriamur ea, quae non poſſint commoveri* a.

4. Univerſos motus alii in quatuor hos principes, gaudium ſcilicet, maerorem, cupiditatem, ac metum, quaſi in ſumma genera partiti ſunt, alii in unum amorem, quod cum cupimus aut timemus, cum hilaramur aut maeremus, cum iraſcimur aut miſereſcimus, cum admiramur aut contemnimus, cum invidemus, aut odimus, nos, noſtra, & amica nobis diligimus, ex eoque ipſo contraria refugimus. Me non poenitet eorum b eſſe ſententiae, qui in cupientis, atque iraſcentis animi permotiones omnes diviſerunt. Cupientis ſunt amor, deſiderium, dolor, gaudium,

a. Cic. 2. de Or. c. 51. b. S. Thom. 1. 2. q. 23. a. 1.

dium, ſpes, miſericordia, multorum tamquam parentes. Iraſcentis ſunt ira, odium, contemtus, crudelitas, ſuperbia, audacia, tenuitas, horror, pervicacia, verecundia, plurimorum origo. Hos principes motus, ex iiſque profectos hoc pacto complectar, ut quid illi ſint, *in omnibus* enim, *quae ratione docentur & via, primum conſtituendum eſt quid quidque ſit* [a], deinde quae eorum cauſſa, unde oriuntur, tum qui mores, praeterea quae notae, ac demum quae oratio: in eo autem principes Praeceptores ſequar, ſi quando ii non collinere videantur, omittam, non reprehendam, *verum enim invenire ſine ulla contentione volumus* [b].

5. Illud ante moneo, motus alia ratione Philoſopho, Ethico, Rhetori ſpectari, ac tradi. Philoſophus motus tantum ut actiones hominum ſunt, eorumque cauſſas, & effectus contemplatur; Ethicus ut vitia, vel virtutes, ut ea moderetur; Rhetor ut animi incitationes ſunt, atque ut inflammentur, vel ut extinguantur conſiderat. Nos id agemus.

6. Nec vero eſt, quod nos moveat, apud Areopagum lege eſſe cautum, ut *ſine prooemio, & affectibus* [c] Oratores dicerent, & a Caeſare hoc dictum, *omnes homines, qui de rebus dubiis conſultant ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet*: etenim, ut perſpicuum eſt, ii loquuntur, cum apud ſapientiſſimos, & integerrimos viros res agitur, audita veritas ad eam amplectendam ſatis eſt, aut cum motus rationis judicium pervertunt, uſumque impediunt, non autem

a. Cic. in Or. c. 33. b. Id. 1. Acad. Quaeſt. c. 3. quem librum alii Lucullum inſcribunt. c. Quinct. l. 8.

cum rerum veritatem, & magnitudinem adjuvant, ut cum apud multitudinem oratur, quae rationum vi ſatis evicta per motionum faces indiget incitari: quare cum rei magnitudo, unde oriri affectiones debere jam dictum eſt, id poſtulat cauſsarum vim promovent motus, ac tum *multo plus proficit qui inflammat, quam qui docet* a.

Permotionum loci peculiares, ac ſtilus; excitandoſque ante in ſe ſcribenti eſſe, ut in alios derivet.

CAP. II.

1. PErmotiones fere omnes copioſe erumpunt, praeclareque excitantur ab adjunctis rei, perſonae, loci, temporis, ſociorum, propoſiti, & conſilii; iſta enim egregie rerum, atque hominum commendant, aut atterunt conditionem, atque adeo mirum in modum indignationem aut miſericordiam, amorem aut odium, gaudium aut maerorem, ceteros motus inflammant. Uberrimum hunc motuum fontem nec toties repetere, cum de ſingulis agam, nec tacitus praeterire potui. In aliquam eorum ſpeciem haec habe, ſemperque accurate adverte, ſi vis maxime incendere. Caeſ. Bel. Gal. l. 1. c. 32. *Animadvertit Caeſar unos ex omnibus Sequanos triſtes capite demiſſo terram intueri, quae cauſſa eſſet quaerenti Divitiacus reſpondit, hoc eſſe miſeriorem & graviorem fortunam Sequa-* ne-

a. Cic. In Brut.

norum, quod ſoli ne in occulto quidem queri; nec auxilium implorare auderent, abſentiſque Arioviſti crudelitatem velut ſi coram adeſſet horrerent, propterea quod reliquis fugae facultas daretur, Sequanis vero, qui intra fines ſuos Arioviſtum recepiſſent, quorum oppida omnia in poteſtate ejus eſſent, omnes cruciatus eſſent perferendi. Liv. l. 21. c. 1. *Odiis etiam prope majoribus certarunt quam viribus, Romanis indignantibus, quod victoribus victi ultro inferrent arma; Poenis, quod ſuperbe avareque crederent imperitatum victis eſſe.* Virg. 2. Aen. v. 550.

altaria ad ipſa trementem
Traxit, & in multo lapſantem ſanguine nati
Implicuitq; comam laeva, dextraque coruſcum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit enſem.
Haec finis Priami fatorum, hic exitus illum
Sorte tulit, Trojam incenſam, & prolapſa videntem
Pergama, tot quondam populis, terriſque ſuperbum
Regnatorem Aſiae; jacet ingens littore truncus,
Avulſumque humeris caput, & ſine nomine corpus.

Et ibidem v. 403.

Ecce trahebatur paſſis Priameia virgo
Crinibus a templo Caſſandra, adytiſque Minervae
Ad caelum tendens ardentia lumina fruſtra;
Lumina, nam teneras arcebāt vincula palmas.

2. Stilus permotionum omnium quantum ad rationum vim, atque orationis ſanguinem, eſt acrior, ac robuſtior, incitati enim animi graviora excogitant, & majori vi conjiciunt; quare *errant, qui putant obeſſe excitandis mo-*

tibus

tibus non minus quam repraeſentandis uſum ingenioſarum ſententiarum[a], animadverſionum, ſeveriorumq; ornamentorum, *incitati enim animi in ſuis motibus ex animo, atque ex ore expromunt, quidquid ingenii, quidquid artis habent ad augendas, aut quidem certe ad exprimendas affectiones ſuas, ita ut animadverſum ſit etiam in imperitis iram, dolorem, laetitiam*, fiduciam, aemulationem *ſuppeditaſſe quod deerat eloquentiae*[b]; quantum vero ad verborum delectum, & cultum, orationis numerum, molliorumque ornamentorum in ſedatis tantum motibus politior, elaboratior, ingenioſior. Plura dicenda occurrent, cum de ſingulorum motuum oratione; interim ſic ſtatuam: propria ubique dicet qui adverterit quid in quaque affectione natura ipſa dicat; nam *tum demum ars perfecta, & abſoluta eſt, cum naturae ingenium praeſefert, & natura tum felix, & emendata, cum ab arte adjuvatur, nec apparet*[c].

3. Illud autem maxime neceſſe eſt, ut in ſe ante eas permotiones Orator, Hiſtoricus, Poeta inflammet, ad quas velit alios incendere: quod non aegre conſequitur, qui rem ſuam ſe tum agere cogitet, immo ſe eam perſonam efficiat, quam gerit. Praeclare Cicero. *Non umquam apud Judices aut dolorem, aut miſericordiam, aut invidiam, aut odium excitare dicendo volui, quin ipſe in commovendis Judicibus, iis ipſis ſenſibus, ad quos illos adducere vellem, permoverer. Neque enim fieri poteſt, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimeſcat aliquid, ut ad fle-*

a. Urſius Dial. 4. c. 7. b. Id. ibi. c. Longin. de ſubl. c. 21.

fletum, miſericordiamque deducatur, niſi omnes ii motus, quos Orator adhiberi volet Judici, in ipſo Oratore impreſſi eſſe, atque inuſti videbuntur a. Et Horat. l. 2. epiſt. 3. v. 102.

Si vis me flere, dolendum eſt
Primū ipſi tibi, tūc tua me infortunia laedent.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum: juvat, aut impellit ad iram:
Aut ad humum maerore gravi deducit, & angit.

4. Egregie, ut exemplo etiam ſit perſpicuum, audentiſſimi Juvenis perſequendi hoſtis ſpecie per Junonis fraudem bello ſubducti, ac propterea pudoris ſimulque gloriae ſtimulis incenſi motus conceperat, exprimitque in Turno Virg. 10 Aen. v. 666.

Reſpicit ignarus rerum, ingratuſque ſalutis,
Et duplices cum voce manus ad ſidera tendit:
Omnipotens genitor, tanton' me crimine dignum
Duxiſti? & tales voluiſti expendere poenas?
Quo feror? unde abii? quae me fuga, quemve reducet?
Laurenteſne iterum muros, aut caſtra videbo?
Quid manus illa virum, qui me, meaque arma ſecuti?
Quoſque (nefas) omnes infanda in morte reliqui?
Et nunc palantes video, gemitumque cadentum
Accipio, quid agam? aut quae jam ſatis ima dehiſcat
Terra mihi? vos o potius miſereſcite venti:
In rupes, in ſaxa, volens vos Turnos adoro,

Fer-

a. 2. de Orat. c. 45.

Ferte ratem ſaeviſque vadis immittite Syrtis,
Quo neque me Rutuli, neque conſcia fama ſequatur.

Amor: ejus cauſſae; effecta: mores: notae: oratio.

CAP. III.

1. Amor eſt *animi erga aliquem ab ejus virtute inducta propenſio* a, ob quam ei volumus quae bona ſunt, ipſius cauſſa, non noſtra. Haec amoris deſcriptio (ut concepta omnium definitionum verba rei ingenium, & conditionem exponunt, quam definiunt, tria illa tibi complectitur, quae amor flagitat: unum, ut in praeclaros, atque ex eorum virtute amor ſit, in malos enim, atque ex pravitate, quaecumque ea ſit, flagitium eſt, ac *verus amor improbitatem non admittit* b; alterum, ut vere bona ei cupiat, in quem eſt, ſi enim ſpecie tantum bona, re autem mala cupiat, vere odium eſt: tertium, ut non ex ſuo, ſed ex ejus, quem amat, commodo bona ei cupiat: nam *ſi ad fructum noſtrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus, non erit iſta amicitia, ſed mercatura quaedam utilitatum ſuarum* c. Hinc etiam eo acrior eſt amor, quo praeſtantius aliquod diligis: atque adeo *cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares, ſed omnes omnium caritates patria una complexa eſt, pro qua quis dubitet morte oppetere, ſi ei ſit profuturus* d? Tres iſtas

a. Lexicon Cruſcanum. b. Aeſchin. de fal. legat. ex interpr. Wolf. c. Cic de Nat. Deor. c. 4. d. Id. 1. Offic. c. 17.

iſtas amoris conditiones erga filium & ipſum virum complexa eſt Penelope Ulyſſi apud Ovid. 1. Her. v. 40.

Auſus es o nimium! nimiumque oblite tuorum!
At bene cautus eras, & memor ante mei.
Eſt tibi ſitque precor natus, qui mollibus annis
In patrias artes erudiendus erat.
Dii precor ut faciant, ut euntibus ordine fatis;
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

2. Cauſſae, unde amor creatur, plures ſunt: eximia alterius praeſtantia & dignitas, parium actionum, ſtudiorum, ac morum ſimilitudo, nam *ſimile ſimili gaudet* [a], immo *ſimilem ad ſimilem adducit Deus* [b], utilitas, honeſtas, jucunditas, ac denique *omnis virtus ad ſe allicit, facitque ut diligamus, item juſtitia, & liberalitas id maxime efficit* [c]. Ab opum, ſcientiae, & formae amplitudine contendit Virgilius ecl. 2. v. 19.

Deſpectus tibi ſum, nec quis ſim quaeris, Alexi:
Quam dives pecoris nivei, quam lactis abundans.
Mille meae Siculis errant in montibus agnae:
Lac mihi non aeſtate novum, non frigore deſit.
Canto quae ſolitus, ſiquando armenta vocabat
Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.
Nec ſum adeo informis, nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis ſtaret mare: non ego Daphnin

Judi-

a. Proverbio hoc utitur etiam Eccli. 13 v. 19. b Vide ex Homeri Odyſſ. Paul. Manutium in eo adagio.
c. Cic. 1. Offic. c. 17.

Judice te metuam, ſi numquam fallit imago.

3. Cum autem aut inelegans, aut illiberalis, aut immodicus amor eſt, reſtinguitur, abſtrahitur, aboletur ab aliena ſuperbia, ab ipſius incommodi probro, ac pernicie; ut Hor. l. 1 od. 27 v. 19.

Ah miſer,
Quanta laboras in Charybdi,
Digne puer meliore flamma!
Quae ſaga, qui te ſolvere Theſſalis
Magus venenis, quis poterit Deus?
Vix illigatum te triformi
Pegaſus expediet Chimaera.

Et Catullus aliquo tandem optimo uſus conſilio carm. 78. v. 17.

O Dii, ſi veſtrum eſt miſereri, aut ſi quibus umquam
Extrema jam ipſa in morte tuliſtis opem,
Me miſerum aſpicite, & ſi vitam puriter egi,
Eripite hanc peſtem, perniciemque mihi;
Quae mihi ſubrepens imos ut torpor in artus
Expulit ex omni pectore laetitias.

4. Amoris effecta ſane varia, ut ipſe varius eſt: nam *in amore* illiberali *haec omnia inſunt vitia, injuriae, ſuſpiciones, inimicitiae, induciae, bellum, rurſum pax*[a] brevis, at conſtans exagitatio, excaecatae mentis tenebrae, peſtis, inſania, furor, omnium bonorum deſperatio, ut in Damone expreſſit Virg ecl. 8. v. 58

Omnia vel medium fiant mare: vivite ſilvae:
Praeceps aerii ſpecula de montis in undas
Deferar, extremum hoc munus morientis habeto.

Inconſtantiam Catull. ep. 88.

Odi

a. Ter. Eun. act. 1. ſc. 1.

Odi, & amo: quare id faciam fortaſſe requiris?

Neſcio; ſed fieri ſentio, & excrucior.

In honeſto etiam, at vehementi, in amatiſq; perſonis optare quae fieri poſſint, ſimulque quae fieri non poſſint, polliceri, queri, angi, contabeſcere, nec recte inter ſe judicare; itaque *vitia ipſa*, ait Cicero, *ſaepe jucunda ſunt; naevus in articulo pueri delectat Alcaeum; at eſt corporis macula naevus: illi tamen hoc lumen videbatur; Catulus dilexit Roſcium; at erat perverſiſſimis oculis: quid refert, ſi hoc ipſum ſalſum & venuſtum illi videbatur* a?

5. Amantium mores mirifici plane, & varii; nam qui modo laetiſſimi, parati, audentes, improviſo maeſtiſſimi, diffiſi, torpentes; qui nunc ingenioſi, prudentes, callidi, futurorum divini, extemplo imperiti, imprudentes, vecordes, territi: qui nunc placidi, officioſi, humaniſſimi, continuo difficiles, moroſi, queruli, duri: qui omnia in eo quem amant admirantur, & probant, repente eidem irati ſunt, iram tamen ultro poſituri; inde *amantium irae amoris integratio eſt* b, immo *tum amor ſit ira jucundior* c: qui modo ſecuri ad omnia, ſperantes, & impavidi, ſtatim trepidi, ſoliciti, & pericula fingentes, aut certe metu ſuo augentes; denique in omnibus inſtabiles, aut quidem facile ubique mobiles, ut vere dictum ſit, *amare, & ſapere vix homini* conceditur* d. Qui autem ex virtute amant, in eo ſunt conſtantes, maxi-

a 1. de Nat Deor. c. 28. b Ter. Andr. act. 3. ſc. 3. c. Vide Paull. Manut. in eo adagio. * *Deo* habet vetus ſenarius; ita de Diis ſuis ſentientibus Ethnicis. d. Vide eumd. Manut. in iſto adagio.

ximeque magnanimi. Exemplo eorum ſint Cic. lib. 7. ep. 15. *Quam ſint moroſi qui amant, vel ex hoc intelligi poteſt: moleſte ferebam antea te invitum iſtic eſſe, pungit me rurſus, quod ſcribis te eſſe iſtic libenter; neque enim tum mea commendatione te non delectari facile patiebar, & nunc angor quidquam tibi ſine me eſſe jucundum*. Penelope Ulyſſi apud Ovid. 1. Heroid. v. 11.

Quando ego non timui graviora pericula veris!
Res eſt ſoliciti plena timoris amor.
In te fingebam violentos Troas ituros:
Nomine in Hectoreo pallida ſemper eram.
Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum:
Antilochus noſtri cauſſa timoris erat.
Sive Menaetiadem falſis cecidiſſe ſub armis:
Flebam ſucceſſu poſſe carere dolos.
Denique quiſquis erat caſtris jugulatus Achivis.
Frigidius glacie pectus amantis erat.

6. Amoris notae, atque indicia ſunt itidem mirifica, & varia pro affectionis ſuae varietate: nam modo in ore hilaritas, riſus, praegeſtiens laetitia, omniſque bona ſpes, modo pallor, macies, reique, deſperatio: nunc comitas, blanda alloquia, nunc taedia, faſtidia, injuriae, ſed ita conjectae, ut honor & vota affulgeant, ut apud Virg. ecl. 3. v. 64.

Malo me Galathea petit laſciva puella,
Et fugit ad ſalices, & ſe cupit ante videri,

omniumque maxime libenter de eo, quod amat loqui, libentius audire, verba ordiri, exorſa abrumpere, ut Dido 4. Aen. v. 76.

Incipit effari, mediaque in voce reſiſtit.

7. Denique oratio hujus affectionis eſt ingenio.

genioſa, culta, ſplendida, admirabili verborum, ac rerum ornatu, nam *omnium affectionum maxime amantium affectio proprium habet ſecura, & uberrima ingenii pompa, & oſtentatione dicere, ut omnium motuum ingenioſiſſimus amor* a, pulchrarum imaginum, venuſtarum ſententiarum repertor ſolertiſſimus, ac repetitarum rerum amator, *pulchra enim repetere dulce eſt* b. Audi quoties Tironem ſuum ſalvere jubet Cic. lib. 16. ep. 6. *Nihil laboro, niſi ut ſalvus ſis. Sic habeto, mi Tiro; neminem eſſe, qui me amet, quin idem te amet: & cum tua, & mea maxime intereſt te valere, tum multis eſt curae. Adhuc, dum mihi nullo loco deeſſe vis, numquam te confirmare potuiſti. Nunc te nihil impedit. Omnia depone; corpori ſervi; quantam diligentiam in valetudinem tuam contuleris, tanti me fieri a te judicabo. Vale, mi Tiro, vale, vale, & ſalve. Lepta tibi ſalutem dicit, & omnes. Vale.* Amoris, blandiſſimarumque amoris locutionum plena haec Aeneae oratio 2. Aen. v. 281.

O lux Dardaniae, ſpes o fidiſſima Teucrum,
Quae tantae tenuere morae? quibus Hector ab oris
Expectate venis? ut te poſt multa tuorum
Funera, poſt varios hominumque urbiſque labores
Defeſſi aſpicimus? quae cauſa indigna ſerenos
Foedavit vultus? aut cur haec vulnera cerno?

a. Urſius Dial. 6. c. 10. b. Plat. de Amicit. ex interpr. Ficini.

Alii motus, qui in amorem referuntur.

CAP. IV.

1. Amicitia *eſt mutuus amor ex animorum, conſiliorumque conſenſione, & longa conſuetudine profectus* a. Ex vitae igitur, dignitatis, fortunae, & ſtudiorum ſimilitudine orta amicitia, nam *pares cum paribus vetere proverbio facillime congregantur* b, morum ſanctitate alitur, augetur, & perſeverat: praeclareque a Tullio dictum, *niſi in bonis amicitiam eſſe non poſſe* c. Amici autem *idem velle, idemque nolle* d, omnia communia habent, immo *amicus tamquam alter idem* e, ac certe omnia alter pro altero ſuſcipit, nec quidquam niſi honeſtum, niſi rectum alter ab altero petit, nec quidquam quod alterum laedat alter audet, quare qui olim vere amicus ſemper amicus eſt: atque adeo *bonorum amicitias neque omne aevum deleverit* f. Sane plura verae amicitiae complexus eſt Hor. l. 2. od. 17.

Cur me querelis exanimas tuis?
Nec Diis amicum eſt, nec mihi, te prius
Obire, Maecenas, mearum
Grande decus, columenque rerum.
Ah te meae ſi partem animae rapit
Maturior vis, quid moror altera,
Nec carus aeque, nec ſuperſtes
Integer? ille dies utramque

Du-

a. Lexic. Cruſcan. b. Cic. de Senect. c. 3. c. De Amicit. c. 5. d. Sall. Con. Catil. c. 20. e. Cic. de Amic. c. 6. f. Iſocrates ad Demonicum.

Ducet ruinam : non ego perfidum
Dixi ſacramentum; ibimus, ibimus,
Utcumque praecedes, ſupremum
Carpere iter comites parati.

2. Admiratio eſt in alienae virtutis amplitudine veluti defixio cum benevolentia conjuncta. Ergo ex alienae pulchritudinis, copiae, ſapientiae, ſanctitatis, animi praeſentiae magnae, inuſitatae, novae, aut certe cumulate tum cognitae excellentia excitatur. Admirantes ſunt rei magnitudine attoniti, ſtupentes, in eo, quod mirantur, toti occupati, dum huc atque illuc avolant, ad ejus ſemper laudem recurrentes, & majorem etiam reputantes. Notae autem ſunt frontem contrahere, ore ac vultu haerere, exclamare, mirifice efferre. Cic. pro Leg. Man. c. 5. de Pompejo. *Vident & ſentiunt ſocii veſtri unum virum eſſe, in quo ſumma ſint omnia. Hunc audierant antea, nunc praeſentem vident tanta temperantia, tanta manſuetudine, tanta humanitate, ut beatiſſimi eſſe videantur, apud quos ille diutiſſime commoratur.* Dido 4. Aen. v. 10.

Quis novus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes?
Quem ſeſe ore ferens? quam forti pectore, & armis?
Credo equidem, nec vana fides, genus eſſe Deorum:
Degeneres animos timor arguit; heu quibus ille
Jactatus terris? quae bella exhauſta canebat?

3. Gratia eſt alienae benevolentiae diligens conciliatio: quare ut favor bona alteri, ita gratia ſibi amat. Alienae autem poteſtatis, ſapientiae, ſanctimoniae, clementiae, omnis-

que virtutis commendatione maxime conciliatur. Itaque honoris uſurpant, atque afferunt ſaepius, quam hominum nomina qui alterius gratiam captant, quod fere in omni rerum exordio. Cic. pro Mil. c. 2. *Adeſte animis, Judices: nam ſi umquam de bonis ac fortibus viris, ſi umquam de bene meritis Civibus poteſtas vobis judicandi fuit, hoc profecto tempore eam poteſtatem omnem habetis, ut ſtatuatis, utrum nos, qui ſemper veſtrae auctoritati dediti fuimus, ſemper miſeri lugeamus, an diu vexati a perditiſſimis Civibus aliquando per vos, ac veſtram virtutem, ſapientiamque recreemur.* Ilioneus Didoni 1. Aeneid. v. 529.

O Regina, novam cui condere Jupiter urbem,
Juſtitiaque dedit gentes frenare ſuperbas;
Troes te miſeri, ventis maria omnia vecti,
Oramus, prohibe infandos a navibus ignes:
Parce pio generi, & propius res aſpice noſtras.

4. Ingenuitas eſt aperta, & vera mentis ſuae, omniumque conſiliorum ſignificatio. Ex integritate, rectaque conſcientia, bona aliorum opinione, laudum, approbationis, praemiorum ſpe erumpit. Ingenui nulla re trepidi ſunt, tranquilli, ſecuri, nullius rei ſimulatores: eorumque oratio a verbis rebuſque aperta. Lepide ille apud Ter Eun. act. 1. ſc 2. *Poſſum tacere? optime. Quae vera audivi taceo, & contineo optime. Sin falſum, aut vanum, aut fictum eſt, continuo palam eſt. Plenus rimarum ſum, hac atque illac perfluo. Proin tu, taceri ſi vis, vera dicito.* Cic. pro Arch. c. 11. *Ut id libentius faciatis, jam me vobis, Judices, indicabo, & de*

meo

meo quodam amore gloriae nimis acri fortaſſe, verumtamen honeſto vobis confitebor; nam quas res nos in conſulatu pro univerſa Rep. geſſimus, attigit hic verſibus atque inchoavit; quibus auditis hunc ad perficiendum hortatus ſum: nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque deſiderat praeter hanc laudis, & gloriae, qua quidem detracta quid eſt quod in hoc tam exiguo vitae curriculo & tam brevi tantis nos in laboribus exerceamus?

Odium: ejus cauſſae: mores: notae: oratio.

CAP. V.

1. ODium eſt ab homine, aut re abhorrens animus, eorumque improbitati mala cupiens. Quoniam vero odium animo premitur, atque alitur ſaepius, quam palam proditur, ut ira, atque adeo diu manet, & ab re confirmatur, ideo dicitur *inveterata ira* a. Nec ſemper eſt malum, eſt enim etiam honeſtum & *hoc civile odium, quo omnes improbos odimus* b. Odii plane inſignia haec Cic. in Piſ. c. 19. de eo & Gabinio. *Neque vero ego, ſi umquam vobis mala precarer, morbos, aut mortem, aut cruciatum precarer: fortunae iſta tela ſunt, non culpae; ſupplicium autem eſt poena peccati. Quae eſt igitur poena? quod ſupplicium? quae cruces? His ego rebus paſcor, his delector, his perfruor, quod de vobis hic Ordo opinatur non ſecus ac de teterrimis hoſtibus, quod vos Equites Romani, quod*

a Cic. 3. Tuſc. c. 9. b. Id. pro Mil. c. 13.

quod cuncta civitas odit, quod nemo bonus, nemo Civis eſt, qui modo ſe Civem eſſe meminerit, qui vos non oculis fugiat, auribus reſpuat, animo aſpernetur, recordatione denique ipſa conſulatus veſtri perhorreſcat: haec ego ſemper de vobis expetivi, haec optavi, haec precatus ſum.

2. Itaque oritur atque inflammatur odium ex aliena arrogantia, ex illatis injuriis, ex importata pernicie, ex nocendi animo, ex pervicacia in errore, ac maleficio: ac propterea *in odium rapiemus, ſi quod* malorum *ſuperbe, perfidioſe, crudeliter, confidenter, malitioſe, flagitioſe factum proferemus* [a]. Odii plena, ex iiſque cauſſis haec Bruti Tarquinios urbe eiicientis Liv. l. 1. c. 59. *Habita oratio de vi Sex. Tarquinii, de Lucretiae miſerabili caede; addita ſuperbia ipſius Regis, miſeriaeque & labores plebis in foſſas eloacaſque exhauriendas demerſae; Romanos homines victores omnium circa populorum opifices, ac lapicidas pro bellatoribus factos, indigna Servii Tullii Regis memorata caedes: & invecta corpori patris nefando vehiculo filia, invocatique ultores Parentum Dii.*

3. Reſtinguitur vero odium ultro conceptum, aut inique inflammatum, ea non ineſſe quae jactata, & credita ſunt, jurgia, tumultus, ruinas ob oculos ponendo, patriae, hominis cum homine caritatem, divini Numinis voluntatem, poſitae ſimultatis, & diſſimulatae contumeliae gloriam commemorando, injuriae poenam deprecando, aliis meritis condonari rogando, ut humanae memor conditionis *oderis ut amaturus* [b]. Praeclare plebis in Patres odia

a. Auct. ad Her. l. 1. c. 5. b. Vide Manut. in hoc prov.

odia ſedant Valerius & Horatius Legati apud Livium l. 3. c. 53. *Irae veſtrae magis ignoſcendum, quam indulgendum eſt, quippe qui crudelitatis odio in crudelitatem ruitis, & prius paene quam ipſi liberi ſitis, dominari jam in adverſarios vultis. Numquamne quieſcet Civitas noſtra a ſuppliciis aut Patrum in plebem, aut plebis in Patres? Scuto magis vobis, quam gladio opus eſt. Satis ſuperque humilis eſt qui jure aequo in Civitate vivit, nec inferendo injuriam, nec patiendo. Etiam ſiquando metuendos vos praebituri eſtis, cum recuperatis magiſtratibus judicia penes vos erunt, de capite noſtro fortuniſque, tunc ut quaeque cauſſa erit, ſtatuetis, nunc libertatem repeti ſatis eſt.*

4. Odio flagrantis indoles eſt obſcura ſaepe, latens, ac diſſimulans, in abominando autem, vexandoque inimico ſane conſtans, ac nocendi tempora expectans; inviſi hominis vultum intueri, ac nomina audire non ferens; facta vel praeclara atterere, peccata vel levia amplificare ſolita, minimum purgare, aut laudare, ut alter vere labefaciat, damnet, premat. Qui honeſte oderit ita improbitatem odit, ut ea ſublata homini amicus ſtatim ſit futurus. Prioris illius moris effigiem Juno Veneri exhibet 10. Aen. v. 63.

Quid me alta ſilentia cogis
Rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem?
Aenean hominum quiſquam, Divumq; ſubegit
Bella ſequi, aut hoſtem Regi ſe inferre Latino?
Italiam petiit fatis auctoribus; eſto
Caſſandrae impulſus furiis. Num linquere caſtra
Hortati ſumus, aut vitam committere ventis?

Quis Deus in fraudem, quae dura potentia noſtra
Egit? ubi hic Juno, demiſſave nubibus Iris?
Tu potes Aeneam manibus ſubducere Grajum
Proque viro nebulam, & ventos obtendere inanes,
Et potes in totidem claſſem convertere Nymphas:
Nos aliquid Rutulos contra juviſſe nefandum?
Aeneas ignarus abeſt: ignarus & abſit.
Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter?
Tunc decuit metuiſſe tuis: nunc ſera querelis
Haud juſtis aſſurgis, & irrita jurgia jactas.

5. Plura ſunt odii ſigna: nam ex eo *flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, exaeſtuante ab imis praecordiis ſanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, gemitus mugitusque, ſermo praeruptus, compreſſae ſaepius manus, totum concitum corpus, foeda viſu & horrenda facies* [a], quae iſtorum facta, aut orationem ingredienti accommodate attinguntur.

6. Oratio denique eſt vehementiſſima, omni rerum, ac verborum aſperitate, & contumeliis plena, propria nomina fugiens, vulgaria, & contumelioſa ingerit. Locupletiſſimus teſtis Virg. 11. Aen v. 376.

Talibus exarſit dictis violentia Turni:
Dat gemitum, rumpitque hanc imo pectore vocem.
Larga quidem ſemper, Drance, tibi copia fandi
Tunc cum bella manus poſcunt, Patribuſque vocatis

Pri-

a. Sen. de Ira l. 1. c. 1.

Primus ades, ſed non replenda eſt Curia verbis.
Imus in adverſos? quid ceſſas? an tibi Mavors
Ventoſa in lingua, pedibuſque fugacibus iſtis
Semper erit?
Pulſus ego? aut quiſquam merito foediſſime pulſum
Arguet, Iliaco tumidum qui creſcere Tibrim
Sanguine, & Evandri totam cum ſtirpe videbit
Procubuiſſe domum, atque exutos Arcadas armis?
Nulla ſalus bello? capiti cane talia demens
Dardanio, rebuſque tuis: proinde omnia magno
Ne ceſſa turbare metu, atque extollere vires
Gentis bis victae; contra premere arma Latini.
Non erit auxilio nobis Aetolus, & Arpi:*
At Meſſapus erit.

Motus ex odio profecti.

CAP. VI.

1. INimicitia eſt a certis hominibus abhorrens, atque iis nocere cupiens animus; ſive ex ejus praecipuo effectu, *inimicitia eſt ira ulciſcendi tempus expectans* [a]. Eadem prope omnia ei conveniunt quae odio, tamquam parentis propria in ſobolem derivata. Ex inimicitia, ne Annibal Imperator crearetur

*Diomedes Arporum in Aetolia Rex Virg., Hor., Hom. ſtrenuiſſimus deſcriptus, a. Cic. 4. Tuſc. c. 9.

retur contendit Anno Annibali averſae fa-ctionis princeps apud Liv. l. 21. c. 3. *An hoc timemus, ne Amilcaris filius nimis ſero imperia immodica, & regni paterni ſpeciem videat? & cujus Regis genero hereditarii ſint relicti exercitus noſtri, ejus filio parum mature ſerviamus? ego iſtum juvenem domi tenendum ſub legibus, ſub magiſtratibus docendum vivere aequo jure cum Civibus cenſeo: ne quandoque parvus hic ignis incendium ingens exſuſcitet* *.

2. Malevolentia, ſeu malignitas, eſt *ad alteri nocendum natura promtus animus etiam ſine ſui emolumento* [a]. Itaque ex ingenio improbo, ex aliorumque bonis, maliſque facultatem arripiens omnia inimice aperit, inique criminatur, foede molitur, ut opprimat, aut atterat. Non aliuſmodi haec Catilinae oratio apud Sall. Con. Cat. c. 21. *Quis mortalium, cui virile ingenium eſt, tolerare poteſt, illis divitias ſuperare, quas profundant in exſtruendo mari, & montibus coaequandis, nobis rem familiarem etiam ad neceſsaria deeſse? illos binas, aut amplius domos continuare, nobis larem familiarem nuſquam ullum eſse? ſigna, toreumata emunt, vetera negligunt, nova diruunt, alia aedificant, omnibus modis pecuniam trahunt, vexant; nobis eſt domi inopia, foris aes alienum, mala res, ſpes multo aſperior, denique quid reliqui habemus praeter miſeram animam? Quin igitur expergiſcimini? En illa, quam ſaepe optaſtis, libertas, divitiae, decus, gloria in oculis ſita ſunt.*

3. Contemtus eſt alienae vilitatis impatiens irri-

* *Exſuſcito, exſupero*, ſimilia ſcribenda monet Manut. in Orthogr. ut integrum retineatur compoſitum.
a. Lexic. Cruſc.

irriſio. Itaque a generis, vitae, factorumque ſtudiis excitatur, non a ſcelere, ex eo enim eſt odium, aut ira. Contemnentes nec vultu, nec alloquio deſpectos homines dignantur, ſuperbe, imperioſe, regie abire, agere, pati jubent, majora viribus de ſe jactant, aliena inique omnia interpretantur. Quare, cum ultro, aut ex ſuperbia alii contemnant, ex meritorum magnitudine, ex mutua hominum cum hominibus caritate tuenda, & divini Numinis ultione impendente emendandi ſunt. Prioris generis hoc Cic. in Piſ. c. 9. *Ego iſtius pecudis, ac putidae canis conſilio, aut praeſidio niti volebam. Conſulem ego tum requirebam, Conſulem, inquam, non illum quidem, quem in hoc animali invenire non poſſem, qui tantam Reipub. cauſam gravitate & conſilio tueretur, ſed qui tamquam truncus atque ſtipes, ſi ſtetiſset modo, poſset ſuſtinere tamen titulum conſulatus.* Et ibid. c. 1. *Non enim nos color iſte ſervilis, non piloſae genae, non dentes putridi deceperunt. Pauci tua iſta lutulenta vitia noramus, pauci tarditatem ingenii, ſtuporem debilitatemque linguae: numquam erat audita vox in foro, numquam periculum factum conſilii. Obrepſiſti ad honores errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum, quarum ſimile habes nihil praeter colorem. Is mihi etiam gloriabitur omnes magiſtratus ſine repulſa eſſe aſſecutum?* Alterius hoc Trojanorum 1. Aen. v. 546.

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma,
At ſperate Deos memores fandi, atque nefandi.

4. Invidia eſt ex aliena felicitate aegritudo & dolor, *invidetur enim praeſtanti florentique*

tique fortunae [a], opibus, honoribus, laudi, fauſtitati, praeſertim *ſi intolerantius ſe jactent* [b], aut ſuperbius commodis, quae *non ſint virtute parta* [c]. Invidi ſuis juxtaque alienis commodis contabeſcunt, dum aliena improbo animo intuentur, & majora ſaepe quam ſint, ſua vero minora putant. Hinc pallor, macies, livor in vultu; in animo: quare, quoniam *acerrimus eſt longe omnium invidiae motus, non minus virium opus eſt in ſedanda invidia* [d]: tum ergo oſtendendum eſt *magno illa labore, magnis periculis eſſe parta, nec ad ſuum commodum, ſed ad aliorum eſſe collata* [e], & ne ſe conficiat, nam *ſicut rubigo ferrum, ita invidia invidos conſumit* [f]. Torquetur invidia maxime alienas laudes audiendo, & praemia intuendo. Mart. l. 6. epig. 61.

Laudat, amat, cantat noſtros mea Roma libellos:
Meque ſinus omnis, me manus omnis habet.
Ecce rubet quidam, pallet, ſtupet, oſcitat, odit.
Hoc volo: nunc nobis carmina noſtra placent.

5. Severitas eſt graviſſima omnis improbe facti aut impediendi, aut plectendi voluntas. Ex bene inſtituto naturae habitu creatam communium legum tuendarum, tranquillitatis ſervandae amor accendit. Severi facta, non homines intuentur, praemia aut poenas ibi illaturi, ubi virtutem reperiant. Hoc triſti & ſevero ingenio Torquatus victori, ſpoliiſque hoſtilibus onuſto filio, ac dicenti apud Liv. l. 8. c. 7. *Ut me omnes, Pater, tuo ſanguine ortum vere ferrent, provocatus equeſtria haec ſpolia capta ex hoſte caeſo porto; quandoquidem,*

a. Cic. 2. de Orat. c. 52. b. Id. ibi. c. Id. ibi. d. Id. ibi. e. Id. ibi. f. Laert. l. 6. in Antiſth.

dem, inquit, *tu Tite Manli neque imperium conſulare, neque majeſtatem patriam veritus adverſus edictum noſtrum extra ordinem in hoſtem pugnaſti, & quantum in te fuit diſciplinam militarem ſolviſti, meque in eam neceſſitatem adduxiſti, ut aut Reip. mihi, aut mei, meorumque obliviſcendum ſit, nos potius noſtro delicto plectemur, quam Reſp. tanto ſuo damno noſtra peccata luat. triſte exemplum, ſed in poſterum ſalubre juventuti erimus. I lictor, deliga ad palum. Exanimati omnes metu magis quam modeſtia quievere.*

6 Crudelitas, ſive immanitas *eſt effera vis animi nimium errata plectens, nimiumque injurias ulciſcens* [a]. Numquam alenda. licet enim plectenda flagitia ſint, ne ceteris in maleficia irrumpant, tamen *eſt ulciſcendi & puniendi modus* [b]. Itaque ab humanitatis ſenſu, ab hominum natura, a divini Numinis metu ſedanda eſt, aut certe caſtiganda. Non mediocri hac immanitate Tullus Romanorum Rex in perfidiam Dictatoris Albanorum apud Liv. l. 1 c. 28. *Meti Fuffeti, inquit, ſi ipſe diſcere poſſes fidem, ac foedera ſervare, vivo tibi ea diſciplina a me adhibita eſſet; nunc quoniam tuum inſanabile ingenium eſt, tu tuo ſupplicio doce humanum genus ea ſancta credere, quae a te violata ſunt. Ut igitur paullo ante animum inter Fidenatem Romanamque rem ancipitem geſſiſti, ita jam corpus paſſim diſtrahendum dabis. Exinde duabus admotis quadrigis, in currus earum diſtentum illigat Metium: deinde in diverſum iter equi concitati lacerum in utroque curru corpus, qua inhaeſerant vinculis, membra portantes, avertere omnes a tanta foeditate ſpectaculi oculos.*

Deſi-

a. Lexic. Cruſc. b. Cic. 1. Offic. c. 11.

Deſiderium: ejus cauſſae: indoles: notae: oratio.

CAP. VII.

1. DEſiderium eſt motus in bonum procul poſitum, diu optatum, & quaeſitum, cujus comparandi aliqua ſpes affulgeat. Praeclarum hoc Regii Vatis Pſal. 54. v. 6. ſempiternarum rerum contemplationem cupientis. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbae, & volabo, & requieſcam?*

2. Deſiderium inflammant boni amplitudo, idonea ad illud facultas, honeſtas, utilitas, facilitas, atque etiam ipſa difficultas acri vi ſuperanda, pulchritudo, decus, gloria, ſanctimonia, ac denique ipſa boni privatio, & indigentia. Virg. ecl. 4. v. 52.

Aſpice venturo laetentur ut omnia ſaeclo.
O mihi tam longae maneat pars ultima vitae,
Spiritus & quantum ſat erit tua dicere facta.
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus, huic Mater quamvis, atque huic Pater adſit.

3. Si reſtinguendum ſit deſiderium, aut non bona ea ineſſe, quae alter opinetur, aut fieri non poſſe oſtende, ut ea conſequatur, quae in votis habet. Hor. Carm. l. 1. od. 14. Rempublicam, ſeu Brutum, & Caſſium civile bellum reparare cupientem deterrens.

O *navis referent in mare te novi*
Fluctus: o quid agis? fortiter occupa
Portum: non ne vides, ut
Nudum remigio latus, Et

Et malus celeri ſaucius Africo,
Antemnaeque gemant? ac ſine funibus
Vix durare carinae
Poſſint imperioſius
Aequor? non tibi ſunt integra lintea,
Non Dii quos iterum preſſa voces malo.
Quamvis Pontica pinus,
Sylva filia nobilis,
Jactes & genus, & nomen inutile.
Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit: tu, niſi ventis
Debes ludibrium, cave

4. Deſiderantis mores ſunt, ut omnia cupiat, omnia ſibi polliceatur, nec ſatis pericula, & difficultates, aut ſuas vires advertat, cupientes enim admodum in proſpiciendo, intuendoque accurati non ſunt, ſed in votis audaciores, abunde meritorum, & virium ſibi ineſſe, aliorumque beneficentiam rati affuturam. Plato

Stella meus ſtellas dum ſuſpicis, ipſe utinam ſim
Caelum, oculis ut te pluribus aſpiciam.

5. Deſiderii ſigna, & notae, unde ſe prodit, ſunt irrequietus animus, & impatiens, vigiliae, vota, ſuſpiria, audacia, faſtidia, & in bonum mente & cogitatione comprehenſum immota ſpes & tanquam affixa. Oratio autem alacris, & culta, pollicitationum, repetitionum, exclamationum, vehementiſſimarumque omnium rerum pleniſſima. Virg. 3. Aen v. 521.

Jamque rubeſcebat ſtellis aurora fugatis,
Cum procul obſcuros colles, humilemque videmus
Italiam, Italiam primus conclamat Achates,
Italiam laeto ſocii clamore ſalutant.

Mo-

Motus ad deſiderium pertinentes.

CAP. VIII.

1. Adulatio eſt *verbis*, *aut factis contra veritatem homini oblata laus*, *& gratificatio* [a], ſeu *turpis vitae quotidianae conſuetudo*, *quae adulatori conducat* [b]. Ex animi improbitate, levitate, iniqua conſequendarum utilitatum cupiditate, atque ex inani improbis diſplicendi timiditate orta tollitur ex ipſis adulationis incommodis, nam *adulator bellua peſſima*, *& calamitas maxima eſt* [c]: hinc praeclare dictum, *odio habe adulantes aeque atque decipientes*, *utrique enim crediti credentem laedunt* [d] Adulator aequa iniqua commendat, vera tegit, falſa adhibet, cum aliquo inambulans *viden*, *ait*, *ut omnes in te oculos convertunt*? *ex veſtimentis floſculos eximit*, *in os laudat*, *dicenti plaudit*, *& ubi finem dicendi fecerit dictum bene! acclamat* [e]. Vere adulator ille apud Ter. Eun. act. 2. ſc. 2. *Eſt*, inquit, *genus hominum*, *qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt*, *Nec ſunt*: *hos conſector*; *hiſce ego non paro me ut rideant*, *Sed his ultro arrideo*, *& eorum ingenia admiror*, *ſimul Quidquid dicunt laudo*; *id rurſum*, *ſi negant*, *laudo id quoque*. *Negat quis*, *nego*; *ait*, *ajo*: *poſtremo imperavi egomet mihi Omnia aſſentari*; *is quaeſtus nunc eſt multo uberrimus*. 2 Ac-

a. Lexic Cruſc. b Theophr. Morum, quem librum alii inſcripſerunt *Characteres*, cap 3 ex interpr. Caſaub. c. Plat. de Regno ex interpr. Ficini. d. Iſocr. ad Demon. ex interpr. Agric. e. Theophr. ibi.

2. Aemulatio eſt alienae virtutis conſequendae acris contentio. Igitur eam virtutis amplitudo, laudes, honeſtas, praemia excitant, ac reſtinguunt ea ipſa aut deſiderata, aut temere expetita. Aemulator autem magnanimus eſt, animo fidens, nihil intentatum omittens, impatiens dum illam, aut parem gloriam adipiſcatur. Virg. 9. Aen. v. 197.

Obſtupuit magno laudum perculſus amore
Euryalus, ſimul his ardentem affatur amicum:
Mene igitur ſocium ſummis adjungere rebus
Niſe fugis? ſolum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor bellis aſſuetus Opheltes
Argolicum terrorem inter, Trojaeque labores
Sublatum erudiit: nec tecum talia geſſi
Magnanimum Æneam, & fata extrema ſecutus.
Eſt hic, eſt animus lucis contemtor, & iſtum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.

3. Arrogantia *, non hic temeritatem accipio, *eſt cum quis ea ſuſcipit*, aut ea expetit, *quae facultatem ejus ſuperant* a: quare etſi virtutis aliquo ſtudio incenſi, ne majora viribus ac factis ſuis velint, nec ſibi polliceantur, arrogantes admonendi & caſtigandi ſunt. Pulchre Cic. Divin. in Verr. c. 8. *Tu vero, Caecili, quid potes? quo tempore, aut qua in re non modo ſpecimen ceteris aliquod dediſti; ſed tute tui periculum feciſti? In mentem tibi non venit, quid negotii ſit cauſſam publicam ſuſtinere? vitam alterius totam explicare? atque eam non modo in animo Judicum, ſed etiam in oculis, conſpectuque omnium exponere? Sociorum ſalutem, commoda provinciarum, vim legum, gravitatem judiciorum defendere?*

 4. Ze-

* Praeſumtio minus latine aliis dicta. a. Lexic. Cruſc.

4. Zelotypia eſt *aegritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ille concupierit* a. Ex bono illa aut honeſto & nobili, aut illiberali habet nomen, indolem, vim. Ubique trepidi, ſuſpicioſi, mira ſane, & incredibilia excogitantes, ac ſe ipſos torquentes qui hoc motu aguntur, quod vultus, oculorum, corporis jactatione, lacrimis, pallore produnt. Virg. 5. Aen. v. 157.

Una ambae, junctiſque feruntur
Frontibus, & longae ſulcant vada ſalſa carinae.
Jamque propinquabant ſcopulo, metamque tenebant,
Cum princeps medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem navis compellat voce Menoetem.
Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige curſum;
Littus ama, & laevas ſtringat ſine palmula cautes:
Altum alii teneant. Dixit: ſed caeca Menoetes
Saxa timens proram pelagi detorquet ad undas.
Quo diverſus abis? iterum, pete ſaxa Menoete,
Cum clamore Gyas revocabat, & ecce Cloanthum
Perſpicit inſtantem tergo, & propiora tenentem.
Ille inter navemque Gyae, ſcopuloſque ſonantes
Radit iter laevum interior, ſubituſque priorem

Prae-

a Cic. 4. Tuſc. c. 8.

Praeterit, & metis tenet aequora tuta relictis.
Tum vero exarſit juveni dolor oſſibus ingens,
Nec lacrimis caruere genae.

3. Ambitio *eſt immodica honorum, atque in ceteros auctoritatis cupiditas* a. Eam cupiditatem propriae facultates altius reputatae intus inflammant, foris vero laus, honor, & paria ad praeclare agendum adducunt: quare *licet ipſa vitium ſit ambitio, frequenter tamen cauſſa virtutum eſt* b. Ambitioſi homines blande alloquuntur, prehenſant, ſalutant eos, a quibus evehi poſſunt, ceteros deſpiciunt. Sedatur vero ea non ineſſe, aut minora eſſe quam creduntur, oſtendendo. Sall. Bel. Jug. c. 68. *Marium conſulatus ingens cupido agitabat. Metellus mirari ejus conſilium; per amicitiam monere, ne tam prava inciperet, neu ſuper fortunam animum gereret: non omnia omnibus cupienda eſſe: illi res ſuas ſatis placere debere: poſtremo caveret id petere a Pop. Rom. quod illi jure negaretur.*

4 Superbia eſt propriae magnae excellentiae immodica aeſtimatio. Superbi ſe magnifice circumſpiciunt, glorioſe jactant, nec raro modeſte de ſe dicunt, aut praeclare ſua atterunt; ut ceteri eos vere in caelum laudibus ferant. Sed *Sequitur ſuperbos ultor a tergo Deus* c. In ſpecimen haec habe. Caeſ. Bel. Gal. l. 1. c. 36. *Arioviſtus reſpondit, jus eſſe belli, ut qui viciſſent, iis, quos viciſſent, quemadmodum vellent, imperarent; Pop. Rom. non ad alterius praeſcriptum, ſed ad ſuum arbitrium imperare conſueſſe; ſi ipſe Pop. Rom. non praeſcriberet, quemadmodum ſuo jure uteretur*

a. Lexic. Cruſc. b. Quinctil. Inſtit. Orat. l. 1. c. 3. c. Sen. Herc. Fur. act. 2. ſc. 3. v. 50.

tur, non oportere ſe in ſuo jure impediri; Aedui ſi in eo non manerent, quod conveniſſent, longe iis fraternum nomen Pop. Rom. abfuturum; quod ſibi Caeſar denunciaret ſe Aeduorum injurias non neglecturum, neminem ſecum ſine ſua pernicie contendiſſe; cum vellet, congrederetur. Id ejuſd. Bel. Gal. l. 7. c. 29. *Vercingetorix cohortatus eſt ſuos, ne ſe admodum animo demitterent, neve perturbarentur incommodo; non virtute, neque acie viciſſe Romanos, ſed artificio quodam, & ſcientia oppugnationis; id tamen incommodum ſe celeriter majoribus commodis ſanaturum, ſuaque diligentia unum conſilium totius Galliae effecturum, cujus conſenſu ne orbis quidem terrarum poſſit obſiſtere*.

5. Avaritia eſt immoderatus habendi amor, & ſordidus rerum uſus, quas habent. Igitur animi infirmitas, & improbitas ejus cauſſa eſt, omne autem facinus ex ea proficiſcitur: *nullum*, enim *officium tam ſanctum eſt, quod non avaritia violare ſoleat* [a]. Ex his ergo admonetur, niſi tollitur, & ex temperantiae ac liberalitatis laude. Praeclare ab ea revocat Tibull. l. 1. eleg. 1.

Divitias alius fulvo ſibi congerat auro,
Et teneat culti jugera magna ſoli.
Quem labor aſſiduus vicino terreat hoſte;
Martia cui ſomnos claſſica pulſa fugent.
Me mea paupertas vitae traducat inerti,
Dum meus aſſiduo luceat igne focus.
Non ego divitias patrum, fructuſque requiro,
Quos tulit antiquo condita meſſis avo.
Parva ſeges ſatis eſt.

Ho-

a. Cic. pro Quinct. c. 6.

Horror: horroris cauſſae: indoles: ſigna: oratio.

CAP. IX.

1. HOrror eſt a grandi, imminenti, & magnopere execrato malo averſio, ut nullo umquam pacto admiſſum iri appareat. Megara apud Sen. Herc. Fur. act. 2. ſc. 3. v. 36.

Egone ut Parentis ſanguine aſperſam manum,
Fratrumque gemina caede contingam? prius
Exſtinguet ortus, referet occaſus diem:
Pax ante fida nivibus, & flammis erit.

2. Oritur itaque ex ingenti, & pernicioſo malo, quod immineat, aut certe poſſet nos petere, ex magna turpitudine; ex bonorum jactura, ex ſervitutis, aut interitus periculo. Ex iis vero abhorrentes homines parati ſunt omni contentione ea propulſare, delere, aut quidem fugere, & mori citius, quam admittere, aut pati. Inſignia haec Scipionis poſt Cannenſem cladem, ne aut pax, aut conditiones cum Annibale inirentur, averſantis apud Liv. l. 22. c. 53. *Conſultantibus de ſumma rerum nunciat P. Furius perditam eos ſpem fovere: deſperatam comploratamque rem eſſe publicam: nobiles quoſdam juvenes mare ac naves ſpectare, ut deſerta Italia ad Regum aliquem transfugiant: quod malum tam atrox Scipio averſatus juvenis fatalis Dux bujuſce belli ſtricto ſuper conſultantium capita gladio, ex mei animi ſententia, inquit, juro: Remp. non deſeram, neque alium Civem Romanum deſerere patiar: ſi ſciens fallo, tum me Jupi-*

ter Opt. Max. domum, familiam, remque meam peſſimo letho afficias. In haec verba juretis expoſtulo, qui adeſtis: qui non juraverit, in ſe hunc gladium ſtrictum eſſe ſciat.

3. Haec abominantis animi ſigna praeſeferunt humi defixus vultus, ſi adſit, quem horreant, ardens alioquin & inflammatus, reſpuentes aures. Oratio denique vehementiſſima, & imprecationum plena, ut praeter allata exempla praeclare Dido 4. Aen. v. 23.

Agnoſco veteris veſtigia flammae:
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat,
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam,
Ante pudor quam te violem, aut tua jura reſolvam.

Alii motus, qui ad horrorem pertinent.

CAP. X.

1. Conſtantia eſt certa, & inſuperabilis in recte factis voluntas; ſive *in ratione bene conſiderata ſtabilis, & perpetua permanſio* a. Recta factorum conſcientia, bonorum conſenſio, laus, & praemia eam alunt, & tuentur. Hinc conſtantes viri inter adverſos ſecundoſque fortunae caſus idem ſentiunt, idem agunt, eodemque etiam ubique vultu, eodem ſenſu conſtantiam ſuam praeſeferunt. Aliquam ejus rei effigiem habet Cic. 2. Verr. c. 17. *Primum ab Diis immortalibus, quod ſperare debere mihi videor, hoc, Judices, peto,*

a. Cic. 2. Invent. Rhet. cap. 54.

to, ut in hoc judicio nemo improbus praeter eum, qui jam pridem inventus eſt, reperiatur; deinde, ſi plures improbi fuerint, hoc vobis, hoc Pop. Rom., Judices, confirmo: vitam mehercule prius, quam vim perſeverantiamque ad illorum improbitatem perſequendam defuturam.

2. Patientia *eſt honeſtatis, aut utilitatis cauſſa rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, ac diuturna perpeſſio* a. Ethnicorum patientia ſpe laudum, integritate ipſa, & calamitatum facilius hac ratione tolerandarum conſilio, nam ſaepe *Durum, ſed levius fit patientia Quidquid corrigere eſt nefas* b, reficiebatur. Chriſtiani autem hominis praeterea ſempiternorum praemiorum magnitudine, & ipſius divini Numinis voluntate, & exemplo. Ita ſuos Aeneas hortatur 1. Aen. v. 202.

O ſocii, neque enim ignari ſumus ante malorum,
O paſſi graviora; dabit Deus his quoque finem.
Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum
Tendimus in Latium, ſedes ubi fata quietas
Oſtendunt; illic fas regna reſurgere Trojae.
Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.

3. Pervicacia eſt in errore ſatis perſpecto, aut in admiſſo ſcelere, & ſatis exprobrato obſtinata permanſio. Superbia, & immodica ſui aeſtimatio, qua non erraſſe ſe quis putet, aut videri erraſse nolit, eam gignit; tollit vero, aut quidem caſtigat veritas, & pietas, quae deſertae ac laeſae excipi volunt, ac laus, quae errata corrigentem ſequitur. Belle Catull. epigr. 8.

Miſer Catulle deſinas ineptire,
Et, quod vides periiſſe, perditum ducas;

a. Cic. Inv. Rhet. c. 54. b. Hor. l. 1. od. 24. v. 19.

Nec quae fugit ſectare, nec miſer vive;
Sed obſtinata mente perfer, obdura.
Valeto vita: jam Catullus obdurat.

4. Verecundia, ſeu pudor, eſt *ignominiae metus* [a], aut aegritudo, *& perturbatio in eis malis, quae ignominiam aut dedecus ferunt* [b]. Itaque verecundiam gignunt non ea, quae interitum, aut perniciem, aut dolorem inferunt, ſed quae turpitudinem; ut facillima ignorare, ab infirmiori fortiorem vinci. Pudibundi verae virtutis, ac proprii nominis ſoliciti ſunt, partae, aut non amiſſae gloriae tuendae amantes, rumoremque omnem etiam inanem verentur. Hinc verecundiae notae, rubor, *qui eſt virtutis color* [c], demiſſus vultus, ſuffuſi oculi. Juturna 12. Aen. v. 229.

Non pudet, o Rutuli, cunctis pro talibus unam
Objectare animam? numerone, an viribus aequi
Non ſumus? en omnes & Troes, & Arcades hic ſunt,
Fataliſque manus, infenſa Etruria Turno:
Vix hoſtem, alterni ſi congrediamur, habemus.

5. Impudentia eſt immoderata dicendi agendique libertas, ſeu *famae neglectus turpis lucri gratia* [d]. Eam igitur animi nequitia, effrenata audendi licentia, & quaeſtus interdum creat. Impudens nihil homines dignitate, ſapientia, ſanctimonia praeſtantes veretur, nihili ſuam, & aliorum innocentiam, honeſtatem, & decus pendit: laude & vituperatione nihil afficitur: qua de cauſſa praecla-

a. Zeno apud Laert. l. 7 in Zen. interpr Ambr. Mon. Camald. b. Ariſtot. Rhet. l. 2. cap. 15. tex 182. c. Dictum Diogenis Cynici apud Majorag. Comment. in Ariſt. Rhet. l. 2. c. 15. t. 182. d. Theophr. Mor. c. 10.

clare dictum; *impudentiam inter homines omnium malorum eſſe maximum* a. Impudentem exhibet, & caſtigat Catilinam Cicero prima in eum oratione c. 1. *Conſtrictam jam omnium conſcientia teneri conjurationem tuam non vides? O tempora! o mores! Senatus haec intelligit, Conſul videt, hic tamen vivit. Vivit? immo vero etiam in Senatum venit.*

De gaudio, ac laetitia: eorumque cauſſis, & moribus.

CAP. XI.

1. Gaudium eſt placida, & conſtans in bono quies. Boni itaque comparati & percepti amplitudo, & utilitas gaudii cauſſa ſunt, vitata etiam pericula, propulſatae calamitates, tolerati labores. nam *ſuavis eſt praeteritorum malorum memoria* b, & *jucundi acti labores* c: immo habet ipſius *praeteriti doloris ſecura recordatio delectationem* d. Pulchre Catull. epigr. 9. v. 9.

Veranni omnibus e meis amicis
Antiſtes mihi millibus trecentis,
Veniſtine domum ad tuos Penates,
Fratreſque unanimos, tuamque Matrem?
Veniſti? o mihi nuncii beati!
Viſam te incolumem, audiamque Iberum
Narrantem loca, facta, nationes,
Ut mos eſt tuus, applicanſque collum
Jucundum os, oculoſque ſuaviabor.

O

a. Eurip apud Majorag. Comment. in Ariſt. Rhet. l. 2. c. 15 tex. 184. b. Cic. 2. Fin. c. Id. ibi. d. Id. lib. 5. ep. 12.

O quantum eſt hominum beatiorum
Quid me laetius eſt, beatiuſve?

2. Gaudentes ſunt in praeſenti alacritate toti occupati, rerum aliarum, praecipue veterum, obliti, praeſentiumque perennitatem precantes. Hinc interdum lacrimae, & imperfecta verba, ſaepius in ore riſus, exſultatio, veterum malorum recordatio animos illorum produnt; oratio autem blandiſſimarum rerum, repetitionum, exclamationumque plena eſt. Aeneas in Carthaginienſi templo Trojanorum facta intuens 1. Aen. v. 463.

Conſtitit, & lacrimans: quis jam locus, inquit, Achate,
Quae regio in terris noſtri non plena laboris?
En Priamus: ſunt hic etiam ſua praemia laudi:
Sunt lacrimae rerum, & mentem mortalia tangunt.

Et Anchiſes 6. Aen. v. 684.

Ubi tendentem adverſum per gramina vidit
Aenean, alacris palmas utraſque tetendit,
Effuſaeque genis lacrimae, & vox excidit ore.
Veniſti tandem? tuaque expectata parenti
Vicit iter durum pietas? datur ora tueri,
Nate, tua, & notas audire, & reddere voces?
Quas ego te terras, & quanta per aequora vectum
Accipio? quantis jactatum, Nate, periclis!
Quam metui, ne quid Libiae tibi regna nocerent!

3. Laetitia eſt effuſior irrumpentis gaudii ſignificatio, ſive extrinſecus aperte exſultans gaudium, aut *opinio recens boni praeſentis,*

in

in quo efferri rectum eſſe videatur a: nam, gaudium aut omnino animo ſe continet, aut temperate admodum prodit, laetitia liberalius: quare ei alacriora omnia accommodantur. Hujus ingenii ac multo pulcherrimum hoc Debborae Judic. 5. v. 2. *Qui ſponte obtuliſtis animas veſtras ad periculum, benedicite Domino. Audite Reges, auribus percipite Principes: ego ſum, ego ſum quae Domino canam, pſallam Domino Deo Iſrael. Ceſſaverunt fortes in Iſrael & quieverunt, donec ſurgeret Debbora, ſurgeret mater in Iſrael. Venerunt Reges, & pugnaverunt, & tamen nihil tulere praedantes.*

Maeroris natura: cauſſae: levamenta: notae: oratio:

C A P. XII.

1. MAeror, ſeu triſtitia, aut dolor, eſt ex magno, & jam praeſenti malo aegritudo, ſive *aegritudo flebilis* b, ut Virg. 1. Aen. v. 92.

Eripiunt ſubito nubes caelumque diemque
Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra:
Intonuere poli, & crebris micat ignibus aether,
Praeſentemque viris intentant omnia mortem.

2. Cauſſae, quae maerorem afferunt, ſunt plures mali facies, quod ſit magnum, ineluctabile, non opinatum, *videntur enim omnia re-*

a. Cic. 4. Tuſc. c. 7. ex Stoicorum potius ſententia, quam ſua. b. Id. ibi c. 8.

nia repentina graviora a, a propinquis, a cariſſimis, a ſuis illatum, quod nefarii eo laetentur, praeſentis miſerae cum ſuperiori ſecunda fortuna, & cum aliorum felicitate collatum. Virg. ecl. 1. v. 3.

Nos patriae fines, & dulcia linquimus arva,
Nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra
Formoſam reſonare doces Amarillida ſilvas.

Praeclare Adherbal Numidiae regno pulſus maerorem ſuum Romae aperit, opemque implorat apud Sall. Bel. Jug. c. 16 *Pater duos fratres reliquit, tertium Jugurtham beneficiis ſuis ratus eſt nobis conjunctum fore. Alter eorum necatus eſt, alter ego manus impias vix effugi. Quid agam? Generis praeſidia omnia extincta ſunt. Pater naturae conceſſit: fratri propinquus per ſcelus vitam eripuit: affines, amicos, propinquos alium alia clades oppreſſit: capti ab Jugurtha pars in crucem acti, pars beſtiis objecti, pauci, quibus relicta eſt anima, clauſi in tenebris morte graviorem vitam exigunt. Exſul patria, domo, ſolus, omnium rerum honeſtarum egens qao accedam? quos appellem?*

3. Lenit dolorem humanae conditionis conſcientia, mortalium rerum perſpecta viciſſitudo, miſeriarum ſuarum cum multis ſimilitudo, ferendi mali neceſſitudo, commutandae ſortis ſpes; etenim *Non ſi male nunc, & olim Sic erit* b, & cogitata, immo expectata calamitas, nam *praemeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum* c; eorum, qui magno animo mala tulerunt, exempla, ipſa patientia, quae malum minuit, omnium maxime Chri-

a. Cic. 3. Tuſc. c. 13. b. Hor. lib. 2. od. 10. v. 17. c. Cic 3. Tuſc. c. 13.

Chriſtiano homini ſcientia, ita ſempiterna ſe meriturum. Pulchre Anaxagoras nunciata morte filii, *ſciebam*, inquit, *me genuiſſe mortalem* [a]: & Theſeus apud Euripidem interroganti qui mala tolerarct;

Futuras, ait, *mecum commentabar miſerias*,
Aut mortem acerbam, aut exſilii maeſtam fugam,
Aut ſemper aliquam molem meditabar mali,
Ne me imparatum cura laceraret repens [b].

4. Maerentium indoles eſt, ut ſint dejecti, jacentes, diffiſi, mali cogitationi affixi, nihil audentes. Praeterea Hebraeis, Romanis, aliisque gentibus mos fuit veſtem diſcindere, ut feminis crines ſolvere, omnibus manum in caelum tendere, atque hominum ac divini Numinis opem implorare. Notae autem pallor, ſilentium triſte, lacrimae, queſtus, ſingultus, hominum ipſiuſque Numinis incuſatio, dolore arrepti. Denique oratio triſtitiae propria eſt, quod mirum videatur, vehementiſſima rebuſque ditiſſima, interdum tamen in verbis perturbata. Audi Virg. 9. Aeneid. v. 473.

Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuncia fama ruit, matriſque allabitur aures
Euryali; ac ſubitus miſerae calor oſſa reliquit.
Excuſſi manibus radii, revolutaque penſa.
Evolat infelix, & femineo ululatu
Sciſſa comam, muros amens, atque agmina curſu
Prima petit; non illa virum, non illa pericli,
Telorumve memor: caelum dehinc queſtibus implet.
Hunc ego te, Euryale, aſpicio, tunc ille ſeneſtae Sera:

a. Apud Cic. 3. Tuſc. c. 14. b. Ex interpr. ejuſd. ibi.

Sera meae requies? potuiſti linquere ſolam
Crudelis? nec te ſub tanta pericula miſſum
Affari extremum miſerae data copia matri?
Heu terra ignota canibus data praeda Latinis,
Alitibuſque jaces: nec te tua funera mater
Produxi, preſſive oculos, aut vulnera lavi
Veſte tegens, tibi quam noctes feſtina dieſque
Urgebam, & tela curas ſolabar aniles.
Quo ſequar? aut quae nunc artus, avulſaque membra,
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te,
Nate, refers? hoc ſum terraque marique ſecuta?
Figite me, ſi qua eſt pietas, in me omnia tela
Conjicite, o Rutuli: me primam abſumite ferro.
Aut tu, magne Pater Divum, miſerere, tuoque
Inviſum hoc detrude caput ſub Tartara telo,
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.

Motus in maerorem rejecti.

CAP. XIII.

1. IGnavia, ſeu ſocordia, eſt rerum difficilium juxtaque facilium adeundarum detrectatio, aut nihil agendo ſegnis quies. Ex inopi inertique naturae habitu, nimia periculorum cogitatione, atque importuni otii amore orta caſtigatur, nec raro accenditur a rerum facilitate, neceſſitate, laude, ac praemiis. Ignavus enim cogitans, conſultans, interrogans, inceptans trepidat, horret, haeret, operi autem manum admovere abnegat, ac propterea *ignavo ſemper feriae ſunt.*

ſunt [a]. Praeclare Servium Tullium incertum ac torpeſcentem caſtigat Tanaquil Liv. l. 1. c. 41. *Tuum eſt*, inquit, *Servi, ſi vir es, regnum. Erige te, Deoſque duces ſequere, qui clarum hoc fore caput divino quondam circumfuſo igni* * *portenderunt: nunc te illa caeleſtis excitet flamma, nunc expergiſcere vere: qui ſis, non unde natus ſis, reputa. Si tua re ſubita conſilia torpent, at tu mea conſilia ſequere.*

3. Taedium, ſeu torpor, eſt facti, faciendorumque iners moleſtia, & ſatietas. Taedio affecti contabeſcunt, omnia incuſant, omnia detrectant, nihil audere, nihil moliri volunt, ubique ſe purgant, pericula augent, & fingunt. Irritantur autem ex amiſſae, aut amittendae occaſionis turpitudine, ex laudum, ac commodorum amplitudine. Torpentes milites ſuos praeclare incendit Alexander Curt. lib. 9. cap. 5. *Non in limine operum, ſed in exitu ſtamus. Pervenimus ad Oceanum, niſi obſtat ignavia, victores perdomito fine terrarum revertemur in patriam. Nolite maturos fructus amittere e manibus; majora ſunt periculis praemia; nec tam ad gloriam vos duco, quam ad praedam. Digni eſtis qui opes, quas mare littoribus invehit, referatis. Ubi eſt ille clamor alacritatis veſtrae index? ubi eſt ille meorum Macedonum vultus? Nec agnoſco vos milites, nec agnoſci videor a vobis. Quid autem poſtulo? Veſtram gloriam & magnitudinem vindicamus. Ite reduces domos: ite deſerto Rege ovantes.*

4. Puſillanimitas, ſit verbo venia, eſt parvi abje-

a. Vide ex Theocr. Manut. eo adagio. * Puero dormienti caput arſiſſe viſum fuerat, & mox cum ſomno abjerat & flamma apud eumdem Liv. l. 1. c. 39.

abjectique animi dejectio, quae nec facit, nec audet quae poſſet. Cum ex complorato ingenio eſt, ſuo jure deſpicitur, nullis accenditur facibus; cum ex nimia periculorum meditatione, propriarum virium, & faciendorum amplitudine, ac praemiis erigitur. En purgatam, & irritatam Liv. l. 10. c. 35. *Affirmant Tribuni militum: ſe quidem omnia facturos, ſed militum jacere animos; tota nocte inter vulnera, & gemitus morientium vigilatum, tantum pavoris fuiſſe, ut relicturi ſigna fuerint; pudore a fuga contineri, alioquin pro victis eſſe. Quae ubi Conſul accepit, ſibimetipſi circumeundos, alloquendoſque milites ratus, ut ad quoſque venerat, increpabat, quid ceſſarent? armatis, ac dimicantibus haud dubiam victoriam eſſe: qui nudus atque inermis hoſtem maneat, et aut mortem, aut ſervitutem patiendam: indignum facinus eſſe tantam contumeliam ignominiamque ab ignaviſſimo accipi hoſte. Etiamne circumſedebimur in caſtris, ut fame potius per ignominiam, quam ferro, ſi neceſſe eſt, per virtutem moriamur?*

Irae natura: cauſſae: remedia: mores: ſigna: oratio.

CAP. XIV.

1. IRa eſt propter contemtum, aut injurias, aut perniciem importatam ulciſcendi cupiditas cum dolore conjuncta, ſeu *libido puniendi ejus, qui videatur laeſiſſe injuria* [a]. Marcius Coriolanus in ſeditioſos Tribunos plebis

a. Cic. 4. Tuſc. c. 9.

bis Liv. lib. 2. c. 34. *Cur ego plebejos magiſtratus, cur Sicinium potentem video ſub jugum miſſus, tamquam a latronibus redemtus? egone has indignitates diutius patiar, quam neceſſe eſt? Tarquinium Regem qui non tulerim, Sicinium feram? ſecedat nunc, avocet plebem: rapiant frumenta ex agris noſtris, fruantur, utantur annona, quam furore ſuo fecere: audeo dicere, hoc malo domitos ipſos potius cultores agrorum fore, quam ut armati per ſeceſſionem coli probibeant.*

2. Non raro quidem haec ira juſta eſt, & debita, cum alter vere, atque injuria laeſit, ac tum ira oritur ex malorum improbitate, ſuperbia, audacia, ex ſcelere, ex illatis injuriis, ac maleficiis, ex beneficiis nihili habitis, aut injuriis compenſatis, ex nocendi animo: quibus de cauſſis, ſi modus iraſcendi ſit, auctoritas puniendi, & corrigendi, non perdendi animus, tolerabilis eſt, immo non ſemel utilis, ſi agendo vim addat, nec mentis lumen exſtinguat, ut veteres Academici *ardorem animorum, ac virtutis cotem* [a] iram dixerint. Aliquam ejus effigiem habent haec Aeneae in Helenam 2. Aen. v. 577.

Scilicet haec Spartam incolumis, patriaſque Mycenas
Aſpiciet? partoque ibit Regina triumpho?
Conjugiumque, domumque, patres, natoſque videbit
Iliadum turba, & Phrygiis comitata miniſtris?
Occiderit ferro Priamus? Troja arſerit igni?
Dardanium toties ſudarit ſanguine litus?
Non ita: namque, etſi nullum memorabile nomen

O Fe-

a. Cic. 4. Tuſc. c. 21.

Feminea in poena eſt, nec habet victoria laudem;
Exſtinxiſſe nefas tamen, & ſumſiſſe merentis
Laudabor poenas: animumque expleſſe juvabit
Ultricis flammae, & cineres ſatiaſſe meorum.

3. Saepius vero mala, injuſta, peſtifera eſt: exſtinguitur, aut ſedatur ex irae ipſius pernicie, ac turpitudine, ex erratorum deprecatione, ex ignoſcendi honeſtate, & laude, qua Deo ſimillimi judicantur, qui iras poſuerunt, ut eam patriae donent, ac divino Numini, nec ſemel increpando, & offenſae inanitatem oſtendendo, *neque enim cuiquam mortalium injuriae ſuae parvae videntur* [a], ex infinitis incommodis, quae conſequentur. Egregie Corolianum filium ex acceptis injuriis patriae bellum inferentem placat Veturia Mater apud Liv. l. 2. c. 40. *Sine, priuſquam complexum accipio, ſciam ad hoſtem, an ad filium venerim; captiva, materne in caſtris tuis ſim. In hoc me longa vita, & infelix ſenecta traxit, ut exſulem te, deinde hoſtem viderem? Potuiſti populare hanc terram, quae te genuit atque aluit? Non tibi, quamvis infeſto animo, & minaci perveneras, ingredienti fines ira cecidit? Non cum in conſpectu Roma fuit, ſuccurrit intra illa moenia domus, ac Penates mei ſunt, mater, conjux, liberique? Ergo, ego niſi peperiſſem, Roma non oppugnaretur? Niſi filium haberem, libera in libera patria mortua eſſem?*

4. Irati ſunt immanes, efferati, ſui impotentes, caeci; itaque iratos *proprie dicimus exiſſe de poteſtate, ideſt de conſilio, de ratione, de men-*

a. Sall. Con. Cat. c 50.

mente a: qua re fit, ut humana, divinaque omnia miſcere non dubitent, nec amicos, aut inimicos cogitent, immo nec ipſi ſe, aut perniciem ſuam, neque *enim quiſquam iratus timet* b, ac propterea *iram bene Ennius initium dixit inſaniae* c, immo *ira brevis furor eſt* d. Hujus indolis exhibet Aruntem & Brut. Liv. l. 2. c. 3. *Ubi ex lictoribus procul Conſulem eſſe, deinde jam propius, ac certius quoque facie Brutum cognovit, inflammatus ira, ille eſt vir, inquit, qui nos expulit patria, ipſe en ille noſtris decoratus inſignibus magnifice incedit: Dii Regum ultores adeſte. Concitat calcaribus equum, atque in ipſum infeſtus Conſulem dirigit. Senſit in ſe iri Brutus, avide itaque ſe certamini offert, adeoque infeſtis animis concurrerunt, ut neuter, dum hoſtem vulneraret, ſui protegendi corporis memor, ut contrario ictu per parmam uterque transfixus duabus haerentes haſtis moribundi ex equis lapſi ſint.*

5. Irae ſigna ſunt, *oculi lucenti igni ſimiles propter ſubrubentem colorem, & igneum quaſi aſpectum ab ſanguine per tenues venulas erumpente* e, torva facies, & totius corporis trepidatio; in certis quoque hominibus pallor, ac teter color. Virg. 8. Aen. v. 101. de Turno.

His agitur furiis, totoque ardentis ab ore
Scintillae abſiſtunt, oculis micat acribus ignis.

Et de Mezentio 10. Aen. v. 707.

Ille

O 2

a. Cic. 4. Tuſc. c. 36. b. Ariſt. Rhet. l. 2. c. 30. tex 381. c. Cic. 4. Tuſc. c. 23. d. Horat. l. 1. epiſt. 2. e. Euſtath. *in* 1. Il. c. 98. ex interpr. Polit. Scholar. Piar-

Ille autem impavidus partes verſatur in omnes
Dentibus infrendens.

6. Denique irati hominis oratio vehementiſſima eſt, contumeliis aeſtuans, honoris nomina horrens, minutis, conciſiſque ſententiis crebro interrogans, ſenſis inchoata, nec perfecta, incerto animi impetu hac illac arripiente, & plurima ſuppeditante, eademque ſaepius repetente; nam *reprehendendo, atque accuſando irrequieto, implacabilique animo homines irati eadem ſaepius revolvunt, perinde quaſi nondum ſatis pro rei gravitate dixerint* a. Pauca haec habe exemplo. Ter. Eun. act. 1. ſc. 2. *Egone illam? quae illum? quae me? quae non? ſine modo. Mori me malim: ſentiat qui vir ſiem* *. Virg. 2. Aen. v. 41.

Laocoon ardens ſumma decurrit ab arce,
Et procul, o miſeri, quae tanta inſania, Cives?
Creditis avectos hoſtes? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaum? ſic notus Ulyſſes?

Et Pallas 10. Aen. v. 369.

Quo fugitis ſocii? per vos, & fortia facta,
Per Ducis Evandri nomen, devictaque bella,
Spemque meam.

Nec ſequitur *oro*, ut ſupra *exclamat*, nec *decipit*.

Indignatio, & furor: eorumque propria.

CAP. XV.

INdignatio eſt incitatior ira, ſive ira ſaepius repetita, nam *aliud eſt iracundum eſſe*

a. Euſtath. in 1. Iliad. c. 112. ex interpr. Politi. * Pro *ſim* more comico.

ſe, aliud iratum [a], iracundus enim eſt in iram pronior, ſive ad iram crebro inflammatus, aut graviori de cauſſa, ut quod ſummus vir ab infimo violatus, quod ſumma injuria illata ſit. Propria autem indignationi, ut & furori ſunt eadem omnia quae irae, at ſumma. Tale hoc initium 1. Catilinariae. *Quouſque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra? quamdiu nos etiam furor iſte tuus eludet? quem ad finem ſeſe effrenata jactabit audacia? nihilne te nocturnum praeſidium palatii? nihil urbis vigiliae? nihil timor populi? nihil conſenſus bonorum omnium? nihil hic munitiſſimus habendi Senatus locus? nihil horum ora vultuſque moverunt? Patere tua conſilia non ſentis? conſtrictam jam omnium horum conſcientia teneri conjurationem tuam non vides? quid proxima, quid ſuperiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid conſilii ceperis, quem noſtrum ignorare arbitraris?* Et quae ſequuntur.

2. Furor, inſaniam ne intelligas, eſt ſummus irae impetus a ſummo, aut improviſo aliorum maleficio incitatus, rationi tamen obtemperans. Hujuſmodi hoc Aeneae dejecti, ac proſtrati Turni precibus vitam donare jam parantis 12. Aen. v. 941.

Infelix humero cum apparuit alto
Balteus, & notis fulſerunt cingula bullis
Pallantis pueri, victum quem vulnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum inſigne gerebat.
Ille oculis poſtquam ſaevi monumenta doloris,
Exuviaſque hauſit: furiis accenſus, & ira
Terribilis: Tune hinc ſpoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas

a. Cic. 4. Tuſc. c. 12.

Immolat, & poenam ſcelerato ex ſanguine ſumit.

Miſericordia: ejus cauſſae: mores: notae: atque oratio.

CAP. XVI.

1. **M**Iſericordia *eſt aegritudo ex miſeria alterius injuria laborantis, nemo enim paricidae, aut proditoris ſupplicio miſericordia commovetur* [a]. Venus Jovi 1. Aen. v. 235.

Quid meus Aeneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere? quibus tot funera paſſis
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?

2. Cauſſae, quibus miſericordia oritur ſunt malorum multitudo, & immanitas injuria illatorum, florentis in adverſam fortunam commutatio, *nihil eſt enim tam miſerabile, quam ex beato miſer* [b], praeclare facta injuriis, & maleficiis compenſata, ſanctimonia vexata, afflicta, amicorum, patriae, parentum jactura, mors immatura, crudeliter, nefarie illata, aut miſerabili loco, tempore, occaſione conſecuta, beneficia praeſtita, & quae quis erat praeſtiturus, ac denique, *ſi unde bonum provenire oportebat, inde malum acciderit* [c], ſi amicus, familiaris, propinquus laeſerit, aut ſimilis fortunae, nam homines maxime *parium ac ſimilium miſerentur* [d]. Ex pleriſque eorum Adherbal Numidiae Rex Romae in Senatu apud Sall. Bel. Jug. c. 15. *Nolite*, ait, *pati*

P. C.

a. Cic. 4. Thuſc. c. 8. b. Id. Partit. Or. c. 17. c. Ariſt. Rhet. l. 2. c. 21. tex. 184. ex interp. Majorag. d. Id. ibi c. 22 tex. 291.

P. C. *me nepotem Maſſiniſſae fruſtra a vobis auxilium petere. Si ad impetrandum nihil cauſſae haberem, praeter miſerandam fortunam, quod paullo ante Rex genere, fama, atque copiis potens, nunc deformatus aerumnis, inops, alienas opes exſpecto, tamen erat majeſtatis Pop. Rom. prohibere injuriam. Iis finibus ejectus ſum, quos Majoribus meis Pop. Rom. dedit, unde* Pater *&* Avus *meus vobiſcum expulere Carthaginienſes. Veſtra beneficia mihi erepta ſunt, P. C. vos in mea injuria deſpecti eſtis. Heu me miſerum! huc Micipſa Pater beneficia tua evaſere, ut quem tu parem cum liberis tuis, regnique participem feciſti, is ſtirpis tuae extinctor ſit?* Numquamne *ergo familia noſtra quieta erit? ſemperne in ſanguine, ferro, fuga verſabitur! Jugurtha, fratre meo interfecto, regnum ſceleris ſui praedam fecit, me, ubi dolis nequit capere, extorrem patria, inopem, coopertum miſeriis effecit. Nunc, quoniam, neque vivere, neque mori licet ſine dedecore, oro vos per majeſtatem Pop. Rom. ſubvenite mihi miſero, ite obviam injuriae.*

3. Alienam calamitatem miſerantem mores ſunt benigne orantes accipere, ſolari, opem ſtatim aut ferre, aut quaerere, eorumque miſerias ſuas putare, & animo ſentire, eam ipſam, aut pares calamitates expertum ſe teſtari, ut Dido 1. Aen. v. 634.

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

4. Signa autem miſereſcentium ſunt taciturnitas, humi demiſſus vultus, alienas calamitates proloqui, & lacrimari, licet ſaepe *cito areſcit lacrima praeſertim in alienis malis* a. Oratio demum ad miſericordiam

 com-

a. Cic. Partit. Orat. c. 11.

commoventium vehementiſſima, ſemel, iterum, ſaepius exclamans, divini Numinis atque hominum fidem implorans, & gratiam redditurам ſe, aut certe habituram pollicetur. Compoſite ad miſericordiam Rhodiorum Legati Liv. lib. 45. c. 24. *Peccaverimuſne adhuc dubium eſt, poenas ignominiaſque omnes jam patimur. Rhodios, qui nihil aliud quam quieverunt hoc bello, hoſtes facturi eſtis? Quem tandem titulum noſtra calamitas habitura eſt, ſi perituri ſumus? ſuperbiam praeſertim verborum iracundi oderunt, prudentes irrident, capitali ſententia nemo umquam dignam judicavit. Quid purgemus, ſi nec factum hoſtile ullum noſtrum eſt, & verba tumidiora Legati offenſionem aurium, non perniciem civitatis meruerunt?*

Affectiones in miſericordiam rejectae.

CAP. XVII.

1. MAnſuetudo, ſeu lenitas, eſt animi facilitas nemini iraſci, cunctiſque ignoſcere cupiens, ſeu *ſedatio animi, atque ab ira ceſſatio* [a]. Ad eam permovent vel iratos eorum, in quos irati ſunt, preces, ſupplex errati, aut criminis confeſſio, ipſa manſuetudinis praeſtantia, interdum minae, ſaepius gravis admonitio, maxime autem eorum, qui laeſerint, infirmitas, unde aut damna, aut ſuperbiam ſuſpicari nemini liceat; quam ob cauſſam pueri inermes, feminae imbelles, viri Deo ſacri ad mitigandas aliorum iras, ve-

a. Ariſt. Rhet. l. 2. c. 8. tex. 59.

veniam impetrandam, & manſuetudinem inducendam ſunt aptiſſimi. Porus Indorum Rex ab Alexandro acie ſuperatus, interrogatuſque quid victorem ſtatuere debere ipſe cenſeret: *quod hic dies*, ait, *tibi ſuadet, quo expertus es, quam caduca felicitas eſſet* [a]. Quo reſponſo Alexander *magnitudinem animi ne fortuna quidem infractam non miſericordia modo, ſed etiam honore excipere dignatus eſt, & confirmatum donavit ampliore regno, quam tenuit* [b].

§ 2. Clementia eſt animi benignitas, quae noxios qua fas eſt indulgentia, inſontes vero quam maxima humanitate complectitur. Eam excitant eadem ipſa quae manſuetudinem. Sinon 2. Aen. v. 137.

Nec mihi jam patriam antiquam ſpes ulla videndi,
Nec dulces natos, exoptatumque parentem:
Quos illi fors ad poenas ob noſtra repoſcent
Effugia, & culpam hanc miſerorum morte piabunt.
Quod te per ſuperos, & conſcia Numina veri,
Per, ſi qua eſt, quae reſtat adhuc mortalibus uſquam,
Intemerata fides, oro; miſerere laborum
Tantorum, miſerere animi non digna ferentis.
His lacrimis vitam damus, & miſereſcimus ultro.
Ipſe viro primus manicas, atque arcta levari
Vincla jubet Priamus, dictiſque ita fatur amicis.
Quiſquis es, amiſſos hinc jam obliviſcere Grajos:
Noſter eris,

3. Moderatio eſt aequus in utraque fortuna

a. Curt. l. 8. extremo, b. Id. ibi.

na animus, quo nec ſe in adverſis caſibus demittat, nec in ſecundis deſipiat. Ex animi celſitate, & cumulata humanarum rerum cognitione oritur, iiſque ipſis incenditur. Quamobrem moderati adverſa ferunt, ſi preſſi ſunt, & verentur, ſi beati; ſecunda vero & ſperant, & moderantur, temperate ſentientes de ſe, benigneque ceteros alloquentes, & miſeris ubique praeſto ſunt. Non uſitatum hoc Syſigambis Darii Matris perhonorifice a victore Alexandro acceptae apud Curt. lib. 3. c. 24. *Rex*, inquit, *mereris, ut ea precemur tibi, quae Dario noſtro quondam precatae ſumus, & dignus es, qui tantum Regem non felicitate ſolum, ſed etiam aequitate ſuperaveris. Tu quidem Matrem me, & Reginam vocas, ſed ego me tuam famulam eſſe confiteor. Et praeteritae fortunae faſtigium capio, & praeſentis jugum pati poſſum.*

Spei cauſſae: mores: ſigna: oratio.

CAP. XVIII.

1. SPes eſt motus in bonum arduum magno virtutis conatu comparandum, ſive *expectatio boni* [a].

2. Spem excitant boni magnitudo, atque honeſtas, laudum amplitudo, naturales ad illud facultates, ſociorum, amicorumque praeſidia, rerum cognitio, & experientia, periculorum, ac difficultatum contemtus, divini Numinis magna, & ſancta conantibus praeſentia, & promiſſa, & ſaepe ipſa rerum dif- fi-

a. Cic. 4. Tuſc. c. 37.

ficultas, & prope deſperatio. Egregie in ſpem victoriae milites ſuos erigit Darius apud Curt. l. 4. c. 34. *Hic dies*, inquit, *imperium*, *quo nullum amplius vidit aetas*, *aut finiet*, *aut conſtituet*. *Jam non de gloria*, *ſed de ſalute*, *& quod ſaluti praeponitis*, *de libertate pugnandum eſt*. *Vindicate ab ultimo dedecore nomen*, *gentemque Perſarum*. *Ite alacres*, *& ſpe pleni*, *ut quam gloriam accepiſtis a Majoribus veſtris*, *Poſteris relinquatis*. *In dextris veſtris jam libertatem*, *opem*, *ſpem futuri temporis geritis*. *Effugit mortem quiſquis contemſerit*; *timidiſſimum quemque conſequitur*.

3. Sperantis mores ſunt, omnia audere, omnia ſibi polliceri, promto animo, ac viribus fidentes eſſe, mirae fortitudinis indicia praeſeferre, ſperata animo ſemper agitare, ea vigilantes dormienteſque repetere, adeſſe quae ſperant fingere, angi, nam *ſpem metus ſequitur* [a], timorem tegere, ac diſſimulare, nec an fieri poſſint, aut futura vere ſint, ſatis advertere, impedimenta contemnere. Spei ſigna ſunt vultus, oculi, tota hominis facies praegeſtiens, atque exultans. Deniqne oratio ſuaviſſimi ornatus, blandiſſimarum imaginum, magnificarum rerum, ac pollicitationum plena. Non pauca eorum continet Cic. 2. Catil. c. 13. *Haec omnia ſic agentur*, *Quirites*, *ut res maximae minimo motu*, *pericula ſumma nullo tumultu*, *bellum inteſtinum*, *ac domeſticum*, *poſt hominum memoriam crudeliſſimum*, *& maximum*, *me uno togato Duce*, *& Imperatore ſedetur*, *atque illud profecto perficiam*, *quod in tanto*, *& tam inſidioſo bello vix optandum videtur*, *ut neque bonus quiſquam*

a. Sen. epiſt. 5.

quam intereat, paucorumque poena vos omnes jam ſalvi eſſe poſſitis, quae quidem ego neque mea prudentia, neque humanis conſiliis fiſus polliceor vobis, Quirites, ſed multis, & non dubiis Deorum immortalium ſignificationibus: qui praeſentes ſuo numine, atque auxilio ſua templa, atque urbis tecta defendunt.

Alii motus ex ſpe profecti.

CAP. XIX.

1. Fiducia eſt certior, alacriorque conſequendae rei expectatio. Eam movent ac preaſeferunt eadem quae ſpem, ſed certiora, propinquiora, & majora omnia. Fiduciae plena haec Turni oratio 10. Aen. v. 279.

Quod votis optaſtis, adeſt, perfringere dextra:
In manibus Mars ipſe, viri; nunc conjugis eſto
Quiſque ſuae, tectique memor: nunc magna referto
Facta patrum, laudeſque: ultro occurramus ad undam,
Nunc trepidi, egreſſiſque labant veſtigia prima;
Audentes fortuna juvat.

2. Fortitudo eſt grandium periculorum virtute ſuperandorum fiducia: ſeu *conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio* [a]. Eam ex ſanguinis fervore ortam, & dura corporis cultura roboratam magis magiſque excitant grandis facti honeſtas, dignitas, laudes, & ipſa agendi neceſſitas. Hinc fortes advertunt ſatis, magis contemnunt, ac felicem exi-

a. Cic. 2. Inv. Rhet. c. 54.

exitum interrito vultu pollicentur, atque expectant. Inſigne hoc Caeſaris apud eumdem Bel. Gal. l. 2. c. 25. *Caeſar ab legionis cohortatione ad dextrum cornu profectus, ubi ſuos urgeri, quartae cohortis Centurionibus occiſis, ſignifero interfecto, ſigno amiſſo, reliquos eſſe tardiores, & nonnullos a noviſſimis deſertos praelio excedere, hoſtes, neque a fronte ſubeuntes intermittere, & utroque loco late inſtare, & rem eſſe in anguſto vidit, ſcuto ab noviſſimis uni militi detracto, quod ipſe eo ſine ſcuto venerat, in primam aciem proceſſit, Centurionibuſque nominatim appellatis, reliquos cohortatus milites ſigna inferre juſſit: hujus adventu ſpe illata, ac redintegrato animo, cum pro ſe quiſque in conſpectu Imperatoris etiam in extremis ſuis rebus operam navare cuperet, hoſtium impetus tardatus eſt, tum vero cum aliis alii ſubſidium ferrent, fortius pugnare ceperunt, & ad internecionem gentem, ac nomen Nerviorum redegerunt.*

3. Audacia eſt animus in malum grande, ac viribus fere majus inſurgens ſuperandi ſpe, cum ea vix affulget. Ex integro, atque ardenti ſanguine profecta inflammatur a ſuperandi mali credulitate, a conſequendae laudis fiducia, a periculorum alias ſuperatorum experientia, a neceſſitate, a cariſſimis rebus vel recuperandis, vel tuendis jam dilabentibus. Audaces arduis delectari, majores ſe periculis praedicare, omnia ſibi polliceri, pericula, & mortem contemnere, laudem, pluſquam decet, ſolent appetere. Audax certe hoc apud Liv. l. 2. c. 10. *Pons ſublicius iter paene hoſtibus dedit, ni unus vir fuiſſet Horatius Cocles. Forte in ſtatione pontis, cum captum*

repen-

repentino impetu Janiculum, atque inde citatos decurrere hoſtes vidiſſet, trepidamque turbam ſuorum arma ordineſque relinquere, reprebenſans ſingulos, obſiſtens, obteſtanſque Deum, & hominum fidem teſtabatur; nequicquam deſerto praeſidio eos fugere, ſi tranſitum pontem a tergo reliquiſſent. Itaque monere, praecipere, ut pontem ferro, igni, quacumque vi poſſent, interrumpant: ſe impetum hoſtium, quantum corpore uno poſſet obſiſti, excepturum. Vadit in primum aditum pontis: inſigneſque inter conſpecta cedentium pugnae terga, obverſis cominus ad ineundum praelium armis, ipſo miraculo audaciae obſtupefecit hoſtes. Cum duobus primam periculi procellam parumper ſuſtinuit circumferens truces minaciter oculos ad Proceres Etruſcorum, nunc ſingulos provocare, nunc increpare omnes. Cunctati aliquandiu ſunt, dum alius alium, ut praelium incipiant, circumſpectant, deinde undique in unum tela conjiciunt, quae cum in objecto cuncta haeſiſſent ſcuto, neque ille minus obſtinatus ingenti pontem obtineret gradu, jam ſimul fragor rupti pontis, ſimul clamor Romanorum alacritate perfecti operis ſublatus eſt; tum Cocles in Tiberim deſiluit, multiſque ſuperincidentibus telis incolumis ad ſuos tranavit, rem auſus plus famae habituram apud Poſteros, quam fidei.

4. Temeritas eſt inſanus animi impetus rem aggredientis ſine ullo boni exitus conſilio. Eadem ei omnia conveniunt quae audaciae, magiſque etiam praecipitia. Tale hoc Alexandri in obſidione oppidi Oxydracarum apud Curt. l. 9. c. 10. *Evadit in murum: anguſta muri corona erat: non pinnae faſtigium ejus di-*

diſtinxerant; itaque Rex haerebat magis, quam ſtabat in margine, clipeo undique incidentia tela propulſans. Nec ſubire milites poterant. Jamque laevam, qua clipeum ad ictus circumferebat, laſſaverat, clamantibus amicis, ut ad ipſos deſiliret: cum ille rem auſus eſt inauditam, multoque magis ad famam temeritatis, quam gloriae inſignem. Namque in urbem hoſtium plenam praecipiti ſaltu ſe immiſit, cum, antequam ſurgeret, opprimi poterat, & capi vivus. Sed forte ita libraverat corpus, ut ſe pedibus exciperet: itaque ſtans init pugnam. Cum unum procul tot manus peterent, nemo audebat propius accedere. Pugnabat pro Rege celebrati nominis fama. Vide hic omiſſa.

Deſperationis natura, & remedia.

CAP. XX.

1. DEſperatio eſt conſequendi boni, aut propulſandi mali diffidentia; vel *aegritudo ſine ulla rerum exſpectatione meliorum* a. Oritur a praeſentium, aut opinatorum malorum mole, a ſuperandi difficultate, a propriarum tenuitate virium, ab amicorum fuga, ab improviſa rei, praeſertim cariſſimae, jactura, nec paris conſequendae facultate, & omnium maxime ab ea re amiſſa, in qua ſpes & felicitas ſumma erat poſita. Deſperantis mores ſunt, ab omnium convictu abire, nulla conſilia audire, vitam odiſſe, mortem malorum remedium, aut ſolatium credere, homines, atque ipſum divinum Nu-

men

a. Cic. 4. Tuſc. c. 8.

men incuſare, aegritudinis vi mentis lumen exſtinguente, quod flammatis oculis, torva facie, totius corporis jactatione, praecipiti inceſſu, terribili voce, ululatibus patefaciunt. Exhibet deſperantis effigiem Ariſtaeus 4. Georg. v. 321.

Mater Cyrene, mater, quae gurgitis hujus
Ima tenes, quid me praeclara ſtirpe Deorum
Si modo, quem perhibes, pater eſt Thymbraeus Apollo,
Inviſum fatis genuiſti? aut quo tibi noſtri
Pulſus amor? quid me caelum ſperare jubebas?
En etiam hunc ipſum vitae mortalis honorem,
Quem mihi vix frugum, & pecudum cuſtodia ſolers
Omnia tentanti extuderat, te matre relinquo.
Quin age & ipſa manu felices erue ſylvas:
Fer ſtabulis inimicum ignem, atque interfice meſſes:
Ure ſata, & validam in vites molire bipennem;
Tanta meae ſi te ceperunt taedia laudis.

2. Deſperanti remedium adhibetur, & interdum proſpicitur, eum ſolando, a mali cogitatione, quantum licet, dimovendo, paria, aut ſimilia bona ſperare jubendo, nec aegre comparanda oſtendendo, opem & auxilia pollicendo. Victoriam deſperantes Arcadas ſuos ita incendit Pallas 9. Aen. v. 372.

Fidite ne pedibus; ferro rumpenda per hoſtes
Eſt via, qua globus ille virum denſiſſimus urget:
Hac vos, & Pallanta Ducem patria alta repoſcit.
Numina nulla premunt, mortali urgemur ab hoſte

Mor-

Mortales: totidem nobis animaeque, manuſque.

Ecce maris magno claudit nos obice pontus;
Deeſt jam terra fugae; pelago Trojamne petemus?

Metus: ejus cauſsae: lenimenta: ingenium: notae: oratio.

CAP. XXI.

1. Metus, ſeu timor, aut pavor, eſt aegritudo ex imminenti malo, aut opinato, vel *eſt expectatio mali*[a]. Parenti ſuo Aeneas 2. Aen. v. 660.

Si ſedet hoc animo, perituraeque addere Trojae
Teque tuoſque juvat, patet iſti janua letho.
Jamque aderit multo Priami de ſanguine Pyrrhus,
Natum ante ora Patris, Patrem qui obtruncat ad aras.

2. Cauſſae, quae metum incutiunt, ſunt variae ipſius mali facies, hoc eſt quod ſit magnum, inopinatum, praedictum, & maxime impendens, & irreparabile, itemque hoſtium, & nefariorum hominum vires, improbitas, nocendo paratus animus, & de caelo portenta. Egregie filio Annibalem in convivio obtruncare meditanti, ut gratiam Romanorum ita iniret, metum injicit Pacuvius Calavius apud Liv. l. 23. c. 9. *Si nihil ſancti*, inquit, *non fides, non religio, non pietas au-*

a. Cic. 5. Tuſc. c. 37.

diantur, infanda ſi non perniciem nobis cum ſcelere afferunt, unus aggreſſurus es Annibalem? quid illa turba tot liberorum, ſervorumque? quid in unum intenti omnium oculi? quid tot dexterae? torpeſcentne in amentia illa? vultum ipſius Annibalis, quem armati exercitus tremunt, quem horret Populus Romanus, tu ſuſtinebis?

3. Tollitur, aut lenitur timor, ſi timoris cauſſae aut nullae ſint, aut minores quam ad malum propulſandum vires, & animi ab ſe ſint, vel certe excitentur, & ſi divini Numinis opem affuturam jure pollicearis, ut *liceat ſperare timenti* a. Pulchre a Romanis timorem removet Cic. 2. Catil. c. 11. *O bellum magnopere pertimeſcendum! Contra illam naufragorum ejectam ac debilitatam manum florem totius Italiae ac robur educite. Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc ſtuprum; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc ſcelus; hinc conſtantia, illinc furor; hinc denique aequitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus. In hujuſmodi praelio nonne etiamſi hominum ſtudia deficiant, Dii ipſi immortales cogent ab his praeclariſſimis virtutibus tot & tanta vitia ſuperari?*

4. Metuentis mores ſunt, omnia pavere, majora quae impendeant reputare, fingere etiam quae non imminent, conſilia, & vires alienas aeque ac ſuas nec tentare, nec adhibere, nam *pavor etiam auxilia formidat* b, immo ſe impedire, atque ut in bello ſaepe *idem*

a. Lucan. Pharſ. l. 2. v. 15. b: Curt. l. 3. c. 21.

idem metus, qui cogit fugere, fugientes moratur [a], ita in ceteris obtundit aciem conantum. Id interdum habet commodum metus, ut multa fugiat, dum nec audet, nec quidquam adit, hinc illud vetere proverbio celebratum: *Matrem timidi non ſolere flere* [b].

5. Ex timore autem erumpit oris pallor, ſudor, capilli arrecti, vox interclusa, vota, lacrimae: hinc illud Virgilianum ſaepius repetitum, *Obſtupui, ſteteruntque comae, & vox faucibus haeſit* [c], itemque *gelidusque per ima cucurrit Oſſa timor* [d], & Horatianum *Sublimi fugies mollis anhelitu* [e].

6. Denique oratio interdum perturbata, & languidior, niſi propulſandi mali acceſſerit ſpes. Idem Pacuvius loco quem dixi apud Livium. *Per ego te, fili, quaecumque jura jungunt liberos Parentibus, precor quaeſoque, ne ante oculos Patris facere & pati omnia infanda velis.*

Mores: ii notati quantae utilitatis ſint: quae in iis exprimendis ſpectari oporteat.

CAP. XXII.

1. Mores ſunt quae homines in agendo agere conſueverunt; nam cuique mortalium ſuae ſunt voluntates, ſuae agendi rationes a naturae habitu, ab aetatis, regioniſque ſtudiis, & a ſingulorum inſtitutione,

P 2

a. Curt. l. 3. c. 24. b. Nep. in Thraſyb. c. 2. c. 2. Aen. v. 774 & 3. Aen. v. 48. d. Ibi v. 120. alibi alias. e. l. 1, od. 15. v. 31.

ne, & vitae conditione ingenerantur. Idcirco ſi Orator, Hiſtoricus, Poeta ſapienter & cumulate id in tempore exponat quod ſingulorum proprium eſt, magnam laudem conſequetur, nam *duo ſunt, quae admirabilem eloquentiam faciunt, mores, & motus* [a].

2. Itaque tantae ſunt utilitati mores appoſite notati, ut oratio bene morata excellat, ſapientem praedicet Oratorem, & omnem rerum copiam illuſtret: nam *loci ei Oratori demum prodeſſe poſſunt, qui eſt verſatus in rebus vel uſu, quem aetas auditione, cogitatione, & ſtudio affert; ſi erit idem in conſuetudine Civitatis, in exemplis, in inſtitutis, in omnibus voluntatibus Civium ſuorum hoſpes, non multum ei loci proderunt illi, ex quibus argumenta promuntur* [b]. Calleamus igitur eorum ingenia, apud quos dicamus, gentis exempla, & inſtituta, & generatim omnium hominum mores, advertamus, & opportune deſcribamus. Tria haec habe exemplo. Nep. in Annib. c. 1. *Non eſt inficiandum, Annibalem tanto praeſtitiſſe ceteros Imperatores prudentia, quanto Populus Romanus antecedat fortitudine cunctas nationes.* Nam *quotieſcumque cum eo congreſſus eſt in Italia, ſemper diſceſſit ſuperior. Quod niſi domi Civium ſuorum invidia debilitatus eſſet, Romanos videtur ſuperare potuiſſe. Sed multorum obtrectatio devicit unius virtutem.* Quibus verbis duarum maximarum gentium, fortiſſimi Imperatoris, & liberarum Civitatum mores ſine ullo partium ſtudio expreſſit. Caeſ. Bel. Civ. l. 1. c. 4. *Communi fit vitio naturae, ut inviſis, latitantibus, atque incognitis rebus magis confida.*

a. Cic. 2. de Orat. b. Id. ibi.

ſidamus, vehementiuſque exterreamur. Cic. 3. Ver. c. 5. *Nullae ſunt occultiores inſidiae, quam quae latent in ſimulatione officii, aut in aliquo neceſſitudinis nomine*.

3. In moribus commemorandis, aut effingendis quatuor haec emineant, integritas, improbitas, decorum, & conſtantia; ut probi, aut improbi deſcribantur & commemorentur, qui tales vere in agendo ſe praeſtiterunt, aut tales fingi debent, ut pii & fortes a Poetis Carminum ſuorum ſummi viri, impii autem, barbari, efferati eorum adverſarii. Decorum poſtulat, ne puer, ne ſervus, ne muliercula prudentiſſime apud Poetam diſputent, aut agant apud Oratorem non niſi ut vere fecerunt, nec magni viri e contrario. Conſtantia item neceſſaria eſt, ut ii mores hominum apud Poetas perſeverent, ex quibus ſibi conſtent, Oratori autem de eodem homine non varientur, niſi ille vere in alio facto alius fuerit. In aliquam ſpeciem rei ſint, quae ſane longiorem orationem flagitaret, Cic. pro Quinct. c. 3. *C. Quinctius fuit P. Quinctii hujus frater, ſane ceterarum rerum pater familias & prudens & attentus, una in re paullo minus conſideratus, qui ſocietatem cum Sex. Naevio fecerit, viro bono, verumtamen non ita inſtituto, ut jura ſocietatis, officia certi patris familias noſſe poſſet*. Et 2. Phil. c. 35. *Dicebam illis in Capitolio liberatoribus noſtris, cum me ad te ire vellent, ut ad defendendam Rempublicam adhortarer, quoad metueres, omnia te promiſſurum, ſimul ac timere deſiiſſes ſimilem te futurum tui*. Virg. 6. Aen. v. 647.

Primus init bellum Thyrrhenis aſper ab oris

Contemtor Divum Mezentius, agminaque armat.

Et Ovid. I. Faſt. v. 27.

Tempora digereret cum conditor Urbis, in anno
Conſtituit menſes quinque bis eſſe ſuo.
Scilicet arma magis, quam ſidera, Romule, noras,
Curaque finitimos vincere major erat.

Mores hominum ex aetatis indole ingenerati.

CAP. XXIII.

1. INfantes cum primum aliquid fari, internoſcere, & ſignificare incipiunt, riſu parentibus blandiuntur, ultro libant, ultroque accipiunt oſcula, paullatim in gremium accurrunt, id magnnm amoris argumentum putantes, ut parentum delicium eſt, minima, ut nuces, & poma, dona maxima arbitrati, ac praecipue fictas ferarum imagines, tamquam impune tractandas, ac plectendas, eas ipſas facile trepidaturi. Alexander Darii filium collo ſuo admovens, interritoque illo cervicem ejus amplexo apud Curt. l. 3. c. 14. *Quam vellem*, inquit, *Darius aliquid ex hac indole hauſiſſet!* Virg. ecl. 4. v. 60. *Incipe parve puer riſu cognoſcere matrem.*

2. Pueri, praeſertim ſi cognitioni, ac fervori creſcenti recta accedat inſtitutio, ſunt religioſi, verecundi, adverſus Parentes, Majores, atque adeo ipſum Deum pii, ſinceri, aperti, ad omnem virtutem mobiles, quocirca a Chriſto Domino omnium maxime acce-

cepti, ac caeleſtia monita audire juſſi, *ſinite*, inquit, *parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire* a, facile enim credunt, facile ſequuntur, neminem oderunt, omnes diligunt, ad artes, ad litteras, ad pietatem aegre quidem, parum earum praeſtantiam intelligentes, non inviti tamen veniunt, ſpecioſis potius atque amoenis, quam veris & magnis praemiis adducti, facile audita produnt, facile mentiuntur, cum aequalibus multo libentiſſime garriunt, & certant. De his Hor. l. 2. epiſt. 3. v 156.

Reddere qui voces jam ſcit puer, ac pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.

3. Adoleſcentes, fere a duodecimo ad viceſimum aetatis annum accipiam, *cupiditatibus aeſtuant, illa conantur efficere quae concupierint, facile mutantur, ea, quorum cupiditate trahuntur, cito faſtidiunt: illorum voluntates acutae quidem ſunt, ſed non diuturnae, qualis aegrotorum ſitis & fames eſſe ſolet, levi de cauſſa iraſcuntur, animi impetum ſequuntur, propter ambitionem, ac honoris ſtudium pati non poſſunt, ut ab ullo negligantur, cupit enim adoleſcentia ceteris antecellere: ſimplices ſunt, & aperti, quia nondum multa flagitia didicerunt, creduli, quia non ſaepe decepti: bona ſpe aluntur, quia natura calidi ſunt, ut illi qui madent vino, ea potius amplecti volunt quae honeſta ſunt, quam quae utilia, neque enim pecuniae deſiderio trahuntur, quoniam egeſtatem nondum experti ſunt, ma-*

a. Matth. 19. v. 14.

giſque ex inſtitutione vivunt, quam ex ratiocinatione [a]. Hinc ſaepe imprudentes, nec enim conſultus ſemper praeſto eſt, nec aliena conſilia umquam ſatis regunt; ferociores, ſibi omnia polliciti. Addit alia Hor. l. 2. epiſt. 3. v. 160.

Imberbis tandem juvenis cuſtode remoto
Gaudet equis, canibuſque, & aprici gramine campi.
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Utilium tardus proviſor, prodigus aeris,
Sublimis, cupiduſque, & amata relinquere pernix.

4. Juvenes, a vigeſimo anno ad trigeſimum fere quartum interpretabor, virium atque ingenii magnitudine ad juvandum Reip. apti, ſunt *fortes, jucundi, ſpei ſemper pleni, magnanimi, ſtudioſi amicorum, ac ſodalium, propterea quod eorum conſuetudine delectantur, quidquid peccant, contra Chilonis praeceptum, omnia nimis faciunt, nimium amant, nimium oderunt*, nimium ſua profundunt, *quippe qui ſe ſcire omnia exiſtimant, & vitae caſus nondum experti ſunt, & quas injurias faciunt, eas propter contumeliam, non propter malitiam inferunt, faceti, jocoſi* [b], ubique praegeſtientes, majora viribus facile auſi, pericula, & facienda extemplo adeuntes, ac rebus ſuis alienisque non ſatis providentes.

4. Viri, fere a trigeſimo quarto ad quinquageſimum annum conſtituam, omnium optimam aetatem agunt, ſatis enim vigent viribus, conſilio autem, praeteritarum rerum cognitione, & futurarum quadam divinatione praecedunt; ideoque ſunt providi, maturi, pru-

a. Ariſt. Rhet. l. 2. c. 30. a text. 370. ad 384. b. Id. ibi a text. 181. ad 187.

prudentes, *quoniam pluribus in rebus decepti ſunt, nihil plane confirmare ſolent, de quaque re* ſapienter *ambigunt, neque vehementer amant, neque vehementer oderunt, ſed ex Biantis praecepto, amant tamquam oſuri, & oderunt tamquam amaturi* [a], neque temere omni affirmanti credunt, neque perviçaciter fidem derogant: itaque fere ſunt ſapientes, conſtantes, & ſatis ad agenda promti. Addit Hor. l. 2. epiſt. 3. v. 165.

Converſis ſtudiis aetas animuſque virilis
Quaerit opes, & amicitias, inſervit honori,
Commiſiſſe cavet quod mox mutare laboret.

6. Senes *parvi animi ſunt, quoniam longa aetas eorum ſpiritus frangit, nihil magnum, nihil eximium appetunt, ſed ea tantum, quae ſunt ad vitam neceſſaria* [b]. cujus ſunt cupidiſſimi, ut qui amittendae vicini, avari, *timidi, ſemperque verentur, ne aliquid ſibi mali contingat* [c]. Pulchre Hor l. 2. ep. 3. v. 168.

Multa ſenem circumveniunt incommoda, vel quod
Quaerit, & inventis miſer abſtinet, ac timet. uti,
Vel quod res omnes timide, gelideque miniſtrat:
Dilator, ſpe longus, iners, aviduſque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, cenſor, caſtigatorque minorum.

7. Quamquam vero haec univerſe certe ita ſint, bona aut mala vitae inſtitutio vel ſibi a ſe, vel ab aliis propoſita, bonus ac felix, aut malus & ſegnis naturae habitus ea omnia accelerat, immutat, pervertit.

Mores

a. Ariſt Rhet. l. 2. c. 31. a text. 189. ad 192. b. Id. ibi text. 193. c. Id. ibi tex. 194.

Mores hominum ex vitae, & actionum genere.

CAP. XXIV.

1. Optimorum Principum, quodcumque tandem ex imperio nomen habeant, ingenium eſt regnum Deo Opt. Max. acceptum referre, ejus legi ſubjicere, gloriam & cultum amplificare, ut bonum, felix, fauſtumque populis ſit, & tanto muneri explendo divinitus lumen, ac vires poſtulare, & optimis Conſultoribus ſaepire ſe, praeclariſque amicis munire, *non enim exercitus, neque theſauri praeſidia regni ſunt, verum amici* [a]. Ipſi vero mente, conſilio, vigilantia, virtute cunctis praecedunt, *imperium enim iisdem artibus retinetur, quibus initio partum eſt* [b], virtute autem ſupra ceteros partum eſt. Faciles ad ſe aditus praebent, ſolantur omnes, omnes reficiunt, bonos praeficiunt multitudini, malos impunitos non ſinunt, ſe autem de populo unum prope reputant. Talis Plinio praedicatus Trajanus. *Tu etiam nomen patriae Patris recuſabas. Quam longa nobis cum modeſtia tua pugna? quam tarde vicimus? Quod nomen qua benignitate exerces! Cum Civibus tuis quaſi cum liberis parens vivis, eosdem nos, eumdem te putas, par omnibus, & hoc tantum ceteris major, quo melior.*

2. Tyranni ſunt ſuperbi, crudeles, efferati, non populorum fauſtitatem, ſed regni ſui

a. Sall. Bel. Jug. c. 10. b. Id. Con. Catil. c. 2.

ſui diututnitatem volunt, caedium avidi, aut quidem non abſtinentes, dum eos metuant, nihil curant quod populi oderint, malis favere quam bonis malunt, *nam Regibus boni, quam mali ſuſpectiores ſunt* [a], ad divina & humana miſcenda parati, dum regnum ſibi tueantur, immo & ſimilibus ſui, nam *Tyrannus Tyranno operam praeſtat* [b].

3. Virorum unius imperio parentium mores ſunt, Regem ſuum communis tranquillitatis, ſalutis, vitae vere auctorem, ſervatorem, amplificatoremque ſuſpicere, venerari, ſequi; ejus dicto audientes ſunt, eum conſilio, vigilantia, opera juvant, ac tuentur, illius ſaluti atque honori fortunas, vitam devovent, ſi opus ſit: nam *qui in regno vivunt, his regium nomen ſanctum eſt* [c].

4. Viri autem in Republica aliqua patriae, ac libertatis nihil antiquius habent, quippe qui ampliſſimos in ea honores aut obtinent, aut ſperant, pro aris & focis eam tueri debere ſe, ac *manendum* ſibi *in vigilia quadam Conſulari ac Senatoria* quiſque *ſtatuit* [d]. Cives inter ſe facile ſimultates ſerunt, & inimicitias ſuſcipiunt honorum cauſſa, eaſdem facile ponunt, ac patriae donant, ſi externa vi aliqua petantur. Itaque inſidiarum ſuſpiciones, nedum hoſtium apparatus, & bella odorantur omnia, decertaturi, & morituri etiam, nam *Dulce, & decorum eſt pro patria mori* [e].

5. Ii vero, qui in ſenatu aut in regno ad conſilia, & deliberationes adhibentur, recta conſilia, utilia, ſalubria, pulcherrima excogi-

a. Sall. Con. Catil. c. 10. b. Herodot. l. 8. ex interpr. Vallae. c. Cic. pro Leg. Manil. c. 9. d. Id. 1. Phil. c. 1. e. Hor. l. 3. od. 2. v. 13.

gitant, proponunt, atque expediunt, & nihil jure praeclarius putant, quam vera, magna, & manſura offerre, nam *Civitati conſulenda quae ſunt optima*[a]. Et certe a rectis conſiliis ſalus, vita, felicitas proficiſcitur; quare optimi Conſultores regnorum parentes ſunt, gloria, incrementum.

6. Nobili loco nati, & in civitate principes cum ex ingenita avorum laude vitam inſtituunt, nihil niſi magnum, niſi praeclarum, niſi ſempiternum ſpectare videantur, ut acceptam a Majoribus gloriam non tueantur modo, ſed amplificent: itaque omnes dignari, juvare, reficere ſolent, honeſtum utilitati praeferunt, & ſordide, nedum improbe factis abhorrent, ſuis ipſorum magis, quam parentum factis ſuſpici malunt. Si autem generis praeſtantia abutantur, tumidi incedunt, minores ſibi obſequi jubent, non ſervientes agitant, ac ſaevit *contemtor animus & ſuperbia, commune nobilitatis malum*[b]. Quocirca *homines nobiles ſeu recte, ſeu perperam facere ceperunt, in utroque excellunt*[c].

7. Litterati homines maximum bonum ſapientiam, eam ex animo diligunt, acerrime inveſtigant, in inveſtigando humaniſſima animi remiſſione perfunduntur, inveſtigatam *ſine invidia communicant*[d], juventutis juvandae, ad ſcientiamque ducendae maxime amantes. Pari ſtudio addictos diligunt, patriae litteratos praecipue praedicant, facile aemulos atterere, aliis invidere, aegre cedere aſſueſcunt, nam *Qui velit ingenio cedere rarus erit*[e], niſi

a Dictum Cleobuli apud Laert. l. 1. in ejus vita.
b. Sall. Bel. Jug. c. 68. c. Cic. pro Caecinna.
d. Sap. 7. v. 13. e. Mart. l. 8. epigr. 17.

niſi ſe inſigni virtute temperant. Si vero ſcientia praeclare abutantur, ſordidati, aut quidem neglectr, vel quaſi ſenſu alienati incendere, ſe unos ſuſpicere, ſibi unis credere, ſua defendere, frangi citius quam victos ſe dedere, errori etiam perſpecto inhaerere, ſuperbiuſcule omnia traducere ſoliti.

8. Divites ab opibus ſuis ſapienter in ſuos, alienoſque uſus impenſis ſunt gratiſſimi mortales, ſplendidi, munifici: quia vero *opulentia vitii magis quam virtutis miniſtra eſt* [a], ſaepius, *contumelioſi ſunt*, *ſuperbi*, *quaſi omnia bona poſſideant* [b], ſapientiam tamen, probitatem, conſilium pecunia non ementes; *felicitatem ſuam oſtentare gaudent*, *inaniter elati*; *quia multi divitum ope indigent*, *putant ſe dignos qui aliis imperent*; *denique qui mores inſipientis fortunati ſunt*, *iidem divitum* [c]. Cumulatis in ſuos quoque uſus abſtinent, ac vivunt *inter opes inopes* [d]. Facile injurias inferunt, & pecuniam ad omnis facinoris impunitatem parant, ita teterrimi mortales facti.

9. Qui in imperio ac poteſtate ſunt, ut Regum adminiſtri, Praetores, Imperatores, cum praeclare agunt, ſunt humani, liberales, ceteros beneficiis cumulandi amantes, ut *bene Remp. & ex utilitate omnium rexerint* [e], & quantum poſſunt, tantum juverint. Sunt etiam *multo magis ſtudioſi*, *ut potentiam conſervent*, *& excelſo animo* [f]. Qui vero male, ſibi licere volunt quidquid poſſunt, nec conſilia, nec jura audiunt, cunctis ſunt formi-

di-

a. Iſocr. ad Demon. b. Ariſt. Rhet. l. 2. c. 34. tex. 428. c. Id. ibi a tex. 430. ad 434. d. Hor. l. 3. od. 16. v 28. e. Plin. Paneg. ad Trajan. quo loco tamen habet *Rexeris*. f. Ariſt. Rhet. l. 2. c. 34. tex. 439.

dini, *propterea quod omnes, quorum in alterius manu* opes, fama, *vita poſita eſt, ſaepius illud cogitant, quid poſſit is, cujus in ditione ac poteſtate ſunt, quam quid debeat* [a].

10. Qui vagi ſunt, ut Milites, Nautae, Mercatores, ut qui ſaepe in vitae diſcrimine verſati, ſaepe etiam ex eo ſervati, & magno animo, & viribus ad ea ornati, nec vitam, nec mortem, nec praeſentia, nec futura aut ſupplicia, aut gaudia admodum curant. Cum inſtat periculum, humanam divinamqne opem implorant, cum abiit, nihil prope jam verentur: contumélioſi, fraudulenti, iniqui. Inter vitia tamen eorum magnae ſaepe virtutes exſtant.

11. Plebs imperita eſt, ignara, inconſtans, pervicax, rerum novarum avida, dona potius, quam donantes amat, ſine conſilio in negotia irruit, & ſine cauſſa ab iis recedit, primo impetu formidanda, ubi acquievit ardor, pavida ultro ceſſat, *terret, ni paveat* [b], *ex veritate pauca, ex opinione multa aeſtimat, aut ſervit humiliter, aut ſuperbe dominatur* [c].

12. Mulieres ſunt parvi animi, trepidae, nominis ac famae ſolicitae, veſtium, modorum nitorem, & inconſtantiam mirantes, deliciarum, & inanium commoditatum potius, quam magnarum, & manſurarum ſibi, aliiſque cupidae, mollioribus verbis & officiis facilius, quam magnis & veris momentis ducuntur, garrulae, molles, infirmae, aegrius quam viri juri ſuo cedunt, hinc ſaepe *initium turbandi omnia a femina ortum* [d], & maxime va-

a. Cic. pro Quinct. c. 2. b. Tacit. 1. Annal. c. 7. c. Cic. pro Roſc. Comoed. d. Liv. l. 1. c. 46.

variae, quam ob rem Virgilio dictum, *varium & mutabile ſemper Femina* [a]. Sunt & certae mulieres virilis indolis. Univerſe piae ſunt, religioſae, verecundae, ſatis acutae, ingenioſae, & in litteris ſatis multae pulcherrime progreſſae.

Mores variarum gentium ex Regionum indole.

CAP. XXV.

1. ITali, ut qui in pulcherrima, & optima terrarum ſede nati, facile prae ceteris humani ſunt, ingenioſi, perſpicaces, in meditando, agendoque promti, & celeres, ſatis fortes, & laboris ſatis patientes, in officiis tamen interdum ficti, atque in agendo obſcuriores, ferme ad omnia apti, induſtrii nec manu minus, quam mente idonei: quocirca omnes praeclarae artes aut inventionem, aut incrementum iis referunt acceptum. In his Etruſci ſolertes, culti, diſerti, acuti. Inſubres ſinceri, aperti, ſubiti, ideoque inconſideratiores. Neapolitani mobiles, faceti, varii, inquieti. Veneti alacres, elegantes, prudentes. Allobroges tolerantes, fortes, ingenui, vel naturae vel loci habitu mobiles.

2. Germani acres, fortes, duri, laboris, frigoris, operae patientiſſimi, animis aperti, a corporis, & officiorum cultu potius abhorrentes, gens plane gerendis inſtaurandiſque bellis nata, nunc quidem immani Turcarum gregi divinitus oppoſita: ex bellici furoris

a. 4 Aen. v. 569.

indole ferocior, & ſi duci aut falli ſe ſentiat efferatior.

3. Galli elegantes, venuſti, alacres, officioſi, ingenio & manu celeres, & primo impetu ſingulares, *ſunt enim Gallorum ſubita & repentina conſilia, & ingenia* [a], deinceps vero paullo molliores, diuturni, & quaſi affixi laboris impatientes. In bellis, in litteris, in ceteris virtutibus omni aetate praeclari, praeſertim poſtquam certo Regi obtemperant, quem omnium maxime colunt.

4. Hiſpani graves, ſeveri, magno & excelſo animo praediti, magnifice de ſe ſentientes, & aliis cedere omnium minime ferentes, gloriabundi, tumidiores, & in ſuſcipiendis, ſuſceptiſque negotiis paullo tardiores, conſtantes tamen, & alta ſpectantes.

5. Siculi & Sardi ſeveriores ſunt, accurati, propoſiti tenaces, fere rudiores, & incomti.

6. Angli quaſi Angeli ex corporis forma, gratia, & dexteritate, ſolertes ſunt, mirifice induſtrii, ingenioſi, rebuſque agendis aptiſſimi. Ex negotiorum, mercium, & hoſpitum commercio callidi, atque aſtutiſſimi, etiam inquieti, & mobiles: quam indolem finitimi eorum Belgae praeſeferunt.

7. Dani, Suevi, Moſchi ſunt proceri, torvi, duri, & paullo tardiores, ſed ubi inſtitutio, & exercitatio acceſſit, interriti, conſtantes, audentes, impavidi, hac praeſertim aetate.

8. Hungari, Poloni, Bohemi corporis animique viribus pollentes, non rudes, novarum rerum cupidi, nec ſatis quieti, meliora, quae procul ſunt poſita, reputantes.

9. Per-

a. Caeſ. Bell. Gall. l. 3. c. 8.

9. Perſae, ut in opulento ſolo educati, ſunt delicati, molles, & magnifici: nunc in primis culti, idonei, & in magnis rebus exercitati.

10. Turcae, ac pares barbari, impetu magis, quam ratione viventes, & ad omnem immanitatem praecipites, in omni ferme rerum genere, ubi prima conſilia ex ſententia ceſſerint, audentiſſimi, audaciſſimi: ſin conrta abjectiſſimi, & prope complorati.

11. Graeci olim cultiſſimi, ſapientes, & multarum virtutum viri, nunc abjecti, & ſordidi, ſemper fallaces, hinc *graeca fides* proverbio celebrata. Hebraei noſtra aetate fraudulenti, ſordidi, pervicaces, nullarum virtutum luce inſignes; cum divinae legi paruerunt, praeclari, numquam ſatis conſtantes, aut aeterna ſatis ſpectantes.

12. Indi, & Americani ſimplices, creduli, ſuarum rerum atque inſtitutorum amantes, ſuperſtitioſi, non aegre tamen utilia, vera, & ſancta monſtranti aſſentientes, licet facilius ea omittant; ſua ſaepius facta, & ſuas laudes fingunt, quam probent, ſatis ad magna capaces, & maxime ad litteras.

13. Itaque multi *ingenerantur hominibus mores a ſtirpe generis, multi ab ipſa natura loci, plurimi a vitae conſuetudine, quibus alimur, & vivimus, Carthaginienſes fraudulenti, & mendaces, non genere, ſed natura loci, quod propter portus ſuos multis, & variis mercatorum, & advenarum ſermonibus ad ſtudium fallendi ſtudio quaeſtus* (hos nunc intellige, qui, ut illi olim, lucro maxime, ſempiternis praemiis aut ſuppliciis minimum ducuntur) *vocantur. Ligures* (non hujuſmodi

noſtra aetate, ſatis inclitae Reip. ibi ſede conſtituta, Civium numero, & ſtudiis florente, *montani, duri, atque agreſtes; docuit ager ipſe nihil ferendo, niſi multa cultura, & magno labore quaeſitum; Campani ſemper ſuperbi bonitate agrorum, & fructuum, magnitudine urbis, ſalubritate, deſcriptione, pulchritudine* a.

13. At enim nihil aeque valet ad mores etiam ingenerandos ac recta inſtitutio, incorrupta religio, ſempiternorum ſpes, & divini amoris felix flamma. Aetatum memoriam repete, orbem circumſpice, & nunc imperitos, barbaros, impios, qui olim ſcientes, culti, pii; contra autem cultos, inſtructos, religioſos eos contemplatus, qui aliquando ex iis virtutibus nec nominati, culturam, & pietatem amplectere.

RHE-

a. Cic. 2. Agr. c. 35.

RHETORICARUM INSTITUTIONUM

LIBER QUARTUS,

Qui eſt de argumentatione.

Diſpoſitio argumentorum tantum poteſt in dicendo, ut ad vincendum nulla plus poſſit.
Cic. 2. de Orat. c. 42.

~

Dialecticae neceſſitas ad oratoriam ratiocinationem.

CAPUT I.

Multa ſunt, quae Dialecticae vim atque operam cumulate Oratori tenendam ad bene apteque dicendum perſuadent; duo vero in primis. Unum eſt, ut orationi vera vis inſit, ejuſque omnia ſint legitime deducta, vere confirmata, planeque evincant, nec multa ſint, quae rem propoſitam onerent & gravent potius, quam inducant, ornent, ſatiſque arment; ſeu quae ſint ad cauſſam probandam rerum ſtrues verius, quam ſeries, & probatio. Qui enim omnes ad rem ſuam ingenioſe cogitata, animadverſa, & dicta, omnes graviſſimorum

virorum auctoritates, omnia hiſtoriarum exempla afferre, aut ingerere velit, rem obruet, non exponet, confirmabit, perſuadebit. Bonus itaque Orator vere excogitabit, rem ex re legitime inferet, ad rem ſuam optima, & quae vere confirment, eliget, diſparata reſpuet, licet non ineruditа, nec indiſerta, ut ſane evincat audientes *oratio enim ac ratio unum atque idem prope ſunt* [a].

2. Alterum eſt, ut oratio, ejuſque omnis pars nativum quemdam, germanum, ac legitimum ordinem complectantur, ac praeſeferant. Nam ſingula ita diſtribuere, elaborare, ac dicere, ut ab alio aliud vere oriatur, aut ei quidem conjungatur, majus opus eſt quam quod ſe oſtentet, ſed verae, perfectaeque Dialecticae opus eſt, atque Oratori neceſſarium: idcirco Ariſtoteles, *Rhetorica*, inquit, *Dialecticae affinis eſt, & quaſi ex altera parte reſpondet* [b]: *ſine qua*, ut multo gravius Dialecticam familiariſſimo ſuo commendat Cicero, *tu recte judicaviſti te juſtam eloquentiam conſequi non poſſe* [c]. Nos quoque *igitur prius de formis enthymematum, quam de locis dicamus* [d].

3. Non autem Dialecticam poſtulari putes, ut Dialecticorum formulas, & diſputandi ſubtilitates in orationem obtrudas; *aliud enim videtur oratio eſſe, aliud diſputatio* [e]; ſed ut vis, ac ratiocinandi legitima lex in oratione vigeat, ut dictum eſt: ceterum multo omnia amplius, multo ornatius, nec adeo tan-

a. Pallav. Tractat. Stil. c. 1. num. 1. & Averan. Diſſert. 12. in Cic. num. 1. b. Rhet. lib. 1. c. 1. tex. 1. ex interpr. Majorag. c. Cic. in Brut. c. 90. d. Ariſt. Rhet. l. 1. c. 14. text. 116. e. Cic. in Orat. c. 31.

tandem ſevere: *noſtra enim oratio multitudinis eſt auribus accommodanda, ad oblectandos animos, ad impellendos, ad ea probanda, quae non aurificis ſtatera, ſed quadam populari trutina examinantur* [a]. Nec amem eas formas: *meum onus erit oſtendere*; *id ſuſcipio*: *acrius urgeo argumentum*: *ſua forma conſtat mea haec argumentatio*: *probo*: *diſtinguo*: *non advertentes ad alteram orationis partem pervenimus*: *nunc opportune venit in mentem*; *vera in re altius animadverto*: ejuſque generis alia, quae facienda ſunt, non praedicanda, multo minus jactanda, licet ſpecioſa dictu, & ſcientiae pompa plures delectet, & *vel error honeſtus eſt magnos duces ſequentibus* [b].

Argumentum: ejus artificium: ea ad Rhetoricam pertinere.

CAP. II.

1. Argumentum eſt *ratio, quae rei dubiae faciat fidem* [c]. Haec autem ratio interdum quidem eſt certa, & prope ineluctabilis, interdum vero eſt probabilis, & veriſimilis; & quoniam *Rhetorica non utique propoſitum habet ſemper vera dicendi, ſed etiam veriſimilia* [d], ideo argumentum etiam dictum eſt, *probabile inventum ad faciendam fidem* [e].

2. Argumenti igitur natura eſt, ut ex rebus certis, exploratis, conſtantibus, aut ſatis veriſimilibus, & probabilibus dubiae, & incertae inferantur, & comprobentur, quae in

a. Cic. 2. de Or. c. 38. b. Quinct. Inſtit. Orat. l. 11 c. 6. c. Cic. Top. c 2. d. Quinct. l. 2. c. 18. e. Cic. Part. Orat. c. 1.

contineantur, aut certe ex iis proficiſcantur. Hinc argumenti, atque argumentationis artificium in eo poſitum eſt, ut peculiari, ac dubiae rei certa alia, & communis legitime applicetur, utque in commune illa, & certa peculiarem, ac dubiam contineri, aut proficiſci, aut conjunctam eſſe conſtet, atque appareat, & ex certis incerta confirmentur. Hoc pacto, ſi animi penderem, an ſingulare hominis ornamentum morum comitas ſit, audiamque eam mirifice ſibi omnium animos, & amicitiam conciliare, eam omni loco, omni tempore homini poſſe exerceri, eam, quantum fortitudini, conſtantiae, ac munificentiae rerum magnitudine concedit, tanto iisdem actionum numero, & frequentia praecedere [a], mihi atque ante velut dubiae rei fides facta eſt, & peculiaris quaeſtio ex communi & certa re confirmata.

3. Haec autem ad Rhetoricam pertinere nemo inficiabitur, qui Oratori confirmanda, atque evincenda, quae contenderit, fateatur. Maximus ſane artis Doctor Ariſtoteles male permultos Rhetoricam tradidiſſe affirmat, *quod de artificioſis probationibus nihil praeceperant* [b]. *Certum eſt enim, atque exploratum, eam viam, atque rationem, quae ad artem pertinet, totam in probationibus eſſe poſitam, tunc enim maxime credimus, cum recte concluſum eſſe arbitramur* [c]. Male itaque effectum poſtularet, qui cauſſam repudiaret.

Ar-

a. Vide exordium aurei libelli Joannis Caſae, qui Galateus inſcribatur. b. Rhet. l. 1. c. 3. tex. 22. c Id. l. 1. c. 5. tex. 28.

Argumentatio: ejus genera: & quae ſint maxime Oratori propria.

CAP. III.

1. ARgumentatio eſt *artificioſa argumenti expolitio* a, ſive copioſior argumenti explicatio ejusque oratorie, proponendi, urgendique ratio.

2. Octo ſunt ejus genera, ſi univerſe de argumentatione diſputemus, Syllogiſmus, enthymema, epicherema, dilemma, exemplum, inductio, ſorites, & inverſio.

3. Syllogiſmus, argumentationum omnium tamquam parens, nam in eum ceterae revocantur, eſt oratio tribus propoſitionibus artificioſe compoſitis incerta ex certis concludens. Prima Propoſitio *propoſitum* nominatur, quod pronunciatum, ac documentum illud certius, latiuſque pervagatum proponitur: altera *aſſumtio*, quod pronunciatum illud ad cauſſam, & rem in dubium vocatam accommodatur, atque aſſumitur, ſeu res dubia cum illo convenire, ex illoque proficiſci intelligitur: tertia *complexio*, quod in ea res certa, & dubia jam ſeſe complecti videantur, in eaque Orator complectitur, quod contendebat. Raro admodum hiſce omnibus propoſitionibus comprehenſam argumentationem adhibet Orator, Poeta, Hiſtoricus, aliquando tamen, ut Liv. lib. 24 c. 8. in oratione Fabii Maximi, qua ille T. Otacilium blande ſimul ac graviter urget. *Quilibet*

a. Cic. 1. Topic. c. 3.

libet nautarum, ait, *vectorumque tranquillo mari gubernare poteſt; ubi ſaeva orta tempeſtas eſt, ac turbato mari rapitur vento navis, tum viro, & gubernatore opus eſt.* Haec eſt argumenti, & conceptis quidem verbis major propoſitio; en jam aſſumtio ſine ulla item vel rationum, vel motuum, aut hiſtoriarum amplificatione conſequitur. *Non tranquillo navigamus mari, ſed jam aliquot procellis ſubmerſi paene ſumus.* Ecce autem complexio. *Itaque quis ad gubernacula ſedeat, ſumma cura providendum, ac praecavendum nobis eſt.*

4. Enthymena, quod *oratorius eſt, ac truncatus ſyllogiſmus* [a], eſt argumentatio duabus propoſitionibus artificioſe compoſitis incerta ex certis concludens. Truncatus vero ſyllogiſmus dicitur, quod maxime perſpicua propoſitio tacita praeteritur: itaque prima propoſitum, complexio altera nuncupatur. Tale hoc Sall. Con. Cat. cap. 1. *Omnis noſtra vis in animo, & corpore ſita eſt: animi imperio, corporis ſervitio magis utimur: alterum nobis cum Diis, alterum cum belluis commune eſt.* Totum hoc major eſt propoſitio ſatis illuſtrata, & amplificata; ex ea nunc rem infert. *Quo mihi rectius eſſe videtur ingenii, quam virium opibus gloriam quaerere, & quoniam vita ipſa, qua fuimur, brevis eſt, memoriam noſtri quam maxime longam efficere: nam divitiarum & formae gloria fluxa atque fragilis eſt, virtus clara aeternaque habetur.* Id enim Dialecticorum more ac lege comprehenſum proponeretur: longe animi quam corporis viribus praeſtamus, ergo rectius eſt ingenio gloriam quaerere, & vitam hanc fluxam cum omni poſterirate exaequare.

a. Quinctil. l. 1. c. 19.

5. Epicherema unica propoſitione incerta ex certis concludit: vel affert enim rationem certam, quae rem incertam comprobat dubiam reticens, vel in incerta, quae fuit probanda, rationem ipſam includit, ſimulque utramque urget, ea ſignificans, non exprimens. Hujus indolis hoc Virg. 8. Aen v. 806.

Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?

Horat. Carm. lib. 4. od. 4. v. 61.

Vis conſili expers mole ruit ſua.

Et Dido Aeneae eleg. 7. Heroid. v. 129.

Pone Deos, & quae tangendo ſacra profanas:
Non bene Caeleſtes impia dextra colit.

6. Dilemma eſt argumentatio utrinque adverſarium urgens, in ea enim quaelibet pars ab eo conceſſa fuerit, aeque ille capitur; hac de cauſſa cornutus ſyllogiſmus dictus. Ut rite autem concludat, duas res omnino certas, & adverſario ambas contrarias, & tamquam fatales urgeat neceſſe eſt, ut nullam inviolatus poſſit concedere; tum vero mirifice probat, ac recreat illo rerum quaſi conflictu. Hac vi, & gratia Cic. 1. Catil. c. 7. *Diſcede, & hunc mihi timorem eripe, ſi verus, ne opprimar, ſin falſus, ut tandem aliquando timere deſinam.* Et 2 Phil. c. 45. *Judicia non metuis; ſi propter innocentiam, laudo; ſi propter vim, non intelligis, ei, qui iſto modo judicia non metuit, quod timendum ſit.*

7. Sorites eſt multarum argumentationum veluti acervus, in eo enim ſaepius *aliquid minutatim, & gradatim additur, aut demitur* a, atque ex uno jam conceſſo ad alia ex eo concedenda progreditur. Id tamen eloquen-

a. Cic. in Lucullo c. 15.

quentiae vix ulli umquam fere uſui eſt, & certe ſi vel unum falſum eſt, totum corruit, eaque de cauſſa vitioſum argumentandi genus a Tullio eſt dictum. Sit exemplum hoc Cic. 5. Tuſc *Quod bonum ſit, id expetendum, quod expetendum, id certe approbandum, quod approbandum, id certe gratum acceptumque habendum; ergo etiam dignitas ei tribuenda eſt; bonum igitur omne laudabile: ex quo efficitur, ut quod ſit honeſtum, id ſit ſolum bonum.*

8. Inverſio, ſive oppoſitio ex ipſis Adverſariorum rationibus Adverſarios premit, vel ipſos ſibi non conſtare, ſecumque pugnare oſtendens, & cauſſam, cui contradicunt, potius probare, vel ex propoſita eorum ratione contrarium concludens ac ipſi voluere. Id vero Oratoribus maxime accommodatum, quod ex ſuo ipſorum dicto homines capiunt, ac tenent. Praeclare Phocion, magnus ille Athenis vir, hortantibus Philippi Legatis, ut ſi Regis munera ſibi repudiaret, at liberis ſuis conſuleret, eaque acciperet, *ſi mei*, inquit, *ſimiles erunt, idem hic agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem duxit, ſin diſſimiles mei ſunt futuri, nolo meis impenſis illorum ali augerique luxuriam* a.

9. Exemplum ex ſimile, aut pluribus ſimilibus ſimile concludit. Id quidem perſuaſioni eſt maxime accommodatum; nam *exempla ſunt in omni genere cauſſarum efficaciſſima* b. Optima autem ſunt, quae incorruptam hiſtoriam continent, bona & ficta, aut ex fabulis deducta, ſed parcius Oratori. & ex eorum geſtis ducta, apud quos oratio habetur, ſunt gratio-

a. Nep. in Phoc c. 1. b. Quinctil. l. 2. c. 4.

tiora, ut quae propius eos attingunt. Cic. pro Arch. c. 7. *Quis noſtrum tam animo agreſti ac duro fuit, ut Roſcii morte nuper non commoveretur? qui cum eſſet ſenex mortuus, tamen propter excellentem artem, ac venuſtatem videbatur omnino mori non debuiſſe: ergo ille motu corporis tantum amorem ſibi conciliarat a nobis omnibus, nos animorum incredibiles motus, celeritatemque ingeniorum negligemus?* Et Hor. l. 2. od. 9.

Non ſemper imbres nubibus hiſpidos
Manant in agros, aut mare Caſpium
Vexant inaequales procellae
Uſque, nec Armeniis in oris
Amice Valgi, ſtat glacies iners
Menſes per omnes.
Tu ſemper urges flebilibus modis
Myſten ademtum: nec tibi veſpero
Surgente decedunt amores
Nec rapidum fugiente ſolem.
At non ter aevo functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum ſenex
Annos, nec impubem parentes
Troilon, aut Phrygiae ſorores
Flevere ſemper: deſine mollium
Tandem querelarum.

10. Inductio ex pluribus particularibus aliud particulare concludit, ſive, *ex pluribus collectionibus pervenit quo vult* [a]. Aliquando per interrogationem, ac reſponſionem fit, aliquando ſimplici contentione; immo vel ex partibus totum, vel ex formis genus, vel ex ſimilibus ſimile colligit. Ceterum diſciplinarum tractationi, quam orationis eloquentiae aptior, atque *adeo Oratoribus indu-*

a. Cic. Top. c. 6.

ductio, quae probat, non quae explicat interpretare, *non eſt niſi paucis locis accommodata* [a]. Elegans haec Xenophontis. *Difficile eſt vel unum hominem otioſum alere, multo difficilius familiam, omnium vero difficillimum exercitum alere otioſum; numquam ergo convenit exercitum eſſe otioſum* [b]. Et Ovid. 1. Triſt. eleg. 4. v 17.

Si tamen haec navis vento ferretur amico
Ignoraretur forſitan iſta fides.
Theſea Pirithous non tam ſenſiſſet amicum,
Si non infernas vivus adiſſet aquas.
Ut foret exemplum veri Phocaeus amoris,
Fecerunt furiae triſtis Oreſta tuae.
Si non Euryalus Rutulos cecidiſſet in hoſtes,
Hyrtacidae Niſo gloria nulla foret.
Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſit duro eſt inſpicienda fides.

11. Ex iis argumentationibus *Enthymemata, & exempla Rhetorica ſunt inſtrumenta* [c], quemadmodum diſputantium diſciplinarum ſyllogiſmus, atque inductio. Etenim enthymemata, atque exempla ſuadent, atque urgent vehementius, ut quae natura *probant magis quam confirmant* [d]: ſyllogiſmus ſubtilius, & ſeverius probat, ideo non ſatis multitudinis facultati aptus; inductio autem *magis explicat, quam probat* [e].

Quid

a. Ariſt. Rhet. l. 2. c. 41. tex. 505. b. De Inſtit. Cyri l. 1. c. Ariſt. Rhet. l. 2. c. 41. text. 405. & Joſephus Platina proluſ. ad Art. Orat. c. 1. §. 1. d. Id. ibi diſput. 2. e. Id. ibi.

Quid ſit verum: veriſimile: probabile: improbabile: falſum: quibus nitatur oratio: a quibus abhorreat.

CAP. IV.

1. VErum eſt id, quod ita re ipſa ſe habet, ut affirmatur: itaque vera eſt propoſitio, quae rem aliquam aſſerit, uti plane eſt, ut: *fragilitatis humanae nimia in proſperis rebus oblivio eſt* [a]; *Iſtuc* * *eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt videre, ſed etiam illa, quae futura ſunt, proſpicere* [b]: vera illatio, quae legitime ex re certa concluditur, ut *ſi veritate amicitia, fide ſocietas, pietate propinquitas colitur, neceſſe eſt, iſte, qui amicum, ſocium, affinem fama, ac fortunis ſpoliare conatus eſt, vanum ſe, & perfidioſum, & improbum eſſe fateatur* [c]: vera hiſtoria, quae factum quodpiam narrat, ut profecto contigit, quale eſt Ciceronem Catilinae conjurationem patefeciſſe atque extinxiſſe, ex eo autem non minus apud bonos gloriae, quam apud malos Cives ſibi incommodi peperiſſe.

2. Veri autem plura ſunt genera: unum omnino certum, ac prope ineluctabile, ſimulque perſpicuum, ſenſuque perceptum, quod nemo ſanus inficiari poſſit, ut hoc Tullii, *Deus eſt qui regit, qui gubernat, qui curſum aſtrorum, qui mutationes temporum, rerum viciſſitudines, ordineſque conſervat, qui hominum*

a. Curt. l. 4. c. 34. * Pro *iſtud* more comico. b. Ter. Adelph. act. 3. ſc. 4. c. Cic. pro Quinct. c. 6.

num commoda vitaſque tuetur [a], & Horatii, *Aequa tellus pauperi recluditur, Regumque pueris* [b]: alterum forte aeque certum, ſed reconditum, ac prope arcanum, quod in ſenſum vix cadat, ut hoc, *Quidquid aetatis retro eſt, mors tenet* [c]; &, *Ii vivunt, qui e corporis vinculis, tamquam e carcere evolaverunt; noſtra * vero, quae dicitur vita, mors eſt* [d].

3. Veriſimile eſt quod aut ipſam plane veritatem, aut ejus certe ſimilitudinem continet; neque enim ſemper verum ipſum cerni atque afferri poteſt, quod *in profundo veritatem eſſe demerſam* [e] aut inveſtigationis difficultate, aut opinionum varietate cum Democrito fateamur; tum ergo quod veriſimile videatur afferimus; ut quod parentes filios ſuos diligant, filiique parentes; quod praeſtantes viros ceteri venerentur, quod prudentiſſimi viri non decipiantur, ita enim plerumq; fit. Id autem in ſimplici affirmatione, in argumentatione, in hiſtoriarum factis, quemadmodum etiam in probabili, in falſo contingit, ut ſemel de toto hoc genere dictum ſit. Veriſimili argumento Antonium non hereditario nomine, ſed vi in multas poſſeſſiones invaſiſſe oſtendit Cic. 2. Phil. c. 16. *Te is, quem numquam vidiſti, L. Rubrius Caſinas fecit heredem. Et quidem vide quam te amarit is, qui albus aterne fueris ignorans fratris filium praeteriit Q. Fuſii honeſtiſſimi Equitis Romani, ſuique amiciſſimi, quem palam heredem ſemper factitarat, ne meminit qui-*

a De Nat Deor b. l. 2. od. 18. v. 32. c. Sen ep. 1. * *Veſtra*, ait auctor. quia Scipio loquitur de caelo oblatus, ut fingitur. d Cic. Somn. Scip. c. 3. Id. 1. Acad. Quaeſt. c. 12.

dem; te, quem numquam viderat, ac numquam ſalutaverat, fecit heredem. Velim mihi dicas, niſi moleſtum eſt, L. Turſecius qua facie fuerit? qua ſtatura? quo municipio? qua tribu? Nihil *ſcio, inquies, niſi quae praedia habuerit. Igitur fratrem exheredans te faciebat heredem.*

4. Probabile, minus quiddam quam veriſimile, eſt quod non levem, nec contemnendam dicti, aut facti cauſſam continet, qua dignum eſt, quod excipiatur, atque approbetur; ut quod propinquus propinquum amet, quod amicus amico recta atque utilia ſuadeat, quod vir optimus vera dicat, etſi toties ſunt falſa. Cic. pro Arch. c. 5. *Rheginos credo, aut Locrenſes, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quod ſcenicis artificibus largiri ſolebant, id huic ſumma ingenii praedito gloria noluiſſe.*

5. Improbabile eſt quod eam ſui dicti, aut facti cauſsam affert & continet, quae nullam veritatis faciem habet, etſi vera eſſe poſſit. Ita qui aut rudi paſtori, aut imperitae mulierculae crebras graveſque ſententias, praecipue de regni adminiſtratione, accommodet, improbabilis fiet, quamquam ab iis etiam perſonis ejus generis aliquid interdum dici poſſit. Cic. pro Quinct. c. 25. *Bona poſtulas, ut ex edicto poſſidere liceat: quo die? te ipſum, Naevi, audire volo: volo inauditum facinus ipſius, qui id commiſit, voce convinci. Dic, Naevi, diem. Ante V. Kal. intercalares. Bene agis. Quam longe eſt hinc in ſaltum veſtrum Gallicanum? Septingenta millia paſſuum. Optime. De ſaltu dejicitur Quinctius quo die? Quid taces? dic diem. Pudet dice-*

dicere intelligo; ſed ſero, & nequicquam pudet. Dejicitur de ſaltu pridie Kal. intercalares. O rem incredibilem! o cupiditatem inconſideratam! o nuncium volucrem! An antequam poſtulaſti, ut bona poſſideres, biduo miſiſti qui curarent, ut dominus de ſuo fundo dejiceretur? alterum incredibile eſt, alterum nefarium. Septingenta millia paſſuum biduo vis eſſe decurſa?

6. Falſum eſt quod ſecus rem affirmat atque illa eſt, aut rei eam cauſſam affert, quae vera non eſt. Ita ſingulari hominis laude rem falſam Caeſarem affirmaſſe, cum diceret: *Satis diu vel naturae vixi, vel gloriae*, evincit Cicero pro Marc. c. 8. *Tum id audirem*, inquit, *ſi tibi ſoli viveres, aut ſi tibi ſoli natus eſſes; nunc, cum omnium ſalutem Civium, cunctamque Remp. res tuae geſtae complexae ſint, tantum abes a perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quae cogitas, nondum jeceris: quidquid enim eſt, quamvis amplum ſit, id certe eſt parum, cum eſt aliquid amplius.*

7. Igitur omnis argumentatio, immo omnis oratio tum optima eſt, cum vero illi certo, explorato, ac prope fatali nititur, tum enim plane viget, pollet, ac manet; & propterea, quantum fieri poteſt, illud verum certum & conſtans cogitandum, inſpiciendum, exponendum eſt, in ipſoque omnia conſtituenda. Quoniam autem *majori ex parte, quae in judicium, in deliberationem*, ac perſuaſionem *veniunt, etiam aliter ſe habere poſſunt, eorumque pauca neceſſaria ſunt* [a]; idcirco etiam ad veriſimilia, & probabilia confugimus, immo ad haec libentius, ſi apertiora ſint, & magis popularia, numquam autem

a. Ariſt. Rhet. l. 1. c. 11.

tem falſa eligamus, neque eis orationem noſtram committamus: *omnes enim trahimur & ducimur ad cognitionis, & ſcientiae cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus: labi autem, errare, neſcire, & decipi, & malum, & turpe ducimus* a.

9. Vera autem, & certa in primis ſunt communia pronunciata, ut in praeclaris diſciplinis *ex nihilo nihil fieri; totum ſua parte majus eſſe; hominem divinae ſapientiae maximum opus eſſe*; ita in vita *tempori ſaepe cedendum; utilitate univerſos capi; ſe quemque maxime diligere*. Deinde quae certa ratione confirmantur *vim vi repellere licere; ſuos cuique mores fortunam parere; amicos maximum rerum praeſidium; neminem homini hoſtem futurum, ni ſibi ipſe ante hoſtis ſit*. Tum quae integris ac ſanis ſenſibus percipiuntur; *malos ab afflicta ad florentem amicitiam avolare; ſapienti ſerius ocyus honores, & fortunam occurrere; plebejos tumultus initio formidandos, deinde infirmiſſimos eſſe*. Praeterea quae incorruptis rerum geſtarum monumentis tradita, & certarum gentium lege, dicto, opinione, aut more conſtituta ſunt. Poſtremo certum putatur, cuicumque adverſarius non contradicit, aut ipſe jam poſuit; quod argumentari ad hominem dicimus, tum enim ſuo ipſorum ſenſu & dicto homines convincuntur.

a. Cic. 1. Offic. c. 5.

In quo conveniant, & in quo differant Rhetoricae, aliarumque diſciplinarum argumentationes.

CAP. V.

1. IN eo Oratorum, Hiſtoricorum, ac Poetarum cum reliquis artium, ac diſciplinarum Scriptoribus argumentationes conveniunt, quod ſinguli veram ac certam, aut quidem veriſimilem, & probabilem rationem afferunt, ac dictis ſuis complectuntur, ut ſinguli fidem faciant.

2. Differunt autem maxime, quod Dialectici, ceterique ſcientiarum Scriptores, quippe qui doctis hominibus dicunt, ideo reconditas & ſubtiles rationes malunt: Oratores vero qui imperitae etiam multitudini, & perſuadendo, non diſputando verba faciunt, popularia eligunt; ideoque in ceteris artibus argumenta *abditis e fontibus hauriuntur, dicendi autem omnis ratio eſt in medio poſita, & communi quodam in uſu, atque in hominum more verſantur, ut in ceteris id maxime excellat, quod longiſſime ſit ab imperitorum intelligentia ſenſuque disjunctum, in dicendo autem vitium vel maximum ſit a vulgari genere orationis, atque a conſuetudine communis ſenſus abhorrere* a.

3, Deinde differunt in argumentatione ipſa proponenda, explicanda, ornanda, & variãda, quod ex iis, quae conſequuntur perſpicuum erit. *Quo*

a. Cic. 1. de Orat. c. 3.

Quo pacto argumentationes ſuas proponat, ac variet Orator.

CAP. VI.

1. NOn *dubium eum acrem Oratorem futurum, qui intelligat quomodo rhetorici a logicis ſyllogiſmis diſtinguantur* [a], ſeu quo pacto ſane oratorie, & ad perſuadendum accommodate proponantur. Prima igitur proponendae argumentationis ratio eſt, ut eo ipſo ordine proponatur quo concipitur, nec ulla propoſitio taceatur, etenim *& Orator, etiamſi raro, probabit dialecticae* [b]; ita tamen, ut vel aliquam, vel ſingulas propoſitiones aut praeclara ſententia, aut gravi amplitudine dilatet, aut alio pacto exornet. Sint exemplo. Cic. pro Arch. c. 4. *Data eſt Civitas Sillani * lege & Carbonis, ſi qui foederatis Civitatibus adſcripti fuiſſent, ſi tum cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuiſſent, & ſi ſexaginta diebus apud Praetorem eſſent profeſſi. Cum hic domicilium Romae jam multos annos haberet, profeſſus eſt apud Praetorem Q. Metellum familiariſſimum ſuum. Si nihil aliud niſi de civitate ac lege dicimus, nihil dico amplius, cauſſa dicta eſt. Quid enim horum infirmari poteſt?* deinceps vero ea exornat. Virg. ecl. 5. v. 4.

Tu major: tibi me eſt aequum parere, Menalca.

Helvetii Legati apud Caeſ. Bel. Gal. lib. 1. c. 13.

a. Ariſt. Rhet. l. 1. c. 5. t. 30. b. Quinct. l. 1. c. 18.
* Ita legit Lambin. quod vulgati fere omnes *Silvani*.

c. 13. *Quod improviſum unum pagum adortus eſſet, cum ii, qui flumen tranſiſſent, ſuis auxilium ferre non poſſent, ne ob eam rem aut ſuae magnopere virtuti tribueret, aut ipſos deſpiceret, ſe ita a Patribus, Majoribuſque ſuis didiciſſe, ut magis virtute, quam dolo contenderent, aut inſidiis niterentur*

2. Altera ratio eſt immutato propoſitionum ordine uti, aut a complexione ordiendo, aut a minori propoſitione aſſumta, aut poſt primam ad ultimam advolare, ac deinde ad omiſſam redire, non temere aut negligenter, ſed quantum appareat plus affecturum aliquid aut ſtatim, aut poſtmodum commemoratum. Quae ratio cum ad celandam artem, ſcholarumque oſtentationem praecavendam, tum ad animos permovendos conducit. Hoc modo conjecta haec ſunt. Cic. pro Marc. c. 8. *Si rerum tuarum immortalium C. Caeſar, hic exitus futurus fuit, ut devictis adverſariis Remp. in eo ſtatu relinqueres, in quo nunc eſt, vide, quaeſo, ne tua divina virtus admirationis plus ſit habitura, quam gloriae: ſiquidem gloria eſt illuſtris, ac pervagata multorum & magnorum vel in patriam, vel in ſuos Cives, vel in omne genus hominum fama meritorum: haec igitur tibi reliqua pars eſt, ut Remp. conſtituas, eaque cum ſumma tranquillitate & otio perfruare.* Dialectice erat: *gloria eſt illuſtris fama meritorum in multos, ergo in Remp. tua merita adhuc amplificanda ſunt, ut eam conſtituas*: quod poſtremum bis dictum eſt. Et pro Mil. c. 9. *Niſi eo mors atrocior erit P. Clodii, quod is in monumentis majorum ſuorum ſit interfectus: perinde quaſi Appius ille caecus viam munierit, non*

qua

qua populus uteretur ſed ubi impune ſui poſteri latrocinarentur. Rectus ordo ac dialecticus erat: Appius viam muniit, qua populus uteretur, non ubi ſui poſteri latrocinarentur, ergo non ideo atrox P. Clodii mors, quod in Via Appia necatus eſt.

3. Tertia ratio eſt, ut Orator non univerſas argumentationis partes conjiciat, atque inſiſtat, at eam tantum, quae probat; eam vero amplificet, eruditionis, ac permotionum vi ornet, & quaſi armet; immo vero in una illa ratione plures inveniat, omneſque aperiat, atque illuſtret. Audi Cic. pro Mil. c. 5. *Inſidiatori vero, & latroni quae poteſt afferri injuſta nex? Quid comitatus noſtri, quid gladii volunt? quos habere certe non liceret, ſi uti illis nullo pacto liceret. Eſt enim haec, Judices, non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus; ut ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, ſi in tela aut latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendae ſalutis. Silent enim leges inter arma, nec ſe expectari jubent, cum ei, qui expectare velit, ante injuſta poena luenda ſit, quam juſta repetenda.* Dialectica argumentatio fuiſſet: Licet inſidiatorem necare, ſed Clodius fuit inſidiator, ergo eum licuit necare: unam illam primam attulit, eamque tam multis aliis confirmavit, ut vides.

5. Interdum quoque univerſae, aut certe plures argumentationis partes pari pacto amplificantur, praeſertim in juſta, perpetuaque oratione. Eſto in ſpecimen hoc Sall. Con.

Catil. c. 1. *Sed omnis noſtra vis in animo & corpore ſita eſt*: en praecedens ratio, qua omnes homines ſumma ope niti debere probat, ne vitam ſilentio tranſigant veluti pecora, eamque ita dilatat: *Animi imperio, corporis ſervitio magis utimur: alterum nobis cum Diis, alterum cum belluis commune eſt.* Jam vero enthymema concludit', ipſamque etiam complexionem amplificat. *Quo mihi rectius eſſe videtur, ingenii quam virium opibus gloriam quaerere, & quoniam vita ipſa, qua fruimur, brevis eſt, memoriam noſtri quam maxime longam efficere: nam divitiarum & formae gloria fluxa, atque fragilis eſt, virtus clara aeternaque habetur.*

5. Praeterea omnium forte maxime ſolent Oratores, idque perſuaſioni maxime accommodatum eſt, rationem quidem complecti, atque eam vehementiſſime urgere, ita tamen, ut concepta illa verba, & ſenſa, quibus illam proponeret Dialecticus, nec ſeſe oſtentent, nec fere exprimantur, cum inſint tamen, atque urgeant, hoc enim pacto artem diſſimulant, dum adhibent. Ita quod Dialecticus dixiſſet: *qui mentitur injuratus, pejerabit juratus*: audi quam copioſe efferat, quo ornatu coloret, quibus facibus tamquam armet, oratorieque dicat Tull. pro Roſc. Comoed. *Si diceret juratus crederes? at quid intereſt inter perjurum, & mendacem? qui mentiri ſolet, pejerare conſuevit. Quem ego, ut mentiatur, inducere poſſum, exorare facile potero, ut pejeret: nam qui ſemel a veritate deflexit, hic non majore religione ad perjurium, quam ad mendacium perduci conſuevit. Quis enim deprecatione Deorum, non conſcientiae fide*

de commovetur? propterea quae poena ab Diis immortalibus perjuro, haec eadem mendaci conſtituta eſt: non enim ex pactione verborum, quibus jusjurandum comprehenditur, ſed ex perfidia, & malitia, per quam inſidiae tenduntur alicui, Dii immortales hominibus iraſci, & ſuccenſere conſueverunt.

Quo pacto probationes etiam ſubtiles, & ingenioſae fiant populares, & a Dialecticis differant.

CAP. VII.

1. *OPus Oratoris longe maximum, quantum ad argumentationes attinet, in eo ſitum eſt, ut argumenta a populo intelligantur* [a]. Ob eam rem non inutilia haec erunt.

2. Itaque etiam a populo tum intelligitur Orator, cum ipſius excogitata, & adducta ratio exemplis, ſimilitudinibus, & rebus, quae in ſenſum cadunt, explicatur, oſtenditur, ac popularis fit. Audi quam perſpicuum, exploratum, populare rudi etiam prope mulierculae apertum efficiat Cic. pro Mil. c. 31. divinam mentem eſſe, quae in terris omnia adminiſtret. *Eſt, eſt profecto,* inquit, *illa vis caeleſtis, Numenque divinum, neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate noſtra ineſt quiddam, quod vigeat, & ſentiat, & non ineſt in hoc tanto naturae tam praeclaro motu: niſi forte idcirco eſſe non putant, quia non apparet, nec cernitur: per-*

a. Platina Proluſ ad Artem Orat. c. 1. §. 2.

inde quaſi noſtram ipſam mentem, qua ſapimus, qua providemus, qua haec ipſa agimus, ac dicimus, videre, aut plane qualis, aut ubi ſit, ſentire poſſimus: ea vis, ea eſt igitur, quae ſaepe incredibiles huic urbi felicitates, atque opes attulit, quae illam perniciem exſtinxit, ac ſuſtulit, cui primum mentem injecit, ut vi irritare, ferroque laceſſere fortiſſimum virum auderet, vinceretur que ab eo, quem ſi viciſſet, habiturus eſſet impunitatem, & licentiam ſempiternam: non eſt humano conſilio, ne mediocri quidem, Judices, Deorum immortalium cura res illa perfecta: religiones mehercule ipſae, araeque, cum illam belluam cadere viderunt, commoviſſe ſe videntur, & jus in illo ſuum retinuiſſe. Et Hor. l. 3. od. 23. divinum Numen mente pura coli, non ſumtuoſis ſacris, atque ita cultum omnes ab homine calamitates propulſare.

Caelo ſupinas ſi tuleris manus,
Naſcente Luna, ruſtica Phidile,
Si thure placaris, & horna
Fruge Lares, avidaque porca;
Nec peſtilentem ſentiet Africum
Fecunda vitis, nec ſterilem ſeges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.
Immunis aram ſi tetigit manus,
Non ſumtuoſa blandior hoſtia,
Mollibit averſos Penates
Farre pio, & ſaliente mica.

3. Omnium maxime etiam ſubtiles & reconditae argumentationes intelliguntur etiam a multitudine, ſi praeceſſerit imago aliqua, aut hiſtoria, aut ſimilitudo, quae efficiat ut audientes animo, & cogitatione praecurrant,

immo

immo ipſi eam ante deducant, quam illam Orator ingrediatur, aut certe conſtituat. Hoc pacto Cicero pro Leg. Manil. c. 9. Mithridatis, quo Lucullum ſummum Imperatorem falleret, inventum complexurus: *Ex ſuo regno*, ait, *ſic Mitbridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugiſſe dicitur; quam praedicant in fuga fratris ſui membra in iis locis, qua ſe parens perſequeretur, diſſipaviſſe, ut eorum collectio diſperſa, maerorque patris celeritatem perſequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens maximam vim auri, atque argenti, pulcherrimarumque rerum omnium, quas & a Majoribus acceperat, & ipſe bello ſuperiore ex tota Aſia direptas in ſuum regnum congeſſerat, in Ponto omnem reliquit: baec dum noſtri colligunt diligentius, Rex ipſe e manibus effugit: ita illum in perſequendi ſtudio maeror, hos laetitia retardavit*. Hic poſtquam dixerat Medeae patrem a perſequendo retardatum, cum obtruncati filii membra colligeret, jam Romani per ſe ipſi conjiciebant quid Cicero ex eo erat illaturus, & quaſi ſibi ipſi tradebant; quod jucundiſſime propterea audiebant quaſi illationis auctores, non auditores[a].

RHE-

a. Vide Platinam Art. Rhet. Proluſ. 2.

RHETORICARUM INSTITUTIONUM

LIBER QUINTUS,

Quo inveniendarum rerum fontes aperiuntur.

Invenire & judicare quid dicas, magna quidem ſunt, & tamquam animi inſtar in corpore; noverit igitur Orator argumentorum, & rationum locos.
Cic. 2. de Orat. c. 14.

✻✻

Quid ſit inventio: & quanti momenti.

CAPUT I.

INventio eſt *excogitatio rerum verarum*, cum cauſſa, quae agitur, certas, exploratas, conſtantes, atque inſuperabiles rationes ſuppeditat, quod plerumque accidit magna argumenta tractanti, accurateque cogitanti, licet illae ipſae fugiant oſcitantem; *aut veriſimilium*, cum vera praeſto non ſunt, *quae cauſſam probabilem reddant* [a]. At alterutrae excogitandae, atque afferendae ſunt, nam alioquin in Oratore inerit *ſatis loquentiae, ſapientiae parum* [b]. 2. Qua-

a. Cic. Inv. Rhet. l. 1. c. 7. iiſdemque verbis Auct. ad Heren l. 1. c. 2. b. Sall. Con. Catil. c. 5.

2. Quare tanti momenti Oratori eſt inventio, rerumque ſive argumentorum excogitatio, quanti ea conſequi quae ille contendat; *tunc enim maxime credimus, cum recte concluſum eſſe arbitramur* a, immo *probationes ſolae ad rem pertinent, reliqua ſunt additamenta* b. Probationes vero & argumenta ex locis ſumuntur.

Quid ſint loci oratorii: quotque eorum genera.

CAP. II.

1. Locus *oratorius eſt argumentorum ſedes* c: hoc eſt earum rerum ſcientia & ſedes, in quibus quaſi latent argumenta, & ad quas advertens Orator probandi ſegetem, & materiam invenit.

2. Haec autem loca, atque argumenta alia prima ſunt, originis, & velut totius fontis capita, quod in ipſis argumenta omnia non modo incluſa ſunt, ſed primo ex iis profecta; alia proxima, & ipſa innata, & inſita, quae in re, quae agitur, incluſa quidem ſunt, ſed in prima illa referuntur; alia tandem remota. Prima illa praeclarae diſciplinae ſunt; altera ea, quae loci communes paſſim dicti; poſtrema dicuntur externa, aſſumta, remota, foris petita, atque in humanam, & divinam auctoriratem revocantur.

Prae.

a. Ariſt. Rhet. l. 1. c. 5. tex. 28. b. Id. ibi c. 2. t 7
c. Cic. Topic. c. 2.

Praeclarae diſciplinae princeps eloquentiae fons: & quo pacto eas in oratione ineſſe oporteat.

CAP. III.

1. Studiorum & artium univerſam doctrinam praecipuam eſſe inveniendorum argumentorum ſedem Cicero, & Quinctilianus affirmant, ſummi artis Doctores; atque adeo omnes eloquentiae viri, ſive Oratores tandem, ſive Hiſtorici, ſive fuerint Poetae, diſciplinarum omnium capita dicendo complexi ſunt, de cunctiſque vere dicas quod de vetere Homero traditum eſt; *ut omnia flumina, omnes fontes, putei omnes, quod vetus habet adagium, ex Oceano, ita ex Homero, ſi non omnes, multa certe ad ſapientes affulſit copia doctrinarum* a. Neque hanc ſapientiae amplitudinem ut alienam, ſed ut propriam, ut Quinctilianus auctor eſt, habent Oratores. *Quare tametſi fateor*, ait, *uſurum me quibuſdam, quae Philoſophorum libris continentur, tamen ea jure, vereque contenderim eſſe operis noſtri, proprieque ad artem oratoriam pertinere* b. Utcumque id ſit, Philoſophia, ceteraeque optimae artes maximam dicendi materiam Oratori ſuppeditant. Equidem *fateor me Oratorem*, ut aperte ſane ait Cicero, *ſi modo ſim, aut quicumque ſim, non*

a. Euſtat. prooem in Iliad c. 1. ex interpr Alexand. Politi Schol. Piar. b. Quinct. prooem. Inſtit. Orator.

non ex Rhetorum officinis, ſed ex Academiae ſpatiis exſtitiſſe a.

2. At non omnia, quae a ſcientiis diſputata circumferuntur, eloquentiae ſunt idonea. Etenim *omnis Philoſophia in tres partes eſt diſtributa, in naturae obſcuritatem, in diſſerendi ſubtilitatem, in vitam atque mores: duo illa relinquamus, idque largiamur inertiae noſtrae, tertium vero, quod ſemper Oratoris fuit, niſi tenebimus, nihil Oratori, in quo magnus eſſe poſſit, relinquemus, quare hic locus de vita & moribus totus eſt Oratori diſcendus* b.

Ceteros locos in principes diſciplinas referri: breviſque earum ſignificatio.

CAP. IV.

1. ILlud quoque praeclarae diſciplinae habent, ut eloquentiae fontes putentur & ſtatuantur, quod ceteri loci, qui omnium ſententia Oratori attributi ſunt, tamquam rivuli in fontes, in eas revocantur. Nonnullis exemplis ſit perſpicuum. Cum ex toleratis calamitatibus gloriam, & ſempiterna praemia acquiri Cicero pro Domo ſua affirmat: *Etſi optabilius eſt, curſum vitae conficere ſine dolore, & ſine injuria, tamen ad immortalitatem plus affert, deſideratum eſſe a ſuis Civibus, quam omnino numquam eſſe violatum*: a cauſſis plane arguit, at id in doctrinam

a. Cic. in Orat. c. 3. b. Id. 1. de Orat. c. 15.

nam morum, tamquam in caput ſuum refertur, ex eoque derivatur. Cum longe majora animi, quam corporis gaudia 11. Phil. c. 4. aſſeverat: *Quo major*, inquit, *vis eſt animi, quam corporis, hoc ſunt graviora ea, quae concipiuntur animo, quam illa quae corpore*: ex comparatione contendit, atqui haec tandem in Phyſicam Scientiam revocantur. Cum male affectos homines veras laudes non guſtare, ut aegrotos ciborum ſuavitatem 2. Phil. c. 45. ait: *Ut quidem morbo aliquo & ſenſus ſtupore ſuavitatem cibi non ſentiunt, ſic libidinoſi, avari, facinoroſi verae laudis guſtum non habent*, ex ſimilitudine infert, ſed ſimilitudo in medicinam rejicitur. Facile plurima judicabis.

2. Itaque uberem ad dicendum ſegetem praeſtabit Theologia, tum ea, quae Deum Opt. Max. virtutum omnium, & beati aevi fauſtitate fruentem, cuncta unius vocis imperio condentem, conſervantem, regentem, cunctos mortales ad beatitatem vocantem, omnium facta cernentem ea muneraturum; tum ea, quae homines ipſius Dei imperio parere, divina venerari, fluxa non magnopere expetere, aut ſequi, Principes colere, legibus obtemperare, miſeris opitulari, opibus non fidere, iiſque bene uti docet; praeterea illa, quae hominum cum hominibus officia praeſcribit, & animi actiones moderatur, atque Moralis dicitur, ut parentes obſervare, univerſos caritate complecti, animum ab omni labe defendere; ac tandem ea, quae maximas veritates nefariis quibusdam hominibus oppugnatas, ratione tamen, & Majorum auctoritate certas, quam

Dogma-

Dogmaticam appellamus: ea tamen omnia eloquentiae materiam dico non quae in ſcholis acerrime diſputantur, ſed quae in uſu quotidie cernuntur, & quae ſunt rationes in primis exploratae: hinc dictum eſt, *moralem inſtitutionem magis a Poetis*, Oratoribus, Hiſtoricis, *quam a Philoſophis petendam eſſe* [a]. Sint aliquo exemplo haec Sall Bel. Jug. c. 2. *Uti genus hominum compoſitum e corpore & anima eſt, ita res cunctae, ſtudiaque omnia noſtra corporis alia naturam, alia animi ſequuntur: igitur praeclara facies, magnae divitiae, ad hoc vis corporis, omnia dilabuntur; at ingenii egregia facinora, ſicuti anima, immortalia ſunt.* Liv. l. 1. c. 58. *Conſolantur aegram animi* (Lucretiam) *avertendo noxam ab coacta in auctorem delicti; mentem peccare, non corpus, & unde conſilium abfuerit, culpam abeſſe.* Hor. l. 1. od. 2. v. 21.

Audiet cives acuiſſe ferrum,
Quo graves Perſae melius perirent:
Audiet pugnas vitio parentum
Rara juventus.
Quem vocet Divum populus ruentis
Imperi rebus? prece qua fatigent
Virgines ſanctae minus audientem
Carmina Veſtam?
Cui dabit partes ſcelus expiandi
Jupiter? tandem venias, precamur,
Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo.
Sive mutata juvenem figura
Ales in terris imitaris, almae
Filius Majae, patiens vocari
Caeſaris ultor. 3. Non

a. Facciol. Orat. 9. quam totum vide hac de re.

3. Non minorem dicendo ſegetem ſuppeditabit Philoſophia cum ea, quae rerum cauſſas & effecta generatim explorat, tum quae ſingulatim caelos, terras, mare, pluvias, tempeſtates, tonitrua, fulmina, eorumque admirabilia omnia experimenta inveſtigat, tum ea quae hominum officia, & mores inſpicit, quae pars tota eſt Oratoris. Haec habe in aliquod ſpecimen. Cic. pro Mil. c. 30. *Sed hujus beneficii gratiam, Judices, fortuna Pop. Rom. & Dii immortales ſibi deberi putant. Nec vero aliter arbitrari poteſt, niſi qui nullam vim caeleſtem exiſtimat, Numenve divinum; quem neque imperii veſtri magnitudo, neque ſol ille, nec caeli, & ſignorum motus, nec viciſſitudines rerum, atque ordines movent. Eſt, eſt profecto illa vis*, & quae ſequuntur. Id. pro Marc. c. 8. *Saepe enim venit ad aures meas, te nimis crebro dicere: ſatis te vixiſſe. Credo: ſed tum id audirem, ſi tibi uni viveres; nunc, cum omnium ſalutem Civium, cunctamque Remp. res tuae geſtae complexae ſint, tantum abes a perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quae cogitas, nondum jeceris. Hic modum tuae vitae non ſalute Reip. ſed aequitate animi definies?* Hor l. 2. od. 10.

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo, neque, dum procellas,
Cautus horreſcis, nimium premendo
Littus iniquum.
Saepius ventis agitatur ingens
Pinus, & celſae graviore caſu
Decidunt turres, feriuntque ſummos,
Fulmina montes.
Rebus anguſtis animoſus, atque

Fortis

Fortis appare ; ſapienter idem
Contrahes vento nimium ſecundo
Turgida vela .

4. Saepe etiam ex reliquis diſciplinis copia oritur: ex Juriſprudentia plurimum veteres Oratores depromebant, ideo *iis*, ait Cicero, *qui perfecti Oratores eſſe velint, juris civilis cognitio neceſſaria eſt* a, aliquid etiam noſtri depromunt, ſive qua leges naturae lumine exploratas, ſive qua ex iis ſatis perſpicue profectas tulit, homineſque in Deum, in Sacras Res, in Principes, in Parentes, in ceteros homines dirigit, ne alteri inferant, quod ſibi nollent illatum, ne publicam quietem ſolicitent, aut laedant: ex Medicina non ſolum quantum morbos removeat, ſed quantum impediat ciborum ſimplicitate, moderatione, & opportunitate, *tuetur enim valetudinem in primis ciborum moderatio, & alimenti facilitas* b: ex Militia non tantum qua aciem inſtruant, & Milites arment Imperatores, *aciei enim inſtruendae exiguam imperatorii muneris partem eſſe* c ſcimus, ſed qua eoſdem contineant, dicto audientes eſſe faciant, hoſtes nunc ducant, nunc fallant, virtute aut vincant, aut occumbant: ex Politica, qua bene ac ſapienter publicis, privatiſque rebus conſulitur, qua incorrupta religio & pietas pro aris & focis defenditur, divina & ſempiterna humanis caduciſque bonis, honeſta utilibus praeferuntur, & regnorum tranquillitas non minus quam gloria comparatur. Tantarum rerum aliquo exemplo haec ſint. Cic. 11. Phil. c. 12. *Qua*

S *lege*

a. Cic. 1. de Orat. c. 42. b. Clemens Alexandr. in Paedagogo. c. Xenoph. l. 1. de Inſtit. Cyri.

lege profectus eſt Caſſius, ut probiberet Syria Dolabellam? qua Jupiter ipſe ſanxit, ut omnia quae Reip. ſalutaria eſſent, legitima, & juſta haberentur; eſt enim lex nihil aliud, niſi recta, & a numine Deorum tractata ratio, imperans, honeſta prohibens contraria. Huic igitur legi paruit Caſſius. Horat. l. 2. od. 2. verſ. 13.

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

Curt. l. 3. c. 5. *Macedonum acies torva ſane, & inculta, ſed clipeis haſtiſque immobilis, vir viro, armis arma conſerta ſunt; ad nutum monentis intenti, ſequi ſigna, ordines ſervare didicere; quod imperatur omnes exaudiunt; obſiſtere, circumire, mutare pugnam non Duces magis, quam Milites callent; fatigatis humus cubile eſt; cibus, quem occupant, ſatiat; tempora ſomni arctiora quam noctis ſunt.*

5. *Haec, ut breviſſime dici potuerunt, ita a me dicta ſunt: ut enim ſi aurum, quod eſſet multifariam defoſſum, commonſtrare vellem, ſatis eſſe deberet, ſi ſigna, & notas oſtenderem locorum, quibus cognitis ille ſibi ipſe foderet, & id quod vellet parvulo labore, nullo errore inveniret; ſic has ego argumentorum novi notas, quae illa mihi quaerenti demonſtrant, ubi ſint, reliqua cura, & cogitatione eruuntur* [a].

Loci

[a]. Cic. 2. de Orat. c. 41.

Loci interni: in iiſque monita.

CAP. V.

1. Definitio eſt *oratio, quae id quod definitur, explicat quid ſit* [a], ſeu *quae quaſi involutum evolvit id, de quo quaeritur* [b]. Apud Philoſophos haec continet breviſſime aliquid commune rei definitae cum aliis ſimilibus, quod *genus* vocant, & aliquid omnino proprium eidem rei definitae, & quod a ceteris eam ſeparat, id vero *differentiam* nuncupant, ut Rhetorica eſt *ars dicendi; ars* eſt commune multis, *dicendi* Rhetoricae proprium: apud Oratores iis ipſis conſtat definitio, ſed copioſius, ornatius, vehementiusque explicatis, vel ſua, & plura epitheta nominibus definitionis addendo, vel ante quid res non ſit (quo tamen errori alicui ea in re occurrunt) ac deinde quid illa ſit conjungendo, vel conglobatas rei definitiones afferendo, vel omnes ſimul rei partes, cauſſas, effecta, adjuncta, & repugnantia inducendo, vel denique deſcribendo potius, quam definiendo. Cum multa, aut omnia ex ea lucem, aut ſummam accipiunt, ſtatim commode affertur definitio. Hujuſmodi haec ſunt. Cic. pro Marc. c. 8. *Si rerum tuarum immortalium, C. Caeſar hic exitus futurus fuit, ut devictis adverſariis Remp. in eo ſtatu relinqueres, in quo nunc eſt, vide quaeſo, ne tua divina virtus admirationis plus ſit habitura, quam gloriae: ſiquidem gloria eſt illu-*

 ſtris,

a. Cic. Topic. c. 5. b. Id. ibi c. 3.

ſtris, ac pervagata multorum, & magnorum vel in ſuos Cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum: haec igitur tibi reliqua pars eſt. Id. in Piſ. c. 10. *Te fuiſſe Romae Conſulem dicere audebis? quid? tu in lictoribus, in toga, & praetexta eſſe Conſulem putas? animo Conſulem eſſe oportet, conſilio, fide, gravitate, vigilantia, cura, toto denique munere conſulatus*. Et 2. de Orat. c. 9. *Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magiſtra vitae, nuncia vetuſtatis*. Sall. Con. Catil. c. 2. *Is demum mihi vivere, atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus praeclari facinoris, aut artis bonae famam quaerit*.

2. Huc rejiciam hunc locum, quem *a proprio* vocat Themiſtius, cum ſcilicet ab intima rei proprietate & actione arguitur, quod non raro Oratores, frequentius Poetae faciunt: ut Cic. 2. Phil. c. 36. *Quis vir Dii immortales, & quantus fuiſſes, ſi illius diei mentem ſervare potuiſſes! pacem haberemus, quae erat facta per obſidem puerum nobilem M Antonii filium: quamquam te bonum timor faciebat, non diuturni magiſter officii, improbum fecit ea, quae, dum timor abeſt, a te non diſcedit audacia*. Eſt enim vis: improborum eſt, infanda omnia facere, dum non timent, ideo tu ſtatim nefarius rediiſti. Et 3. Tuſc. c. 30. *Eſt proprium ſtultitiae aliorum vitia cernere, oblviſci ſuorum*. Tibull. l. 1. eleg. 4. v. 65.

Quem referent Muſae vivet, dum robora tellus,
Dum caelum ſtellas, dum vehet amnis aquas.

3. Partium enumeratio totum aliquod per principes partes confirmat, vel explicat. Par-

Partium nomine non plures modo partes rem quocumque in genere conſtituentes intellige, ſed plures cauſſas etiam, plura effecta, plures ſimilitudines, plura contraria, plures perſonas. Uberrimum hunc locum ſenties, ac pulcherrimum, ſi tria advertas. Ne ad minutiſſimas partes numerando dilabaris, quae ſordeant, nec quidquam probent; ut res etiam, ſed praeſertim perſonas numerans, alicui ſaltem, pluribus ſatius erit, ſingulare aliquid attribuas, non jejune ac ſicce ſeriem recenſeas: ut ſubinde, nec enim ſemper probaverim, vel auſpiceris enumerationem, vel abſolvas gravi ſententia, quae dicenda promittat, aut dicta commemoret. Pulchre omnia ei naturae bona Cives ſuos jucundiora feciſſe ait Cic. poſt reditum ad Quir. c. 2. *A Parentibus, id quod neceſſe erat, parvus ſum procreatus; a vobis natus ſum Conſularis. Illi mihi fratrem incognitum, qualis futurus eſſet, dederunt; vos ſpectatum, & incredibili pietate cognitum reddidiſtis. Remp. illis accepi temporibus eam, quae paene amiſſa eſt; a vobis eam recuperavi, quam aliquando omnes unius opera ſervatam judicaverunt. Dii immortales mihi liberos dederunt; vos reddidiſtis. Multa a Diis immortalibus optata conſecuti ſumus; niſi veſtra voluntas fuiſſet, omnibus divinis muneribus caruiſſemus. Honores, quos gradatim eramus conſecuti, nunc a vobis univerſos habemus: ut quantum antea Parentibus, quantum Diis immortalibus, quantum vobiſmetipſis, tantum hoc tempore univerſo cuncta Pop. Rom. debeamus.* Anchiſes Romanos Reges, & claros viros filio oſtendens 6. Aen. v. 760.

Ille, vides? pura juvenis qui nititur haſta,
Proxima ſorte tenet lucis loca, primus ad auras
Aetherias Italo commiſtus ſanguine ſurget
Silvius, Albanum nomen, tua poſtuma proles,
Quem tibi longaevo ſerum Lavinia conjux
Educet ſilvis Regem, Regumque Parentem:
Unde genus longa noſtrum dominabitur Alba.
Proximus ille Procas Trojanae gloria gentis,
Et Capys, & Numitor: & qui te nomine reddes,
Silvius Aeneas, pariter pietate, vel armis
Egregius, ſi unquam regnandam acceperit Albam.
Qui juvenes quantas oſtentant, aſpice, vires!
Quin & avo comitem ſeſe Mavortius addet
Romulus, Aſſaraci quem ſanguinis Ilia mater
Educet; viden' ut geminae ſtant vertice criſtae,
Et pater ipſe ſuo Superum jam ſignat honore?
En hujus, Nate, auſpiciis illa inclita Roma
Imperium terris, animos aequabit Olympo.
Huc geminas, huc flecte acies: hanc aſpice gentem,
Romanosque tuos: hic Caeſar, & omnis Juli
Progenies, magnum caeli ventura ſub axem.
Hic vir, hic eſt, tibi quem promitti ſaepius audis,
Auguſtus Caeſar, Divum genus; aurea condet
Saecula, qui rurſus Latio regnata per arva
Saturno quondam, ſuper & Garamantas, & Indos
Proferet imperium.

Et Ovid. 1. Triſt. eleg. 8. v. 5.

Donec eris felix, multos numerabis amicos:

Tem-

Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.
Aſpicis ut veniant ad candida tecta columbae;
Accipiat nullas ſordida turris aves.
Horrea formicae tendunt ad inania numquam:
Nullus ad amiſſas ibit amicus opes.

4. Notatio nominis eſt, *cum ex vi nominis argumentum elicitur* [a]. Itaque originem, ſignificationem, interpretationemque advertit, atque aſſumit hic locus. Et quidem gravia ſaepe, & ſolida argumenta ſuppeditat, ut Chriſtiani a Chriſto Domino, omniumque Servatore, & Parente nos dicti, ideo ejus ſanctitatem praenobisferamus; juvenes a Parentibus & Reip juvando: ſaepius tamen ineptiolas, & arenearum telas; quid enim afferat, quod aliquis Maximus, Adeodatus, Clemens nominetur, aut quid notae, quod Leo, Barbarus, Lupus, niſi praedicent facta? Ex hoc loco Cic. 14. Phil. c. 12. *Vos vero* (legionis Martiae milites) *patriae natos judico, quorum etiam nomen a Marte eſt, ut idem Deus urbem hanc gentibus, vos huic urbi genuiſſe videatur.* Et Flor. l. 1. c. 9. *Conſulesque appellavit pro Regibus, ut conſulere ſe Civibus ſuis debere meminiſſent.*

5. Conjugata *ſunt quae orta ab uno varie commutantur, ut ſapiens, ſapienter, ſapientia* [b]: exempli cauſſa, ſapiens vir fecit, ergo ſapienter factum, ex clementia ad ignoſcendum impulſus eſt, ergo clemens; prudenti aſſenſus eſt, ergo prudenter egit: quae omnia ſunt ſaepe vera, ſemper infirma, niſi aliud res ipſa clamet. Ex iis tamen haec ſunt Cic. 14. Phil. c. 3. *Qui hoſtes omni ſcelere ſuperavit, nomine ho-*

a. Cic. Top. c. 2. b. Id. ibid. 3.

ſtis carebit? Terent. Heaut. act. 1. ſc. 1. v. 77. *Homo ſum, humani a me nihil alienum puto.* Flor. l. 3 c. 1. de Jugurtha. *Citra ſpem omnium fortuna ceſſit, ut Rex fraude praecipuus fraude caperetur.* Ovid. 1. Faſt. v. 25.

Vates rege vatis habenas.

Et 5. Triſt. el. 1. v. 5. *Flebilis ut noſter ſtatus eſt, ita flebile carmen.*

6. Genus *eſt id, quod ſui ſimiles communione quadam, ſpecie autem differentes duas, aut plures complectitur partes* a, ut virtus eſt quid commune pluribus, prudentiam, fortitudinem, liberalitatem, conſtantiam in virtutis indole omnes convenientes, propria autem natura diſſimiles continens; vitium eſt impudentiae, avaritiae, irae commune; Romanus Fabio, Curio, Scipioni, Caeſari; Apoſtolus, Martyr, Rex, Epiſcopus ſingularibus perſonis. Itaque ex genere arguetur, cum ex communi dote peculiaris ſpecies confirmabitur: & vera certe, crebra, & pulchra argumenta ex hoc erues, ſed ad ſpeciem cito ſcilicet accedas. Pulchre Mutius Scaevola Porſenae apud Liv. l. 2. c. 12. *Romanus ſum Civis, Mutium vocant; hoſtis hoſtem occidere volui; nec ad mortem minus eſt animi, quam fuit ad caedem; & facere, & pati fortia Romanum eſt.*

7. Species, ſeu forma, aut pars, eſt res peculiaris generi contenta ingenii ejuſdem particeps, ſeu *partes ſunt, quae generibus iis, ex quibus emanant, ſubjiciuntur* b. Igitur ex ſpecie eſt argumentum, cum aut genus ex ea, aut ſpecies ex alia ſpecie laudatur, aut atteritur. Sall. Con. Catil. c. 3. *Pulchrum eſt bene facere Reip. etiam bene dicere*

a. Cic. 1. de Orat. c. 42. b. Id ibi *haud*

haud abſurdum eſt; vel pace, vel bello clarum fieri licet; & qui fecere, & qui facta aliorum ſcripſere multi laudantur.

8. Similitudo eſt rerum aliarum in aliquo ſimilium collatio, ut lux & ſapientia res ſunt plane diverſae, ſed in eo ſimiles, quod haec mentem, ut illa domum, aut orbem illuſtrat, tot malorum cauſſas tenebras propulſans. Alia autem eſt explicata, ideſt in omni ſua parte deſcripta, alia ſolum indicata. In utraque plura advertenda ſunt. Eo pulchrior eſt, quo a pulchriori re deducitur, cum ad laudandum aſſumitur; e contrario, cum ad notam. Eo generatim afferenti laudabilior, quo a remotiori re, nam *ſolertis acutique hominis eſt cernere quid in rebus multum inter ſe diſtantibus ſimile ſit* [a]. Nec rem conſideres, quae in ſimilitudinem adducitur, ſed ad quam rem: idcirco ne crimineris, ſi egregius belli Dux v. g. hoſtes fundens lupo pecora interimenti comparetur; nec inferas, ex eo efferatum illum dici, & viles ejus adverſarios, ſed tantummodo ſtragis nnmerus, & fundendi vis ſpectata eſt. Non omnes rei proprietates, ſed ea cernitur, quae in ſimilitudinem affertur; quare vulgo dictum, ſimilitudinem quatuor pedibus incedere non debere; ſimilitudines autem ita adductae mirum in modum placent, reficiunt, ornant, & omnium maxime illuſtrant, atque ob oculos rem ponunt, *praeclare ad inferendam rebus lucem repertae* [b], ideoque *hoc probationis genus familiare politiſſimo cuique Scriptori* [c]. Pulcherrimae hae ſunt. Cic. 2. Phil. c. 22. *Ut He-*

a Ariſt. Rhet. l. 3. c 27. tex. 198 b. Quinctil. l. 8. c. 3. c. Victor. in Phaler. pag. 1.

Helena Trojanis, ſic iſte huic Reip. cauſſa belli, cauſſa peſtis, atque exitii fuit. Et 1. Catil. cap. 13 *Ut ſaepe homines aegri morbo gravi, cum aeſtu febrique jactantur, ſi aquam gelidam biberint, primo relevari videntur, deinde multo gravius, vehementiuſque afflictantur, ſic hic morbus, qui eſt in Rep; relevatus iſtius poena, vehementius vivis reliquis ingraveſcet.* Virg. 9. Aen. v. 433.

Volvitur Euryalus letho, pulchroſque per artus
Is cruor, inque humeros cervix collapſa recumbit:
Purpureus veluti cum flos ſucciſus aratro
Langueſcit moriens; laſſove papavera collo
Demiſere caput, pluvia cum forte gravantur.

9. Diſſimilitudo eſt rerum ſimilium in aliquo diſſimilium collatio, ut religioſiſſimi viri & nefarii aeque intereunt, ſed illi ſempiterni praemii certa ſpe, illi ſuppliciorum certo metu. Cic. 2. Phil. c. 41. *O tecta ipſa miſera, quam a diſpari domino tenebantur? Studiorum ſuorum M. Varro voluit eſſe illud, non libidinum diverſorium. Quae in illa villa antea dicebantur! quae cogitabantur? quae litteris mandabantur? Jura Pop. Romani, monumenta Majorum, omnis ſapientiae ratio, omniſque doctrina: at vero te inquilino, non enim domino, perſonabant omnia vocibus ebriorum, natabant pavimenta vino, madebant parietes, ingenui pueri cum turpiſſimis verſabantur.* Ovid. 1. Triſt. eleg. 4. v. 63. ſe cum Ulyſſe conferens.

Ille habuit fidamque manum, ſocioſque fideles;

Me

Me profugum comites deſeruere mei.
Ille ſuam laetus patriam, victorque petebat:
A patria fugio victus, & exſul ego.
Illi corpus erat durum, patienſque laborum:
Invalidae vires, ingeniumque mibi.
Ille erat aſſidue ſaevis agitatus in armis.
Aſſuetus ſtudiis mollibus ipſe fui.

10. Contraria ſunt, quorum alterum alteri opponitur; ſimulque eſſe non poſſunt. Quatuor ſunt eorum genera: adverſa, ſive oppoſita jam deſcripta, ut amat bellum, paci ergo non aequieſcet; inimicus homini eſt, ergo non ejus bono favebit; ignarus eſt, bene ergo non conſulet: relata, quorum unum in aliud refertur, ut viam Praeceptor monſtrat, per eam ergo Auditor incedat, non parcit periculo Imperator, ergo nec miles parcat; Pater eſt, ergo ei a Filio obtemperetur: privantia, quorum unum habet, quo alterum caret, ut ſapientia & ignoratio, lux & tenebrae, vita & mors; bene judicet imperitus? diſerte dicat qui non didicit? & negantia, quorum unum negat, quod alterum affirmat, ut conſcius fuit, non fuit; cum optimis verſatur, non verſatur Singulorum habe exemplum. Cic. 7. Phil. c. 11. *Quae poteſt eſſe pax M. Antonio cum Senatu? quibus ille vos poterit, quibus viciſſim vos illum oculis intueri? quis veſtrum illum, quem ille veſtrum non oderit?* Labienus apud Caeſ. Bel. Gal. l. 6. c. 8. *Habetis, inquit, Milites quam petiſtis facultatem, hoſtem impedito atque iniquo loco tenetis; praeſtate eamdem nobis Ducibus virtutem, quam ſaepenumero Imperatori praeſtitiſtis.* Cic. 2. Phil. cap. 2. *At enim te in diſciplinam meam tra*

di-

dideras, domum meam ventitaras. Nae tu, ſi id feciſſes, melius famae: melius pudicitiae tuae conſuluiſſes: ſed nec feciſti, nec, ſi cuperes, tibi id per Curionem facere licuiſſet.

11. Repugnantia ſunt quae inter ſe pugnant, ut benefacere & odiſſe, nocere & amare, ſapientiam velle, nec ei operam dare. Cic. pro Coel. *Objectum eſt, municipibus eſſe adoleſcentem non probatum ſuis. Nemini umquam praeſenti Puteolani majores honores habuerunt, quam abſenti M. Coelio, quem & abſentem in ampliſſimum ordinem cooptaverunt.*

12 Huc conjicio eum locum, unde interdum Oratores, ſaepius Poetae arguunt, ab iis nempe, quae fieri plane non poſſunt: qui locus magnam habet vim ad probandum, majorem etiam ad delectandum. Hujusmodi haec ſunt. Cic. 1. Cat. c. 9. *Quamquam quid loquar? te ut ulla res frangat? tu ut umquam te corrigas? tu ut ullum exſilium cogites? Utinam tibi iſtam mentem Dii immortales darent*? Propert. lib. 3. eleg. 17. v. 5.

Flamma per incenſas citius ſedetur ariſtas,
Fluminaque in fontis ſint reditura caput.
Quam poſſit noſtros quiſquam reprehendere curſus,
Et rapidae ſtimulos frangere nequitiae.

13 Adjuncta ſunt rerum, ac factorum momenta extrinſecus rebus, ac factis addita ipſorum naturam oſtendentia. Septem ſunt eorum genera, hoc verſu comprehenſa: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*. Singula autem eorum Oratori incredibilem ad dicendum copiam, vim, & gratiam ſuppeditant, & omnia ſane illuſtrant,

prae-

praedicant, oſtendunt. Etenim perſonae dignitas aut turpitudo, robur aut infirmitas, ſapientia aut ignoratio, ſanctimonia aut ſcelus, rei magnitudo aut tenuitas, difficultas aut facilitas, utilitas aut pernicies, loci ſolitudo aut celebritas, ſanctitas aut licentia; ſociorum & faventium opes, inopia, audacia, moderatio, indoles, facultas; agentis conſilium, conatus, animus, propoſitum; agentis item modus, ſolertia, negligentia, cupiditas, liberalitas, manſuetudo, pietas; ac demum temporis conditio. noctu vel die, in ipſa luce vel tenebris, diu vel ſtatim aliquid fiat innumerabilia, maxima, praeclariſſima argumenta ſuppeditant; quamobrem qui haec advertit, aperit, ex dignitate verſat, ſaepe excellit, ſemper magnopere afficit. Rei plane uberrimae pauca haec ſint exemplo. Cic. 2. Catil. c. 5. *Hoc vero quis ferre poſſit, inertes homines fortiſſimis viris inſidiari, ſtultiſſimos pudentiſſimis, ebrios ſobriis, dormientes vigilantibus? Qui mihi accubantes in conviviis, vino languidi, confecti cibo, ſertis redimiti, unguentis obliti, debilitati ſtupris eructant ſermonibus ſuis caedem bonorum, atque urbis incendia.* Et 2 Phil. c. 44. *Nonne igitur millies perire eſt melius, quam in ſua civitate ſine armatorum praeſidio non poſſe vivere? Caritate, & benevolentia Civium ſeptum oportet eſſe, non armis.* Juno apud Hor. *l.* 3. od. 3. verſ. 61.

Trojae renaſcens alite lugubri
Fortuna, triſti clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Conjuge me Jovis, & ſorore.

14. Praecedentia ſunt, quae rem neceſſario prae-

praecedunt, & cum ea poſita ſunt, ex iis aliud ſequatur neceſſe eſt, ut negligentia in ſtudiis ignorationem, improbe facta poenam, lethale vulnus mortem, & contra ſtudium ſapientiam, recte facta praemium, lux diem neceſſario praecedit. Haec porro interdum ſequentium cauſſa ſunt, interdum conditio. Hor. l. 1. od. 3. v. 26.

Audax Japeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit:
Poſt ignem aetheria domo
Subductum macies, & nova febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda neceſſitas
Lethi corripuit gradum.

15 Comitantia ſunt, quae rem neceſſario comitantur, ut recta conſcientia tranquillitatem, praeclare facta gloriam, *patet enim gloriam maxime ſequi virtutem* [a], magnas opes invidia, otium ſcelera omnia. Pulchre Cic. 3. Tuſc. c. 2. *En gloria virtuti reſonat, tamquam imago* * *voci, quae quia recte factorum plerumque comes eſt, non eſt a bonis viris repudianda.* Et pro lege Manil. c. 7. *Cum in Aſia res magnas multi amiſerunt, ſcimus Romae ſolutione impedita fidem concidiſſe: non enim poſſunt una in civitate multi rem, atque fortunas amittere, ut non plures ſecum in eamdem calamitatem trahant.* Lepide Plin. nat. hiſt. l. 7. c. 32. *Comitem aeris alieni atque litis eſſe miſeriam.*

16. Sequentia ſunt quae rem neceſſario conſequuntur, ut projectam verecundiam omnia infanda, caute niſi ſancte facta parti aut

a. Xenoph de Rep. Laced. ex interpr. Philelphi.
* Echo dicta Ovidio, imago Horatio, Ciceroni, aliis

aut creſcentis nominis fama, ſempiterna praemia ſanctimonia. Bene Alexander apud Curt. l. 4. c. 33. *Nomina modo vana gentium ignotarum ne exſtimeſcerent Ob id ipſum, quod ignoti eſſent, ignobiles eſſe. Numquam ignorari viros fortes.* Hor. l. 3. od. 2. v. 32.

Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede poena claudo.

17. Cauſſa eſt quae aliquid efficit, ſeu quae *id efficit, cujus eſt cauſſa, ut vulnus mortis, cruditas morbi, ignis ardoris* [a]. Quatuor ſunt earum genera. Forma, quae aliquid exſtare, vivere, agere facit, ut animus hominem, ſua forma bruta, arbores, plantas Materia ex qua aliquid fiat, ut ex auro, argento, gemmis nummus, monile, abacus, ſtatua. Efficiens, quae ingenio, & manu aliud efficit, ut Pictor imaginem, orationem Orator, carmen Poeta, ſtatuam Sculptor. Finis, cujus gratia aliud fiat, ut victoria Militum atque Imperatoris pugnantium, meſſis Agricolae laborantis, ſapientia ſtudiis incumbentis. Uberrimus, ſimulque efficaciſſimus hic locus. Eorum haec ſint exemplo. Salluſt. Bel Jug. c. 2. *Animus incorruptus, aeternus, rector humani generis agit, atque habet cuncta, neque ipſe habetur. Quo magis pravitas eorum admiranda eſt, qui dediti corporis gaudiis per luxum atque ignaviam aetatem agunt. Ceterum ingenium, quo neque melius, neque amplius aliud in natura mortalium eſt, incultu atque ſocordia torpeſcere ſinunt, cum praeſertim tam multae variaeque artes ſint animi, quibus ſumma claritudo paratur.* Caeſ. Bel. Gal. l. 1. c. 5. *Helvetii id, quod conſti-* tue-

a. Cic. de Fato.

tuerant, facere conantur, ut e finibus ſuis exeant. Ubi jam ſe ad eam rem paratos eſſe arbitrati ſunt, oppida ſua omnia numero ad duodecim, vicos ad quadringentos, reliqua privata aedificia incendunt, frumentum omne praeter quod ſecum portaturi erant, comburunt; ut domum reditionis ſpe ſublata paratiores ad omnia pericula ſubeunda eſſent. Cic. in Piſ. c. 32. *Habet hoc virtus, quam ne de facie quidem tu noſti, ut viros fortes ſpecies ejus, & pulchritudo etiam in hoſte poſita delectet*. Propert l. 2. eleg. 5.

Ergo ſollicitae tu cauſſa pecunia vitae es;
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula praebes,
Semina curarum de capite orta tuo.

Et Virg. ecl. 3. v. 36.

Pocula ponam
Fagina, caelatum divini opus Alcimedontis:
Lenta quibus torno facili ſuperaddita vitis
Diffuſos hedera veſtit pallente corymbos.
In medio duo ſigna.

18. Effecta ſunt, quae de cauſſis orta ſunt, ſingulisque cauſſis ſua reſpondent effecta. Ex effectis autem arguimus, cum ex iis cauſſas aut atterimus, aut efferimus, aut aliud quidpiam ad eas adducimus Praeclare Sal. Bel. Jug. c. 4. *Saepe audivi Civitatis noſtrae praeclaros viros ſolitos dicere, cum Majorum imagines intuerentur, vehementiſſime animum ſibi ad virtutem accendi; ſcilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in ſe ſe habere, ſed memoria rerum geſtarum eam flammam egregiis viris in pectore creſcere, neque prius ſedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequavit*. Liv. praef. lib. 1.

lib. 1. *Ego hoc laboris praemium petam, uti me a conſpectu malorum, quae noſtra tot per annos vidit aetas, tantiſper certe, dum priſca illa tota mente repeto, avertam.* Virg. Ecl. 3. v. 100.

Eheu quam pingui macer eſt mihi taurus in arvo!

Idem amor exitium eſt pecori, pecoriſque magiſtro.

19 Comparatio eſt plurium inter ſe collatio, ſive *oratio, qua duo, vel plura in tertio comparantur, quod illis commune eſt* [a]. Fit autem comparatio, ſive arguitur a majori ad minus, ut hominem legum ſupplicia non emendarunt, nec emendabit monentis vox: a minori ad majus, ut menſis laborem non feret, qui diei non tulit: & a pari, aeſtus, ac frigoris rem milites tolerant, ut potiantur praeda, ergo & tu ſtudii incommoda toleres, ut ſapientia. Amplus in primis, & jucundus hic locus. Haec habe in ſpecimen. Cic. 2. Phil. cap. 46. *Cum illum* (Caeſarem) *homines non tulerint, te ferent?* Idem pro Leg. Man. cap. 15. *Et quiſquam dubitabit, quid virtute perfecturus ſit, qui tantum auctoritatae perfecerit?* Et 1. Catil. c. 7. *Servi mehercule mei ſi iſto pacto metuerent, ut te metuunt omnes Cives tui, domum mihi meam relinquendam putarem; tu tibi Urbem non arbitraris? & ſi meis Civibus injuria ſuſpectum tam graviter, atque offenſum viderem, carere me aſpectu Civium, quam infeſtis oculis omnium conſpici mallem; tu cum conſcientia ſcelerum tuorum agnoſcas odium omnium juſtum, & jamdiu tibi debitum, dubitas, quorum*

[a] Cic. Topic. c. 5.

rum mentes ſenſusque vulneras, eorum aſpectum praeſentiamque vitare?

Loci remoti: in iiſque advertenda.

CAP. VI.

1. PRaejudicium eſt judicium in re ſimili ante prolatum: *res enim ſaepe judicatae tranſeunt in leges* [a], praeſertim cum a viris ſapientia, gravitate, & ſanctimonia praeſtantibus animadverſae, judicatae, atque ſancitae ſunt: idque aperiendum eſt ſaepe, cum a praejudiciis arguimus, alioquin facile irridentur, ac repudiantur. M. Cato apud Sall. Con. Catil. c. 56. *Apud Majores noſtros Aulus Manlius Torquatus bello gallico filium ſuum, quod is contra imperium in hoſtem pugnaverat, necari juſſit, atque ille egregius adoleſcens immoderatae fortitudinis morte poenas dedit: vos de crudeliſſimis parricidis quid ſtatuatis cunctamini?* Cic. pro Leg. Manil. c. 5. *Legati quod erant appellati ſuperbius, Corinthum Patres veſtri totius Graeciae lumen exſtinctum eſſe voluerunt. Vos eum Regem inultum eſſe patiemini, qui Legatum Populi Romani Conſularem vinculis, ac verberibus, atque omni ſupplicio excruciatum necavit? Illi libertatem Civium Rom. imminutam non tulerunt; vos vitam ereptam negligetis? Jus legationis verbo violatum illi perſecuti ſunt; vos Legatum Populi Romani omni ſupplicio interfectum inultum relinquetis?*

2. Fa-

a. Majorag. in Ariſt. Rhet. lib. 1. c. 3. tex. 17.

2. Fama eſt ſermo de aliqua re pervagatus. Aliquando ab imperitia plebe profecta eſt, aliquando autem a communi, & conſtanti omnium voce. Itaque ut ea ſtabile ac invictum ſit argumentum, ex omnium, aut certe plurimorum conſenſione & integritate, & prudentia florentium derivari famam neceſſe eſt, tum enim *conſenſus civitatis eſt velut publicum teſtimonium* [a]. Contra nihil ea ineptius, quae ultro loquentibus nata eſt: facile enim negligas *ſermonem ſine ullo certo auctore diſperſum, cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas, quod nulli non etiam innocentiſſimo poſſet accidere fraude inimicorum falſa vulgantium* [b]. Aeſchines in Timarch. *Recordamini qualem de Timarcho famam audiatis: nonne audito nomine rogatis quis Timarchus? num ille impudicus? Si teſtes produxiſſem crederetis mihi, ubi famam produxero, non credetis*? Sall. Con. Catil. c. 22. *Fuere ea tempeſtate qui dicerent, Catilinam, cum ad jusjurandum populares addiceret, humani corporis ſanguinem vino permiſtum in pateris circumtuliſſe*. Plin. Paneg. ad Trajan. *Tales nos crede, qualis fama cujusque eſt: huic aures, huic oculos intende. Melius omnibus, quam ſingulis creditur: ſinguli enim decipere, & decipi poſſunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerunt*.

3 *Lex eſt ratio imperandi, atque prohibendi* [c]. Ex hac quoque cum arguebant veteres Oratores, & legitimas, & incorruptas, & a ſapienti aut homine, aut coetu latas dicebant, ſi contra ſe ſtarent, contrariis nominibus atte-

T 2 rebant-

a. Quinctil. lib. 5 cap. 3. b. Idem ibi. c. Cic. 1. leg.

rebant. Ex lege hoc Ciceronis pro Archia Poeta c. 8. *Homerum Colophonii Civem eſſe dicunt ſuum. Chii ſuum vindicant. Salaminii repetunt. Smyrnaei vero ſuum eſſe confirmant. Itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt: permulti alii praeterea pugnant inter ſe atque contendunt. Ergo illi alienum, quia Poeta fuit poſt mortem etiam expetunt: nos hunc vivum, qui & voluntate, & legibus noſter eſt, repudiabimus?*

4. Tabulae ſunt privatae hominum inter ſe praeſcriptae leges, pacta, conventa. Eas item, cum a ſe ſtabant, *Orator augebat dicens, eas propriae, ac privatae legis vim habere* a; communem hominum ſocietatem, & conventiones interire, ſi violentur. Si autem contra eum pugnabant, fidem eis adimebat, quod improborum manu factae, adulteratae, ſuppoſitae. Ita Cic. pro Arch. c. 4 *At non eſt profeſſus. Immo vero iis tabulis profeſſus, quae ſolae ex illa profeſſione, collegioque Praetorum obtinent publicarum tabularum auctoritatem*,

5. Quaeſtiones ſunt cruciatus ad extorquendam veritatem adhibiti. Excogitatae ſunt in pervicaciae remedium, ſaepe etiam ab hominibus numquam admiſſi facinoris confeſſionem extorſerunt; nam etſi *videntur vera dicere, qui torquentur* b, at certe *quibus neceſſitas adhibetur, non minus falſa, quam vera dicere ſolent; nam vel dolorem tolerantes verum occultant, vel facile mentiuntur, ut citius a cruciatu liberentur* c. Irridet quaeſtiones Cic. pro Mil. c. 21. *Sed quaeſtiones urgent Milonem, quae ſunt habitae in atrio Liber-*

a. Ariſt. Rhet. l. 1. c. 47. tex. 617 b. Cic. Part. Or c. 3 c. Ariſt. Rhet. l. 1. c. 48. tex. 631.

bertatis. Quibuſnam de ſervis? de P. Clodii. Quis eos poſtulavit? Appius? Quis produxit? Appius. Unde? ab Appio.

6. Jusjurandum, ſeu ſacramentum, eſt affirmatio, vel negatio rei ſacrae atteſtatione firmata, ſeu divini Numinis in veritatis teſtimonium obteſtatio. Maxima in jurejurando vis cunctis gentibus fuit, tam Deus ipſe invocatus vix credi poteſt ab homine aut deſpici, aut violari poſſe, quod tamen teterrimi aliqui mortalium meditantur & faciunt. Egregie Milites ſuos ſacramento adactos ab fuga revocat ad pugnam, & victoriam Camillus apud Liv. lib. 3. c. 13. *Hoc juraſtis Milites, fugientes vos in caſtra redituros? Adeo ignaviſſimos hoſtes magis timetis, quam Jovem, Martemque, per quos juraſtis?*

7. Teſtimonium eſt aliorum aut voce, aut ſcripto atteſtatio; ſeu teſtes ſunt, qui rem quampiam vel voce, vel ſcripto confirmant. Ut plane probet locus, fide, ſapientia, probitate excellant, qui atteſtati ſint, neceſſe eſt. Non aliuſmodi haec. Cic. in Brut. c. 4. *Illud Heſiodium laudatur a doctis, quod eadem menſura reddere jubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore, ſi poſſis: ego autem voluntatem tibi, Pomponi, profecto remetiar *, ſed rem ipſam nondum poſſe videor, idque ut ignoſcas peto*. Id. 2. Phil. c. 27. *In ejus igitur copias cum ſe ſubito ingurgitaſſet exſultabat gaudio perſona de mimo, modo egens, repente dives: ſed ut eſt apud Poetam neſcio quem, male parta male dilabuntur*. Et pro Arch c. 12. *Haec vero ſive a meo ſenſu poſt mortem*

T 3 *ab*

* Ita facile melius legit Lambin. quod vulgati aliqui *emetiar*.

abſutura ſunt, ſive, ut ſapientiſſimi homines putaverunt, ad aliquam animi mei partem pertinebunt, nunc quidem certe cognitione quadam, ſpeque delector.

9. Haec loca aſſumta ita a Quinctiliano tradita rejicit Cicero univerſa in divinum atque humanum teſtimonium divinum Ethnicis creditum inanium Deorum, vere Daemonis, ut eos in ſuperſtitione obfirmaret, oracula, auſpicia, auguria, divinorum reſponſa, & interpretationes, portenta, & plura ejuſmodi deliria Ciceroni ipſi toties irriſa: humanum in ſapientium ſcripta & affirmationem. Nobis plane ſingulari Dei Opt. Max. beneficio voluntatem ſuam aperientis, & in beatum regnum vocantis divinum teſtimonium ſunt Sacrae Litterae unanimi ſenſu Patrum interpretatae, Maximorum Pontificum decreta, Oecumenica Concilia, & Sancti Patres: uti humanum vere ſapientes, & integerrimi omnes Scriptores; quae quidem inſitis locis ſaepe praecedunt, ut virorum caeleſti luce, & ſanctitate afflatorum, ideoque haud dubias rationes continentium; & ad omnium animos permovendos maxime accommodatorum. Qua in re optimum factu eſt eos legendo rationes illorum advertere, & deinceps in tempore afferre, eoque pacto etiam vere ad rem afferuntur auctoritates.

Hiſtoriae amplitudo: utilitas quaedam monita: e uſque ratio afferendae.

CAP. VII.

1. Hiſtoria *eſt geſta res ab aetatis noſtrae memoria remota* a, ſcriptiſque fere mandata.

2. Haec latiſſimum campum, incredibilem aperit vim, & ſingularem dignitatem; & ſi ſapienti, erudito, exercitato Oratori, Poetae; omnique Scriptori alii loci modo hic, modo alius praeſto ſunt, ubique hiſtoria, efficaciuſque perſuadet, quod audientes a factis permoventur, & quae alii fecerint, aut vitarint, libentiſſime ſibi facienda, aut vitanda intelligunt, & praeſcribunt.

3. Majoris etiam eſt utilitatis, primum ſi plane vera ſit, eo enim eſt robuſtior, quo verior. Deinde ſi ejus gentis facta afferantur, apud quam oratio praeſertim de rerum adminiſtratione habetur: hinc Cicero, alii Latini Romanam hiſtoriam fere ubique, aut Graecam afferunt, reliquam parcius, Graecorum enim maxime aemuli Romani; ſi autem de communi vita verba ſint, omnia omnium gentium monumenta idonea ſunt. Praeterea, cum de religione, aut morum integritate oratur, Divina, & Sacra aptiora ſunt; cum vero de praeclaris artibus, de rerum inveſtigatione, de ſapientiae ampli-

T 4

a. Cic. 1. Inv. Rhet. c. 19. iiſdem verbis ad Her. l. 1. c. 8.

plitudine, ut in Academiarum exercitatione conſuevimus, profana videntur magis acommodata: ideoque Oratori *tenenda eſt omnis antiquitas, exemplorumque vis* a.

4. Ratio autem afferendae hiſtoriae optima eſt, ut appareat majorem eſſe cauſſam, quae vel ad agendum nunc impellat, vel ab agendo deterreat, quam in iis fuerit. Ut id quoque exemplo conſtet, audi Cic. pro Arch. c. 10. & 11. *Quam multos Scriptores rerum ſuarum magnus ille Alexander ſecum habuiſſe dicitur? Atque is tamen, cum in Sigaeo ad Achillis tumulum adſtitiſſet: O fortunate inquit, adoleſcens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris! Et vere: nam, niſi Ilias exſtitiſſet, idem tumulus, qui corpus ejus contexerat, nomen obruiſſet. Quid noſter hic Magnus, qui cum virtute fortunam adaequavit? nonne Theophanem Mitylenaeum, Scriptorem rerum ſuarum, in concione militum civitate donavit, & noſtri illi fortes viri, ſed ruſtici, ac milites dulcedine quadam gloriae commoti, quaſi participes ejusdem laudis magno illud clamore approbaverunt? Itaque credo, ſi Civis Romanus Archias legibus non eſſet, ut ab aliquo Imperatore civitate donaretur, perficere non potuit. Sylla, cum Hiſpanos, & Gallos donaret, credo, hunc petentem repudiaſſet. Quid? a Q. Metello Pio, familiariſſimo ſuo, qui civitate multos donavit, neque per ſe, neque per Lucullos impetraviſſet? Qui praeſertim uſque eo de ſuis rebus ſcribi cuperet, ut etiam Cordubae natis Poetis pingue quiddam ſonantibus, tamen aures ſuas dederet. Decius quidem Brutus, ſummus ille vir, & Imperator, Accii*

a Cic. 1. de Orat. c. 18.

Accii amiciſſimi ſui carminibus templorum, ac monumentorum aditus exornavit ſuorum. Jam vero ille, qui cum Aetolis Ennio comite bellavit, Fulvius, non dubitavit Martis manubias Muſis conſecrare. Quare in qua urbe Imperatores prope armati Poetarum nomen, & Muſarum delubra coluerunt, in ea non debent togati Judices a Muſarum honore, & a Poetarum ſalute abhorrere. Et 1. Catil. c. 1. *Ad mortem te Catilina duci juſſu Conſulis jam pridem oportebat; in te conferri peſtem iſtam, quam tu in nos omnes jamdiu machinaris. An vero vir ampliſſimus P. Scipio Pontifex Maximus Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reip. privatus interfecit; Catilinam vero orbem terrae caede, atque incendiis vaſtare cupientem nos Conſules perferemus? Nam illa nimis antiqua praetereo, quod Q. Servilius Abala Sp. Melium novis rebus ſtudentem manu ſua occidit. Fuit, fuit iſta quondam in hac Rep. virtus, ut viri fortes acrioribus ſuppliciis Civem pernicioſum, quam acerbiſſimum hoſtem coercerent.*

Hor. Epod. od. 16.

Altera jam teritur bellis civilibus aetas,
Suis & ipſa Roma viribus ruit.
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marſi,
Minacis aut Etruſca Porſenae manus;
Aemula nec virtus Capuae, nec Spartacus acer,
Noviſque rebus infidelis Allobrox;
Nec fera caerulea domuit Germania pube,
Parentibusque abominatus Annibal.

RHE-

RHETORICARUM INSTITUTIONUM

LIBER SEXTUS,

Quo de amplificatione agitur.

Summa laus eloquentiae eſt amplificare rem ornando.
Cic. 3. de Orat. c. 26.

✱

Quid ſit amplificatio: quot ejus genera: & quanta utilitas.

CAPUT I.

Amplificatio, ſi generatim conſtituamus, eſt copioſior oratio, ut quidquid dicitur ample & copioſe dicatur.

2. Singulatim alia eſt verborum, alia rerum. Verborum eſt ornatior unius rei, aut ejusdem ſententiae explicatio, quam Iſocrates rationem dicebat, qua ex parvis atque adſtrictis magna atque ampla fierent. Haec ad rei non admodum cognitae, aut ſubtilioris, & ſatis certe utilis expoſitionem exornationemque accommodata, & utilis eſt. Amplificatio rerum eſt multarum, magnarumque rerum, aut rationum quaſi acervatio, aut certe vehementior, ejuſdem argumenti per motus, & gravia orna-

ornamenta confirmatio; idcirco *gravior quaedam affirmatio, quae motu animorum conciliet in dicendo fidem* [a] Tullio eſt dicta: haec vero ad vehementiorem rerum contentionem nata eſt.

3. Praeterea alia eſt amplificatio nominis, quae ſcilicet vel ad augendam hominis, aut rei invidiam, improbitatem, ſcelus graviori verbo utitur, aut contra ad minuenda ea leviori, ut *cum eum, qui improbus ſit, latronem, contraque eum, qui vulneravit, laeſiſſe dicimus* [b]. Hujuſmodi haec ſunt. Cic. 1. Catil. c. 11. *Cum bello vaſtabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non exiſtimas invidiae incendio conflagraturum?* Et pro Mil. c. 10. *Fecerunt id ſervi Milonis, quod ſuos quiſque ſervos in tali re facere voluiſſet:* h. e interemerunt Clodium. Alia orationis, cum verba quae ſatis rem explicant cum aliis quae exagerant conjiciuntur, ut Cic. 3. Verr. cap. 4. *Non enim furem, ſed raptorem, non adulterum, ſed pudicitiae expugnatorem, non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum, religionumque, non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem Civium, Sociorumque in veſtrum judicium adduximus*. Item cum ad ſummum rem adducimus atque efferimus, ut apud Virg. 7. Aen. v. 649 de Lauſo. *Quo pulchrior alter Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni: ſummum eſt enim, quo pulchrior alter non fuit* [c].

4. Singulae incredibilis ſunt utilitatis dicenti ſeu res aptius explicetur elegantiuſque ornetur, ſeu ſolidius acriuſque confirmetur, & in-

a. Part. Orat. c. 15. b. Quinct. Inſt. Orat. l. 8. c. 4. c. Id. ibi.

incitatius impellantur animi ad ea, quae opus ſint. Etenim quacumque in re dicat perſpicue intelligitur, audientes ſane afficit, ac perſuadet. Hinc ſuo jure Quinctiliano dictum eſt, *omnis vis Oratoris in augendo, minuendoque conſiſtit* a, & a Zenone Rhetorica extenſae palmae, in qua omnia intuenti appareant, Dialectica autem pugno comparabatur, in quod tamquam violenter irrumpere, & inſpicere neceſſe ſit.

Quibus rebus inniti debeat amplificatio: quibus immorari: ubi locum habeat praecipuum.

CAP. II.

1. AMplificatio, ut gravis, diſerta, & magna ſit, argumenti magnitudini, & rerum ponderi innitatur neceſſe eſt: nec enim eſt inanis verborum copia, neque magnificum efferendis verbis, exagerandiſque rebus mendacium, ſed copioſe loquens ſapientia, rerumque omnem amplitudinem, & conditionem, atque intimos ac latentes ſinus aperiens, ac velut prodire jubens. quae omnia ſi latitare, & tamquam concluſa tabeſcere Orator ſinat, inſignem cauſſae ſuae injuriam inferet, ea autem introſpiciens, patefaciens, atque exornans ad ſingularem dignitatem, & vim omnia revocabit, *rerum enim copia verborum copiam gignit* b, ut inquit Ci-

a. Quinctil. l. 8. c. 3. b. Cic. 3. de Or.

Cicero. Quare qui ea prodigioſe aut ornet, aut dilatet, quae nec verborum, nec rerum pondus ſuſtineant, vehementer errat, ac *malim equidem indiſertam prudentiam, quam ſtultitiam loquacem* a: nam *factis dicta ſunt exaequanda* b. Singula autem multa habent, quae rudem oſcitantemque Oratorem fugiunt, cogitanti autem advertentique ſeſe offerunt, dicique ac tolli flagitant.

2. Quare in ſubtiliorum rerum explicatione, in rerum, quae momentum ſunt, explicatione, & in motuum facibus, qui ad praecipua cauſſae inflammant, commode immoratur amplificatio. *Ac mea quidem oratio in dicendo haec eſſe ſolet, ut boni, vehementis, atque efficacis quod habet, id amplectar, exornem, exagerem, ibi commorer, ibi habitem, ibi haeream* c.

3. Itaque locum habet praecipuum in iis, quae aut ſumma ſunt, aut magna, aut perutilia. Eam ob cauſſam amplificanda eſt potiſſimum ratio, qua res dubiae, ac propoſitae probantur, quae dilatatae audientem ſatis afficiant, & in id incendant, quae contenduntur: *deſideratur enim omnibus iis locis, qui ad fidem orationis faciendam adhibentur* d. Cetera modo plus, modo minus amplificationem ferunt, non poſtulant.

Am-

a. Cic. 3 de Orat. b. Sall. Con. Catil. c. 3.
c. Cic. 2. de Orat. d. Id. 2. de Orat.

Amplificatio vim, motus, atque evidentiam promovet.

C A P. III.

1. AMplificatio inſuper non modo non inutilem verborum cumulum ingeminat, ſed dum argumenti magnitudinem, rerumque ingentium dignitatem plane aperit, commonſtrat, atque extollit, jam ipſam argumenti, & dicendorum amplitudinem promovet. Nam cumulatior illa eloquentia non unam, quam exponit, ſed plures, & graviſſimas rerum cauſſas, & rationes excogitat, dicendo complectitur, & quaſi geminat. Inde vero longe major, longeque praeſtantior conciliatur iis, quae dicuntur, vis, motuum efficientia, rerum perſpicuitas. Uno id exemplo intueamur, & quantae argumenti, permotionum, evidentiaeque diminutioni conciſa brevitas ſaepe ſit conſeramus. Fabiorum cum Vejentibus bellum, & cladem ita complectitur Flor. l. 1. c. 12. *Aſſidui vero, & anniverſarii hoſtes ab Etruria fuere Vejentes, adeo ut extraordinariam manum adverſus eos promiſerit, privatumque geſſerit bellum gens una Fabiorum. Satis ſuperque idonea clades. Lecti apud Cremeram trecenti, & ſex Patricius exercitus; & ſcelerate ſignatur nomine, quae proficiſcentes in praelium porta dimiſit.* Et Ovid. 2. Faſt. v. 235.

Una dies Fabios ad bellum miſerat, omnes
Ad bellum miſſos perdidit una dies.

Ad rei notitiam nihil forte deſideras, & non

pauca

pauca etiam acute animadverſa ſunt tibi expoſita. Ovidius affectionem quoque attigit: audi nunc tamen quanto majori rerum, documentorum, & permotionum copia complexus ſit Liv. l. 2. cap. 27. & 28 ſimulque experire an verbum ullum poſſis tollere, quin argumenti vim, elegantiam, & decus imminuas. Ait ergo. *Vejens hoſtis aſſiduus magis quam gravis, contumeliis ſaepius quam periculo animos agitabat, quod nullo tempore negligi poterat, aut averti alio ſinebat. Tum Fabia gens Senatum adit; Conſul pro gente loquitur. Aſſiduo magis quam magno praeſidio, P. C. bellum Vejens eget, vos alia bella curate; Fabios hoſtes Vejentibus date: auctores ſumus tutam ibi majeſtatem Romani nominis fore: noſtrum id nobis velut familiare bellum privato ſumtu gerere in animo eſt: Reſpubl. & milite illic, & pecunia vacet. Gratiae ingentes actae. Conſul e curia egreſſus comitante Fabiorum agmine, qui in veſtibulo Curiae Senatus conſultum expectantes ſteterant, domum rediit: juſſi armati poſtera die ad limen Conſulis adeſſe. Manat tota Urbe rumor. Fabios ad caelum laudibus ferunt, familiam unam ſubiiſſe civitatis onus. Vejens bellum in privatam curam, in privata arma verſum. Si ſint duae roboris ejusdem in Urbe gentes, depoſcant haec Volſcos ſibi, illa Aequos. Populo Romano tranquillam pacem agente, omnes finitimos ſubigi populos poſſe. Fabii poſtera die arma capiunt, quo juſſi erant conveniunt. Conſul paludatus egrediens in veſtibulo gentem omnem ſuam inſtructo agmine videt, acceptus in medium ſigna ferri jubet. Numquam exercitus neque minor numero, neque clarior fama, & ad-*

admiratione hominum per urbem inceſſit. Sex, & trecenti milites, omnes unius gentis, quorum neminem Ducem ſperneret egregius quibuslibet temporibus Senatus. Ibant unius familiae viribus Vejenti populo peſtem minitantes. Sequebatur turba alia cognatorum, nihil medium nec ſpem, nec curam, ſed immenſa omnia volventium animo, alia publica ſolicitudine excitata: ire fortes, ire felices jubent; inceptis eventus pares reddere, conſulatus inde, ac triumphos, omnia praemia ab ſe, omnes honores ſperare. Praetereuntibus Capitolium, & alia templa, quidquid Deorum oculis, quidquid animo occurrit, precantur, ut illud agmen fauſtum atque felix mittant; ſoſpites brevi in patriam ad parentes reſtituant. Incaſſum miſſae preces. Infelici via a dextro Jano portae Carmentalis profecti ad Cremeram flumen perveniunt, & donec nil aliud quam in populationibus res fuit, non ad praeſidium modo tutandum Fabii ſatis erant, ſed tota regione ſua tuta omnia, infeſta hoſtium vagantes per utrumque finem fecere. Aliquoties aequo campo, collatiſque ſignis certatum: genſque una Pop. Rom. ex opulentiſſima civitate victoriam tulit. Id primo acerbum indignumque Vejentibus viſum, inde conſilium ex re natum inſidiis ferocem hoſtem captandi; gaudere etiam multo ſucceſſu Fabiis audaciam creſcere; itaque & pecora praedantibus aliquoties velut caſu incidiſſent obviam acta, & agreſtium fuga vaſti relicti agri, & ſubſidia armatorum ad arcendas populationes miſſa, ſaepius ſimulato, quam vero pavore refugerunt. Jamque Fabii adeo contemſerant hoſtem, ut ſua invicta arma neque loco, neque tempore ullo

nllo crederent ſuſtineri poſſe. Haec ſpes adeo provexit, ut ad conſpecta procul magno campi intervallo pecora (quamquam rara hoſtium apparebant arma) decurrerent; & cum improvidi effuſo curſu inſidias circa ipſum iter locatas ſuperaſſent, palatique paſſim vaga, ut ſit pavore injecto, raperent pecora, ſubito ex inſidiis conſurgitur. Et adverſi, & undique hoſtes erant. Primo clamor circumlatus exterruit, dein tela ab omni parte accidebant, coeuntibuſque Etruſcis, jam continenti agmine armatorum ſepti, quo magis ſe hoſtis inferebat, cogebantur breviore ſpatio & ipſi orbem colligere. Quae res & paucitatem eorum inſignem, & multitudinem Etruſcorum multiplicatis in arcto ordinibus faciebat. Tum omiſſa pugna, quam in omnes partes parem intenderant, in unum locum ſe omnes inclinant. Eo nixi corporibus armiſque rupere cuneo viam. Duxit via in editum leniter collem. Inde primo reſtitere, mox ut reſpirandi ſuperior locus ſpatium dedit, recipiendique a pavore tanto animum pepulere etiam ſubeuntes; vincebatque auxilio loci paucitas, ni jugo circummiſſus Vejens in verticem collis evaſiſſet; ita ſuperior rurſus hoſtis factus. Fabii caeſi ad unum omnes. Unum prope puberem relictum ſtirpem genti Fabiae, dubiisque rebus Pop. Rom. ſaepe domi bellique vel maximum futurum praeſidium. Vides quot praeclara dicta, & facta, quot eloquentiae lumina, quot militiae capita Florus omiſerat, & Ovidius.

Amplificationis verborum fontes.

CAP. IV.

1. Tenuem quidem, aliquam tamen amplificandi ſegetem ſubinde ea afferunt quae redundare fere videntur, ſed ad maximam in eâ re vim exprimendam ſunt apprime idonea; ut occidione occiſi: internecione interemti; fuga fugati: pugnare pugnam: gaudere gaudium: cenam cenare; longe nobiliſſimus: multo maximus: quam ampliſſimus: Urbem Romam; flumen Rhenum; hiſce oculis vidi; ore loqui; iterum iterumque: unus omnium: nemo mortalium unus: nemo unus: plerique omnes: ad unum omnes: quiſquam unus: barbare ſaevire. Cic. 5. Tuſc. c. 36. *Epheſii cum civitate expellerent Hermodorum, ita locuti: nemo de nobis unus excellat, ſed ſi quis extiterit, alio in loco, & apud alios ſit*. Curt. l. 3. c. 10 *Saucii quidam, & invalidi excepti: quos omnes inſtituto Purpuratorum barbara feritate ſaevientium praeciſis aduſtiſque manibus circumduci* (Darius) *juſſit*. Catull. epigr. 14.

Ni te plus oculis meis amarem,
Odiſſem te odio Vatiniano.

2. Parem gratiam, & vim afferunt ea, quae, cum non affirmare rem audeant, non negant, & duobus negantibus verbis rem affirmant; ut non ſane invenuſtum: non inepta: non injuſta: non poenitendum: non ignobile: non dubitarunt: non negarent: haud dubium: nequaquam aſpernati: haud-

qua.

quaquam diſſimulandum. Cic. pro Arch. c. 11. *Neque enim eſt hoc diſſimulandum, quod obſcurari non poteſt, ſed prae nobis ferendum: trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quiſque maxime gloria ducitur*. Hor. l. 1. od. 1.

Eſt qui nec veteris pocula Maſſici
Nec partem ſolido demere de die,
Spernit.

3. Multo elegantioris & copiae, & gratiae ingenioſeque animadverſis, aut eruditioni praeſeferendae ſunt appoſitiones, quae ſane e rebus acute & alte cogitatis promuntur, eas velut judicando quid ſint, perpendendo quid pariant, & alia hujuſmodi in iis advertendo. Cic. pro Mil c 4. *Hortenſius, lumen & ornamentum Reipublicae*. Id. de Prov. Conſul. cap. 1. *Gabinium & Piſonem, duo Reip. portenta, ac paene funera*. Ibi. cap 4. *Publicanos tradidit Judaeis nationibus natis ſervituti*. Id. 2. Verr. c. 4. *Quaeſtura, primus gradus honoris*. Et 11. Phil. c 1. *Duo haec capita nata ſunt poſt homines natos teterrima & ſpurciſſima, Dolabella & Antonius* Livius lib. 1. cap. 41. *Cenſum inſtituit, rem ſaluberrimam tanto futuro imperio*. Catull. Epigr. 14. *Saeculi incommoda peſſimi Poetae*. Ovid. 1. Metam. *Effodiuntur opes, irritamenta malorum*.

4. Finitimum huic illud genus ſane elegans, cum ſimul affertur, atque explicatur & expenditur quod ſit. Cic de Seneſt. c. 7. *Annos 70. natus [tot enim vixit, & novem] ita ferebat duo, quae maxima putantur, onera, paupertatem, & ſenectutem, ut eis paene delectari videretur*. Et cap. 17. *Apex ſenectutis eſt auctoritas*. Hor. l 3. od. 24. *Magnum pauperies opprobrium, jubet Quidvis & facere,*

& pati. Sall Bell. Jug. c. 10. *Poſtremo quod difficillimum inter mortales eſt, invidiam gloria viciſti*.

5. Illuſtrem vero & uberem copiam, elegantiam, & vim afferunt epitheta, nam *erit grandis oratio ſi epithetis illuſtrabitur* a, ut magnam, efficacem, atque eruditam vim addant haec nominibus, & orationi adjecta ornamenta. Hujus indolis haec ſunt. Cic. pro Marc. c. 1. *Quis illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium ſtudio, aut ullo laudis genere praeſtantior?* Id. 1. Phil c. 9. *Erectus maximi ac pulcherrimi facti conſcientia nihil de ſuo caſu, multa de noſtro querebatur*. Et 1. de Orat. c. 1 *Nam qui locus quietis, & tranquillitatis pleniſſimus fore videbatur, in eo maximae moleſtiarum, & turbulentiſſimae tempeſtates exſtiterunt*. Hor. l. 1. od. 1. v. 7.

Hunc ſi mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus,
Illum ſi proprio condidit horreo
Quicquid de Lybicis verritur areis
Gaudentem patrios findere ſarculo
Agros, Attalicis conditionibus
Numquam dimoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus Nauta ſecet mare.

6. Multo adhuc ampliorem, vehementiorumque faciunt orationem illuſtriores figurae, ut ſunt crebrae repetitiones, ſynonymiae, gradationes, incrementa, periphraſes, ſubjectiones, & multae ejus generis. Breve eorum in ſpecimen audi Tullium, id quod brevi diceretur, *pax omnibus grata eſt*, copioſe 2. Agrar. c. 4. explicantem. *Quid eſt tam popu-*

a. Ariſt. Rhet. l. 3. c. 12. tex. 114. ex interpr. Majorag.

populare, quam pax? quæ non modo ii, quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta, atque agri mihi laetari videntur: quid tam populare, quam libertas? quam non ſolum ab hominibus, verum etiam a beſtiis expeti, atque omnibus rebus anteponi videtis: quid tam populare, quam otium? quod ita jucundum eſt, ut & vos, & Majores veſtri, & fortiſſimus quiſque vir maximos labores ſuſcipiendos putet, ut aliquando in otio poſſit eſſe, praeſertim in imperio, ac dignitate: qui idcirco etiam Majoribus noſtris praecipuam laudem, gratiamque debemus, quod eorum labore eſt factum, ut impune in otio eſſe poſſemus. Et id quod fuiſſet *praegeſties inter malos vivens*, ample 1. Catil. c. 10. *Nactus es ex perditis, atque ab omni non modo fortuna, verum etiam ſpe derelictis, conflatam improborum manum, hic tu qua laetitia perfruere, quibus gaudiis exſultabis, quanta voluptate bacchabere, cum in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quemquam, neque videbis?* Virgilius, id quod fuiſſet dicere *media nox erat*, en quo ornatu 2. Aen. v. 268. complectatur.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
Incipit, & dono Divum gratiſſima ſerpit.

Et quod erat *Aſtyanactes Aſcanio ſimillimus*, 3. Aen. v. 90.

Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.

Et quod eſt *vivitne Aſcanius*? 3. Aen.

Quid puer Aſcanius? ſuperatne, & veſcitur aura
Aetheria, nec adhuc crudelibus occubat umbris?

Pereleganti periphraſi Hor. l. 3. od. 4. v. 45.

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventoſum, & urbes, regnaque triſtia
Divoſque, mortaleſque turmas
Imperio regit unus aequo.

Et Apollinem ibi v. 61.

Qui rore puro Caſtaliae lavit
Crines ſolutos, qui Lyciae tenet
Dumeta, natalemque ſilvam
Delius, & Patareus Apollo.

Amplificationis rerum fontes praecipui.

CAP. V.

1. AMplificandae orationi, rebuſque exagerandis perutile eſt, antequam proprie atque enucleate aperias quid ipſa res ſit, quam agas, brevi complecti quid illa non ſit: quo pacto etiam errori alicui ea in re in aliquorum mente quaſi affixo occurritur. Cic. pro Cluent. *Sceleratasque ejus preces, & nefaria vota cognovimus: neque intelligit, pietate, & religione, & juſtis precibus Deorum mentes, non contaminata ſuperſtitione, neque ad ſcelus perficiendum caeſis hoſtiis, poſſe placari.* Idem pro Leg. Manil. c. 14. *Signa, & tabulas, ceteraque ornamenta Graecorum oppidorum, quae ceteri tollenda eſſe arbitrantur, ea ſibi ille ne viſenda quidem exiſtimavit: itaque omnes Gn. Pompejum, ſicut aliquem non ex hac urbe miſſum, ſed de caelo delapſum intuentur.* Tibullus l. 1. eleg. 3. v. 35.

Quam bene Saturno vivebant Rege prius-
quam
Tellus in longas eſt patefacta vias!

Non

Non dum caeruleas pinus contemſerat undas,
Effuſum ventis praebueratque ſinum.
Illo non validus ſubiit juga tempore taurus,
Non domito frenos ore momordit equus.
Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva lapis.
Ipſae mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia ſecuris ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit: non bella, nec enſem
Immiti ſaevus duxerat arte faber.
Nunc Jove ſub domino caedes, & vulnera ſemper,
Nunc mare, nunc lethi mille repente viae.

Propertius lib. 2. el. 1. v. 17.

Quod mihi ſi tantum Maecenas fata dediſſent,
Ut poſſem heroas ducere in arma manus,
Non ego Titanas canerem, non Oſſan Olympo
Impoſitum, ut caeli Paelion eſſet iter.
Non veteres Thebas, nec Pergama, nomen Homeri,
Xerxis & imperio bina coiſſe vada:
Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altae,
Cimbrorumque minas, & benefacta Mari;
Bellaque, reſque tui memorarem Caeſaris, & tu
Caeſare ſub magno cura ſecunda fores.

2. Mirifice etiam, ad amplitudinem conducit rem quam agis, cum aliis rebus, hominesque cum hominibus conferre. Id vero fit, cum ea intuemur, quae magno in pretio, hominumque aeſtimatione habentur, &

cum re, quae nobis perſuadenda eſt, non mediocriter convenire conſpicimus, atque adeo adducimus, quod etiam ingenioſi, & exercitati hominis vim commendat, & *locus gravis eſt & maxime ubi parva cum majoribus comparantur* a. Tota potiſſimum oratio in Piſonem & pro Marcello ex comparatione eſt, illa Piſonis factorum cum Ciceronis, haec bellicarum laudum cum clementiae. Ex poſteriori haec cap. 2. *Certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes, commeatus multum juvant. Maximam vero partem quaſi ſuo jure fortuna ſibi vindicat: &, quidquid eſt proſpere geſtum, id paene omne ducit ſuum. At vero hujus gloriae, C. Caeſar, quam es paulo ante adeptus, ſocium habes neminem. Totum hoc, quantumcumque eſt, quod certe maximum eſt, totum eſt, inquam, tuum. Nihil ſibi ex iſta laude Centurio, nihil Praefectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. Quin etiam illa ipſa rerum humanarum domina, Fortuna, in iſtius ſe ſocietatem gloriae non offert: tibi cedit: tuam eſſe totam, & propriam fatetur.*

3. Non minus jucunde explicandae, jucundeque proponendae, quam ſapienter amplificandae rei accommodata inſinuatio; nimirum cum res generatim ante indicatur, deinde ſenſim explicatur, confirmatur, atque expolitur. Hujuſmodi exordium pro Quinctio. *Quae res in civitate duae plurimum poſſunt, hae contra nos ambae faciunt in hoc tempore, ſumma gratia, & eloquentia: quarum alteram C. Aquili vereor, alteram metuo. Eloquentia Q. Hortenſii ne me dicendo impediat, non-*

a. Aphth. c. 10. ex interpr. Bonfinis.

nonnihil commoveor. Gratia Sex. Naevii ne P. Quinctio noceat, id vero non mediocriter pertimeſco. Nec hoc tantopere querendum videretur haec ſumma in illis eſſe, ſi in nobis eſſent ſaltem mediocria. Verum ita ſe res habet, ut ego, qui neque uſu ſatis, & ingenio parum poſſum, cum Patrono diſertiſſimo comparer. P. Quinctius, cui tenues opes, nullae facultates, exiguae amicorum copiae ſunt, cum adverſario gratioſiſſimo contendat. Et Nep. in Alcib. c. 1. *In hoc* (Alcibiade) *natura quid efficere poſſit videtur experta: conſtat enim inter omnes, qui de eo memoriae prodiderunt, nihil illo fuiſſe excellentius vel in vitiis, vel in virtutibus. Natus in ampliſſima civitate* [Athenarum] *ſummo genere, omnium aetatis ſuae multo formoſiſſimus, ad omnes res aptus, conſilii plenus. Imperator fuit ſummus mari & terra, diſertus in primis. Cum tempus poſceret laborioſus, patiens, liberalis, ſplendidus, blandus, temporibus callidiſſime inſerviens. Idem, cum ſe remiſerat, luxurioſus, diſſolutus, intemperans; ut omnes admirarentur in uno homine tantam diſſimilitudinem, tamque diverſam naturam.*

4. Illuſtrem copiam quoque ſuppeditat ea ratio, qua ſingulae, aut quidem principes partes expenduntur, & verſantur, ut ex iis pulchra animadverſa eruantur: ut Cic. pro Arch. c. 1. *Si quid eſt in me ingenii, Judices, quod ſentio quam ſit exiguum, aut ſiqua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter eſſe verſatum: aut ſi hujuſce rei ratio aliqua, ab optimarum artium ſtudiis, & diſciplina profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruiſſe, earum rerum omnium*

vel

vel in primis hic A. Licinius fructum a me repetere prope ſuo jure debet.

5. Theſis vero atque hypotheſis amplificando ſunt aptae in primis, nimirum *ante de re infinita ſine deſignatione perſonarum, temporum, locorum, ſociorum; tum vero de re certis in perſonis, ac temporibus locata* [a]: qua in re tamen fac ut cito ad rem certam accedas, in eaque immoreris. Plin. Paneg. ad Trajan. *Bene ac ſapienter, P. C., Majores inſtituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium a precationibus capere: quod nihil rite, nihilque provıdenter homines ſine Deorum immortalium ope, conſilio, bonore auſpicarentur. Qui mos cui potius quam Conſuli?* Vide reliqua.

6. Multo autem uberrimus ad amplificandum, atque exornandum fons eſt partium, cauſſarum, effectorum, ſimilitudinum, diſſimilitudinum, contrariorum, exemplorum, rerumque omnium ad rem ſpectantium enumeratio. Sit exemplo is, qui ubique in ea re princeps eſt. Cicero 2. Philipp. cap. 5. *Non placet M. Antonio Conſulatus meus; at placuit P. Servilio, ut eum primum nominem ex illius temporis Conſularibus, qui proxime eſt mortuus; placuit L. Catulo, cujus ſemper in hac Rep. vivet auctoritas; placuit duobus Lucullis, M. Craſſo, Q. Hortenſio, C. Curioni, M. Lepido, C. Piſoni, M. Labeoni, L. Volcatio, C. Figulo, D. Syllano, L. Muraenae, qui tunc erant Conſules deſignati: placuit idem quod Conſularibus M. Catoni, qui cum multa, vita excedens, providit, tum quod te Conſulem non vidit. Maxime vero Conſulatum meum*

a. Cic. 1. de Or. c. 30.

meum Cn. Pompejus probavit. Sed quid ſingulos commemoro? frequentiſſimo Senatui ſic placuit, ut eſſet nemo, qui mihi non ut parenti gratias ageret: qui non mihi vitam ſuam, liberos, fortunas, Remp. referret acceptam. Hic a perſonis dilatavit; dilatat a ceteris fere omnibus, quae attigi, idem ille pro Leg. Man. cap. 6. *Quanto vos ſtudio convenit ſociorum ſalutem una cum imperii veſtri dignitate defendere? Nam Aſia tam opima eſt, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quae exportantur, facile omnibus terris antecellat. Itaque haec vobis provincia, Quirites, ſi & belli utilitatem, & pacis dignitatem ſuſtinere vultis, non modo a calamitate, ſed etiam a metu calamitatis defendenda eſt: nam ceteris in rebus cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur; at in vectigalibus non ſolum adventus mali, ſed etiam metus ipſe affert calamitatem: nam cum hoſtium copiae non longe abſunt, etiamſi irruptio facta nulla ſit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deſeritur, mercatorum navigatio conquieſcit: ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex ſcriptura vectigal conſervari poteſt; quare totius anni fructus uno rumore periculi, atque uno belli terrore amittitur.* Virg. ecl. 5. v. 31.

Daphnis & Armenias curru ſubjungere tigres
Inſtituit, Daphnis thiaſos inducere Baccho,
Et foliis lentas intexere mollibus haſtas.
Vitis ut arboribus decori eſt, ut vitibus uvae
Ut gregibus tauri, ſegetes ut pinguibus arvis
Tu decus omne tuis

8. Adjun-

7. Adjuncta etiam accurate cogitata, educta, atque expoſita res explanant, amplificant, & promovent, nec vix aequalem ullum fontem intelligo ad copioſe loquentem ſapientiam: quare qui adjuncta tamquam prodire jubet, mirum in modum amplificat, res illuſtrat, atque eminere facit. Rei in optimo quoque paſſim occurrentis haec habe exemplo Cic. pro Leg Manil. c. 2. *Agitur Pop Rom. gloria, quae vobis a Majoribus cum magna in rebus omnibus, tum ſumma in re militari tradita eſt. Agitur ſalus ſociorum atque amicorum, pro qua multa Majores veſtri, magna, & gravia bella geſſerunt. Aguntur certiſſima Pop. Rom. vectigalia, & maxima; quibus amiſſis & pacis ornamenta, & ſubſidia belli requiretis Aguntur bona multorum Civium, quibus eſt & a vobis, & ab Imperatoribus Reipub. conſulendum.* Id. 2. Phil. c. 25. *Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hippiae nuptiis exhauſeras, ut tibi neceſſe eſſet in Pop. Rom. conſpectu vomere poſtridie. Quid fauces & latera ad ebrietatem? vehementiſſima ſunt, & plurima nos jubent conjicere: nam reſpicientes ad haec poſſumus aeſtimare quantum ille vini exhauſerat, quod ferre non poſſet illa gladiatoria corporis firmitate* [a]. Juno in Venerem 4. Aen. v. 93.

Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla refertis
Tuque, puerque tuus, magnum & memorabile nomen,
Una dolo Divum ſi femina victa duorum eſt.

8. Denique *abſolutiſſima & perfectiſſima argu-*

a. Quinctil. l. 8. c. 4.

argumentatio, quae in quinque partes eſt diſtributa, propoſitionem, rationem, rationis confirmationem, exornationem, & complexionem [a], amplitudini maxime eſt accommodata, ſi ſcilicet primum brevi proponas quid dicturus ſis; deinde ejus rei cauſſam afferes, quae verum eſſe oſtendat id, quod propoſuiſti; praeterea illam ipſam rationem pluribus rationibus confirmes; tum aut plura hiſtoriarum exempla adducas, aut in ea re plura ingenioſe animadvertas, aut in inſignem motum, inſignesque, ac vehementes figuras ingrediaris; ac denique ſatis ample & ſapienter concludas, quod propoſuiſti. Hoc plane argumentationis dilatandae non magis, quam proponendae rhetoricum eſt artificium, licet non ſemper omnes iſtae propoſitiones afferantur, ſed plures, nec earum ordo, ſed copia & vis. Non aliuſmodi eſt hoc Cic. 1. Catil. c. 11. *Si mecum patria, quae mihi vita mea multo eſt carior, ſi cuncta Italia, ſi omnis Reſp. loquatur, M. Tulli quid agis?* En propoſuit Catilinam puniendum: nunc ejus rei cauſſae afferuntur. *Tune eum, quem eſſe hoſtem comperiſti, quem Ducem belli futurum vides, quem expectari Imperatorem in caſtra hoſtium ſentis, auctorem ſceleris, principem conjurationis, evocatorem ſervorum, & Civium perditorum, exire patieris? ut abs te non emiſſus ex urbe, ſed immiſſus in urbem eſſe videatur? nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non ſummo ſupplicio mactari imperabis?* Nunc vero juriſprudentiae, hiſtoriarum, permotionum, ac figurarum luce exornat. *Quid tandem impedit te? mosne Ma-*

a. Auct. ad Her. l. 2. c. 18. quem vide hac de re.

Majorum? At perſaepe etiam privati in hac Rep perniciosos Cives morte mulctarunt. An leges, quae de Civium Romanorum ſupplicio rogatae ſunt? At numquam in hac urbe hi, qui a Rep. defecerunt, civium jura tenuerunt. An invidiam poſteritatis times? Praeclaram vero Pop. Rom. refers gratiam, qui te hominem per te cognitum, nulla commendatione Majorum tam mature ad ſummum imperium per omnes honorum gradus extulit, ſi propter invidiam, aut alicujus periculi metum, ſalutem Civium tuorum negligis. Sed ſi quis eſt invidiae metus, non eſt vehementius ſeveritatis, ac fortitudinis invidia, quam inertiae, ac nequitiae pertimeſcenda?

9. Finitimum, & paris copiae eſt artificium, quo ſingulae argumenti partes amplificantur, ut ſua ratio exornatioque addatur cum propoſito, atque aſſumtioni, tum complexioni: itaque, ſi ſyllogiſmus ſit, ample propoſitum ſeu major propoſitio explicatur, eique ſuae cauſſae, & ſua ornamenta adduntur; eodem pacto aſſumtio ſua cum exornatione, eodem complexio, cui ſua ratio exornatioque conſequitur, interdum quidem ſervato, ſaepius inverſo propoſitionum ordine, non ſemel ſingulis propoſitionibus, ſaepius aliquibus adductis & dilatatis. Si enthymema erit, idem fiet in propoſito, & in complexione. Hujus rei quamdam imaginem habe in his Virg. 2. Georg. v. 136.

Sed neque Medorum ſilvae, ditiſſima terra,
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,
Laudibus Italiae certent; non Bactra, neque Indi,

To-

Totaque thuriferis Panchaja pinguis arenis.

Hic non brevi propoſuit, nullas terras in omni ubertate cum Italia certare; nunc pluribus confirmat, quare nulla terra cum Italia contendat, quod in ea nulla monſtra ſint in pecore, in agris. Pergit igitur.

Haec loca non tauri ſpirantes naribus ignem
Invertere, ſatis immanes dentibus Hydri:
Nec galeis, denſiſque virum ſeges horruit haſtis;
Sed gravidae fruges, & Bacchi Maſſicus humor
Implevere; tenent oleaeque, armentaque laeta.
Hinc bellator equus campo ſeſe arduus infert:
Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima, ſaepe tuo perfuſi flumine ſacro
Romanos ad templa Deum duxere triumphos.
Hic ver aſſiduum, atque alienis menſibus aeſtas;
Bis gravidae pecudes, bis pomis utilis arbos.
At rapidae tigres abſunt, & ſaeva leonum
Semina, nec miſeros fallunt aconita legentes.
Nec rapit immenſos orbes per humum, neque tanto
Squameus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.

Hic complexioni locus fuiſſet: ſed eloquentiae viri rationi inſiſtunt, ideo alia addit, quae confirment, tum certi ſe perſuaſiſſe.

Adde tot egregias urbes, operumque laborem,
Tot congeſta manu praeruptis oppida ſaxis:
Fluminaque antiquos ſubterlabentia muros.

An

An mare, quod ſupra memorem, quodque alluit infra?
Anne lacus tantos? te Lari maxime, teque Fluctibus, & fremitu aſſurgens Benace marino?
An memorem portus, Lucrinoque addita clauſtra?
Atque indignatum magnis ſtridoribus aequor,
Julia qua Ponto longe ſonat unda refuſo,
Tyrrhenuſque fretis immittitur aeſtus Avernis?
Haec eadem argenti rivos, aeriſque metalla
Oſtendit venis, atque auro plurima fluxit.

10. Quare, ut in ſummam referam, qui vere, egregie, ac ſapienter velit amplificare, is res accurate, penitus, & praeclare cogitet, inſpiciat, illuſtret; tum rerum, ac verborum ſibi copiam praeſto eſſe, immo occurrere gratulabitur, reſque ipſae explicatae, illuſtratae, ac magnifice tractatae maximam ei gratiam habebunt.

De adſtringendo in ſummam ſermone; ac de extenuatione.

CAP. VI.

1. ILlud etiam ſaepe in uſum venit, ut ſtrictim ac breviter, non ample & copioſe multa dicenda ſint, aut cum aliorum objecta crimina diluantur, aut cum brevis oratio habeatur, aut cum in memoriam revocanda ſunt plura. Tum ergo rei capita, & ſumma, non rei partes, & ornamenta promuntur. Quod juſtam, & ſatis longam orationem abſolveret

ret en ita brevi conjectum a Caeſ. Bel. Gal. l. 1. c. 43. cum Arioviſto Germanorum Rege colloquente. *Sua eſſe, Senatuſque in eum beneficia, quod Rex appellatus eſſet, quod amicus; quod munera ampliſſime miſſa; quam rem & paucis contigiſſe, & a Romanis pro maximis hominum officiis conſueviſſe tribui; illum, cum neque aditum, neque cauſſam poſtulandi juſtam haberet, beneficio ac liberalitate ſua ac Senatus ea praemia conſecutum; docebat quam veteres, quamque juſtae cauſſae neceſſitudinis ipſis cum Aeduis intercederent; quae Senatus conſulta, quoties, quamque honorifica in eos facta eſſent, ut totius Galliae principatum Aedui tenerent; Pop. Romani hanc eſſe conſuetudinem, ut ſocios atque amicos non modo ſui nihil deperdere, ſed gratia, dignitate, honore auctiores velit eſſe; quod ad amicitiam Pop. Rom. attuliſſent, id iis eripi quis pati poſſet? Proinde ne aut Aeduis, aut eorum ſociis bellum inferret; obſides redderet; ne amplius Germanos Rhenum tranſire pateretur.*

2. Id quoque accidit dicenti, ut res ſaepe debeat extenuare, & minora quam ſunt praedicare; ut cum ſuas laudes commemoraret; cnm ii libere admonendi ſint, qui ei jucundi, & dignitate, aut poteſtate ſuperiores, reſque ut in ſe eſt pronunciata offenderet; cum animandi, non terrendi rei magnitudine, qui audiunt; quoties ipſa extenuatio gratiam habet, & vim: numquam tamen contra rerum veritatem, quidquid aut praeceperint, aut fecerint Ethnici utilitatem ſaepius quam honeſtatem ſecuti. Hujus indolis haec ſunt. Cic. 2. Phil. c. 1. *Quid putem? contemtumne me? Non video nec in*

vita, nec in gratia, nec in rebus geſtis, nec in hac mediocritate ingenii quid deſpicere poſſit Antonius. Id. 7. Phil. in extrema pagina. *Te ipſum moneo, Panſa, quamquam non egeas conſilio, quo vales plurimum, tamen etiam ſummi gubernatores in magnis tempeſtatibus a vectoribus admoneri ſolent, hunc tantum apparatum ne ad nihilum recidere patiare; tempus habes tale, quale nemo habuit umquam; hac gravitate Senatus, hoc ſtudio Equeſtris Ordinis, hoc ardore Popul. Roman. potes in perpetuum Rempubl metu & periculo liberare*. Caeſar ad territos Duces ſuos Bel. Gal. l. 1. c. 40. *Sibi perſuaderi cognitis poſtulatis, atque aequitate conditionis perſpecta Arioviſtum neque ſuam, neque Pop. Romani gratiam repudiaturum: quod ſi furore atque amentia impulſus bellum intuliſſet, quid tandem vererentur? Factum ejus hoſtis periculum Patrum memoria, cum, Cimbris & Teutonis a Mario pulſis, non minorem laudem exercitus, quam ipſe Imperator meritus eſſet*.

Virg. ecl. 6. v. 9.

Non injuſſa cano; ſi quis tamen haec quoque, ſi quis
Captus amore leget, te noſtrae, Vare, myricae,
Te nemus omne canet.

RHE-

RHETORICARUM INSTITUTIONUM

LIBER SEPTIMUS,

Qui eſt de diſpoſitione.

Videndum Oratori quid dicat, & quo quidque loco.
Cic. in Orat. cap. 14.

**

Quid ſit diſpoſitio: quanto ad eloquentiam adjumento: & quas partes ordinet.

CAPUT I.

1. DIſpoſitio eſt *rerum inventarum in ordinem diſtributio* a, ſive *ordo, & diſtributio rerum, quae demonſtrat, quid quibus in locis ſit collocandum* b.

2 Etenim ubi Orator reperit argumenta, hiſtoriarum exempla, ſcientiarum, atque eruditionis capita, vitae monita, magna exponendarum rerum monumenta, ingenioſe cogitata, bona dicta, ac denique etiam verba, quibus ea complectatur, ornet, atque armet, ubi, inquam, repe-

 rerit,

a. Cic. Invent. Rhet. l. 1. c. 7. b. Auctor ad Her. l. 1. c. 2.

rerit, habet quidem ingentem, ac praeclarum rerum quaſi acervum, aut ſtruem, ea igitur certa lege, ac ſerie diſtribuenda ſunt, ut appareant, vigeant, ac praeſtent, ut Duci ad pugnam milites, & Pictori ad imaginis ſpeciem colores diſtribuendi ſunt. Is ergo ordo, eaque diſpoſitio non mediocri eſt ad eloquentiam adjumento: ut enim ſapientis eſt diſponere, ita diſpoſitorum eſt eminere, afficere, ac rapere in admirationem, atque oblectationem.

3. Diſpoſitio autem tria haec ſpectat rite diſtribuenda, verba, argumenta, atque orationis partes, nempe exordium, propoſitionem, diviſionem, narrationem, confirmationem, confutationem, ac perorationem.

Collocandorum verborum praecipuae rationes.

CAP. II.

1. Collocandorum verborum prima ratio eſt, ut quae ab aliis pendent ante collocentur, ac deinde ea, a quibus priora pendebant; hoc pacto enim majorem conciliant orationi majeſtatem, & attentionem; itaque nomini epitheta, verbo ſui caſus, genitivi, dativique, ut vocantur, nomini a quo reguntur, finito infiniti modi accommodate praecedunt. Rei quoque ſingulis quibuſque verbis occurrentis ſit exemplo hoc Cic. 1. de Orat. c. 1. *Cogitanti mihi ſaepenumero, & memoria vetera repetenti, perbeati fuiſſe, Quincte frater, illi videri ſolent, qui*

in

in optima Republica, cum & honoribus, & rerum geſtarum gloria florerent, eum vitae curſum tenere potuerunt, ut vel in negotio ſine periculo, vel in otio cum dignitate eſſe poſſent.

2. Altera ratio eſt major quidam periodi numerus & concentus; quare, ut generatim ampliora verba humilibus, aſperiora mollibus, tardiora celeribus temperanda ſunt, niſi aut inſignis amplitudo atque alacritas, aut inſignis tenuitas ac maeror exprimendus ſit, ita ſingulatim etiam ſic concinnanda, ut numeroſe cadant in longiorem breviori praecedente, praeſertim ubi oratio aut paullulum, aut omnino quieſcit. Tale hoc Ciceron. pro Dom. c. 23. *Audieram, & legeram clariſſimos noſtrae civitatis viros ſe in medios hoſtes ad perſpicuam mortem pro ſalute exercitus injeciſſe; ego pro ſalute Reip. univerſae dubitarem?*

3. Tertia ratio eſt varietas, ut modo in nomina, modo in verba, modo in aliam vocem concludatur oratio, ne ſatietas ſimilitudine ingeratur, aut ars oſtentetur: ut Cicero 1. Catil. c. 2. *Cupio P. C. me eſſe clementem, cupio in tantis periculis non diſſolutum videri; ſed jam me ipſum inertiae nequitiaeque condemno: caſtra ſunt in Italiam contra Remp. in Etruriae faucibus collocata.* Et c. 3. *Quid eſt, Catilina, quod jam amplius expectes, ſi neque nox tenebris obſcurare coetus nefarios, nec privata domus parietibus continere vocem conjurationis tuae poteſt, ſi illuſtrantur, ſi erumpunt omnia?*

4. Quarta ratio eſt facilis ordo; ut eo pacto verba ipſa collocentur aut omnia, aut plurima, quo verborum ſignificata cogitanti animo occurrunt, & dicenda quaſi ſe offerunt

runt poſita, non diſtributa: qui ordo gravi, atque jucundae narrationi, temperataeque affectioni aptiſſimus eſt. Eam indolem haec praeſeferunt. Cic. pro Mil. c. 26. *Vide quam ſit varia vitae, commutabiliſque ratio, quam vaga volubiliſque fortuna, quantae infidelitates in amicis, quam ad tempus aptae ſimulationes, quantae in periculis fugae proximorum, quantae timiditates*. Virg. ecl. 8. v. 41.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error.
Hor. l. 2. od. 1. v. 7.

Incedis per ignes
Suppoſitos cineri doloſo.

Argumentorum diſpoſitio quae optima: itemque praecipuarum orationis partium.

CAP. III.

1. Argumenta & ipſa vim ſaepe acquirunt, acriuſque afficiunt, ac perſuadent alio atque alio pacto diſpoſita. Satis ergo expediens illorum diſpoſitio videtur, *ut primo firmum aliquod ponatur*, ait Cornelius Celſus, *ſummo firmiſſimum, imbecilliora medio, quia & initio movendus eſt Judex*, & quicumque audiat, *& ſummo impellendus* [a]. Certe cum ſtatim ſolidiſſimo ac prope ineluctabili argumento commotus ac perſuaſus eſt qui audiat, deinceps etiam iis afficitur ac ducitur, quibus minime afficeretur, priorum ra-

a. Apud Quinctil. l. 7. c. 1.

rationum vi ſequentes roborante, perſuaſorumque animorum judicio concedente.

2. Nihilominus optima argumentorum diſpoſitio eſt, ut a firmis ad firmiſſima progrediamur, rationum enim, omniſque orationis *vis ſemper creſcere debet* a. Itaque curandum eſt, ut vero atque efficaci argumento cauſſam ſtatim ingrediare, & continenter deinde magis magiſque augens ita incedas, ut apte omnia copulentur, atque unum corpus efficiant, non acervum: quapropter *diſpoſitio prudentis hominis eſt potius, quam Oratoris* b.

3. Atque illud ipſum in orationum partibus diſtribuendis valet, & generatim quidem exordium propoſitio conſequitur, propoſitionemque partitio, ut refutatio confirmationem, & omnium poſtrema peroratio; non ſemel tamen continget, ut ante argumenta afferenda ſint quae rem probent, quam rei propoſitio nominetur, atque interdum peroratio omnium prima ſit; ſi enim propoſitio inviſa eſſet, & conſtaret eam initio affirmatam certe rejectum iri, nec deinceps auditum, tum praecedant argumenta, iis enim nemo non flectitur, ac ducitur; ita etiam ſi appareat vel certiſſima argumenta inania futura, niſi ante refellantur quae contra animis inſederint, tum a refutatione ordiendum; demum ſi inſignis miſeratio, aut laetitia, aut invidia, aut pavor maxime ſint affectura, ab iis incipiendum: quae omnia ut in juſta ac perpetua oratione fere numquam, ita in brevi contentione Ducum ad Duces aut ad milites, Regum ad Reges, Civium ad

a. Quinctil l. 7. c. 1. b. Cic. in Orat. c. 19. ejuſque verbis Quinctil. prooem. l. 8.

Cives ſaepe contingunt. Ergo *memineri-mus ipſam diſpoſitionem plerumque utilitate mutari* a.

Quid ſit oratio: & quae ejus partes.

CAP. IV.

1. ORatio eſt certa argumentorum, ac rerum ſeries ad unum aliquod confirmandum; ut nihil in illa dictum ab ea comprobanda, animiſque quo opus ſit ducendis aberret.

2. Sunt autem orationis partes duae neceſſariae, propoſitio, & confirmatio, *neceſſe eſt enim rem primo, de qua agitur, exponere, deinde illam argumentis confirmare* b; utiles plerumque quatuor, exordium etiam, & peroratio, *initiis enim, & perorationibus animus eſt concitandus* c; interdum ſeptem, praeterea enim ad peſpicuitatem diviſio addenda eſt, narratio illius facti, quod ad rem maxime faciat, & confutatio, ſi contraria argumenta ſint diluenda.

3. Et vero ex iis oratio inſigne quiddam plane erit, ſi eas, cum opus erunt, aſſumet, omittet autem quod neceſſe non ſit, ſingularumque aſſumtarum vim conſequatur.

Exor-

a. Quinctil. l. 7. c. 1. b. Ariſt. Rhet. l. 3. c. 34. tex, 295. interpr. Majorag. c. Cic. Part. Orat. c. 8.

Exordiorum natura: genera: officia: & quae in iis praeſtanda.

CAP. V.

1. EXordium *eſt oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem* [a]; ut ſi vel averſus a dicente, aut dicendis, vel parum ad cauſſam attentus, vel ad utiles quoque, ac graviſſimas rationes pervicax eſſet auditor, ejus animus arte concilietur, ut deinde ad ea quae opus ſint adducatur.

2. Exordiorum duo genera; unum, quod paullatim & ſenſim auditorem comparat, ac ſenſim ad propoſitiouem accedit, illamque inſinuat, idcirco *inſinuatio* [b] dictum: alterum, quod ſtatim in cauſſam, cauſſaeque inſignem permotionem irrumpit, & quaſi ex dudum tacito, ſecumque veluti hab to ſermone, improviſo atque ex abrupto in apertam, ac vehementem orationem irrumpit, eamque ob cauſſam *ex abrupto* jam nuncupamus, *principium* Ciceroni [c] appellatum. Primum longe uſitatius eſt, ac locum habet, cum Oratori conciliare, aut certe allicere auditores opportunum, nec eſſe in eorum animis de re agenda inuſitati motus exiſtimantur, qui eo impetu excitarentur. Alterum, cum aut terrere, aut magnopere hilarare, aut altius erigere, acriuſve incendere, aut alio pacto vehe-

a. Cic. 1. Invent. Rhet. c. 15. b. Vide ad Her. l. 1. c. 4. c. Cic. invent. Rhet. c. 15. & ad Her. l. 1. c. 4. & Quinctil. l. 4. c. 1.

vehementius Orator debeat afficere; quod ferme contingit, cum inſignis affectio de re, quae agenda eſt, in Auditorum animis obverſatur.

3. Tria autem univerſe praeſtare debet exordium, ut benevolum, ſi averſus eſſet, ut docilem, ſi aut dicendae, aut rei conſtituendae nollet ſe credere, ut attentum faciat Auditorem, ſi audire negligeret: *non quia iſta per totam actionem non ſint cuſtodienda, ſed quia in initiis maxime neceſſaria, per quae in animum Judicis* & Auditoris, *ut procedere ultra poſſimus, admittimur* [a]. Idcirco non minus Poetae, atque Hiſtorici, quam Oratores ſatis ab exordio progreſſi inſtaurant attentionem, benevolentiam captant, & dociles reddunt Auditores certis verbis quo paucioribus, eo efficacioribus. Quod ſi benevolus, docilis, atque attentus eſſet Auditor, conciliandus tamen eſt, licet non adeo operoſe, ut talis ex dicente aut fiat, aut confirmetur, qualis ex ſuo accedit ingenio: ſemper vero id fiat, quod neceſſe eſt. Quare *qui bene exordiri volet, eum neceſſe eſt genus ſuae cauſſae diligenter ante cognoſcere* [b].

4. Fit porro benevolus qui audit quatuor ex locis: a dicentis perſona, ſi de ſe modeſte ac moderate loquatur Orator, *quamquam pauciora de ſe ipſo dicit & parcius* [c]; ab Auditorum, ſi de iis honorifice dignitatis cognitor, non aſſentator; ab ipſa re, quae jucunda, aut facilis, aut honorifica, aut certe magnae fauſtitatis promittatur; ac demum ab animo, qui afferatur, ut ex ingenti juvandi

a. Quinctil. l 4. c. 1. b. Cic. Invent. Rhet. lib. 1. c. 15. c. Quinctil. l. 4. c. 1.

vandi deſiderio, & communis tranquillitatis aſſerendae, ex pietatis, divinaeque gloriae ſtudio, nam *plurimum ad omnia momenti eſt in hoc poſitum, ſi vir bonus credatur* a. Attentus fiet, *ſi demonſtremus quae dicturi ſumus, magna, nova, incredibilia eſſe, aut ad omnes, aut ad eos qui audiunt, aut ad Remp.* aut ad ſempiternam ſalutem, aut ad ipſius divini Numinis gloriam *pertinere* b. Hinc toties Cicero communem ſalutem Reip. & omnium ſpectare & agere, Hiſtorici ſe maximas res geſtas, & clariſſimas ſcribere, & Sacri Oratores ſempiternam omnium felicitatem quaerere, ac ſtatuere, & Dei Opt. Max. gloriam ſuo jure clamant & profitentur. Demum *docilem ſine dubio & haec ipſa praeſtat attentio, & ſi breviter & dilucide ſummam rei, de qua cognoſcere debeat, mature indicaverimus* c, ac deinde magna illa, utilia, & ſancta ſincero, integro, & communi ſaluti veluti conſecrato animo ſibi audiat proponi.

Exordiorum fontes apud veteres, atque apud nos.

CAP. VI.

1. Veteres Oratores, Athenis praecipue ac Romae, ut qui apud certos Judices aut ſententiae moderatores, certo in loco, certo pro reo, ac certis de cauſſis ab ejus temporis, loci, perſonarum, & cauſſae in-

a. Quinct. l. 4. c. 1. b Cic. Inv. Rhet. l. 1. c. 16. c. Quinctil. l. 4. c. 1.

ingenio definitis, verba faciebant, ex iis ordiri conſueverunt. Hinc ſingularis Doctor Quinctilianus ſuo jure ita praecepit. *Dicturus intueatur quid, apud quem, pro quo, contra quem, quo tempore, quo loco, quo rerum ſtatu, qua vulgi fama dicendum; quid Judicem ſentire credibile ſit antequam incipiamus; quid aut deſideremus, aut deprecemur: tum ipſa illum natura eo ducet, ut ſciat quid primum dicendum ſit* a. Cicero certe ab adjunctis fere ſemper exorſus eſt, & mira ubique varietate id ita fecit, ut idem toties ingreſſus bis idem non dixerit. Noſtrae aetatis Oratores, praeſertim Sacri, ut qui a loco, a tempore, ab Auditorum indole minime pendentes res agunt, niſi inſigne aliquid incidat, perraro ab adjunctis auſpicantur. Oratoribus tamen ad Pontifices, ad clariſſimos Reges, ad ſummos Senatus eadem illa opportuna ſunt.

2. Itaque alii loci, nec veteribus inuſitati, nunc frequentiores ſunt, eorumque facile princeps eſt a viſceribus cauſſae, hoc eſt cum ab eo ordimur, quod rei, quae deinde conſtituitur, & fit propoſitio, naturam ac proprietates complectimur. Hoc exordium plane optimum; eſt enim omnino ex re natum, non rei adſcitum, at certum, proprium, ac perpetuum, nec alteri accommodatum: *nihil* autem *in quoquam melius dicitur, quam quod aeque bene dici alibi non poteſt* b.

3. Alter exordii fons eſt a contrario, adeo probatus priſcis Declamatoribus, *ut fas non putarent, niſi a contrario incipere* c. Id vero eſt cum ſtatim ingredimur, quae contra nos, &

a. Quinctil. l. 4. c. 1. b. Id. ibi. c. Id. ibi.

& pro adverſariis facere videantur, & primum quidem contraria inſiſtimus ac deinde ſtatuere volumus, quod plane elegans eſt, & magnopere delectat, cum facile eſt, germanum, & quaſi a re, quae agitur, oblatum, non violentius quaeſitum. Ita Alexander militibus ſuis expeditionem in Indiam poſt tam multa confecta praelia ſuaſurus primum illorum ſtudia in patriam reditum optantium probare ſimulat apud Curt. lib. 6. c. 4. *Magnitudinem rerum*, ait, *quas geſſimus, intuentibus vobis minime mirum eſt & deſiderium quietis, & ſatietatis occurrere. Plures provincias complexus ſum, quam alii urbes ceperunt. Itaque ſi crederem ſatis certam eſſe poſſeſſionem terrarum, quas tanta velocitate domuimus, ego ad Penates, ad Parentem, Sorores. & ceteros Cives erumperem, ut parta vobiſcum gloria fruerer. Sed in novo imperio tempore opus eſt, dum efferatos mollior conſuetudo permulcet. Creditis tot gentes alterius imperio & nomine aſſuetas, eodem praelio domitas eſſe, quo victae ſunt? Veſtris armis continentur, non ſuis moribus*. Lege ipſe integra.

4 Aptiſſima etiam exordia ſunt, quae ab inſigni hiſtoria propoſitionem aut continente, aut ad eam viam muniente, ab illuſtri quaeſtione, a praeclaro quopiam effato, aut celebri conſuetudine ducuntur, nam ab eo celebri aut communi ſenſu pulcherrime animi conciliantur. Hoc pacto orditur Cic. 3. off. *Publium Scipionem, qui primus Africanus appellatus eſt, dicere ſolitum ſcripſit Cato, numquam ſe minus otioſum eſſe, quam cum otioſus, nec minus ſolum, quam cum ſolus eſſet. Magnifica vero vox, & magno viro & ſa-*

ſapiente digna; quae declarat, illum & in otio de negotiis cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum, ut neque ceſſaret umquam, & interdum colloquio alterius non egeret. Vellem & nobis hoc idem vere dicere liceret; ſed ſi minus imitatione tantam ingenii praeſtantiam conſequi poſſumus, voluntate certe proxime accedimus.

5. Praeterea ex theſi ad hypotheſim, atque ex genere ad ſpeciem interdum fit exordium, cum hypotheſis, & ſpecies ſunt aut ipſa propoſitio, aut ex iis naſcitur. Non aliuſmodi exordium pro Archia Poeta. *Si quid eſt in me ingenii, Judices, ſi qua exercitatio dicendi, ſi ratio aliqua ab optimarum artium ſtudiis profecta, earum rerum omnium hic Aulus Licinius fructum a me repetere ſuo jure debet: quod ſi haec vox hujus hortatu praeceptisque conformata nonnullis aliquando ſaluti fuit, a quo id accepimus, huic profecto ipſi & opem, & ſalutem ferre debemus.* Hae ſunt duae theſes, & diſcipuli in dicendo artem praeceptori ſuo veluti devoveri, & nunc laboranti opitulari debere: ſequitur dignitas in litteris, ex eoque oſtenditur, ne e numero Civium Romanorum ſegregetur Archias, Ciceronem curare oportere, quae eſt ipſa orationis propoſitio Inquit ergo. *Quaeſo a vobis, ut me pro ſummo Poeta dicentem patiamini de ſtudiis humanitatis paullo loqui liberius, & in ejuſmodi perſona, quae propter otium, & ſtudium minime in judiciis periculiſque tractata eſt, uti novo quodam, & inuſitato genere dicendi. Quod ſi mihi a vobis tribui, concedique ſentiam, perficiam profecto, ut hunc Aul. Licinium, non modo non ſegregandum, cum ſit Ci-*

Civis a numero Civium, verum etiam, ſi non eſſet, puteris adſciſcendum fuiſſe. Vide ipſe hic ad brevitatem omiſſa.

6. Ex iis ergo apte noſtrae aetatis Oratores etiam Sacri ſaepe ordiuntur; at ipſorum proprium eſt vel ab illius dici ſacrae celebritatis, qua verba faciunt, ſenſu aliquo & ſacramento, vel a totius Sacroſancti Evangelii, vel ſententiae, quam pronunciant, ſumma orationem auſpicari.

7. Denique erumpunt exordia ex inſigni aliqua figura, aut permotione, quamquam in ſuperiores fontes hic facile referatur. Itaque ab ironia pro Lig. *Novum crimen, C. Caeſar, & ante hunc diem inauditum propinquus meus Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africam fuiſſe*. Ab occupatione pro Mil. *Etſi vereor, ne turpe ſit, pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere*. Ab indignatione in Piſonem. *Jamne vides bellua, jamne ſentis, quae ſit hominum querela frontis tuae?*

Exordiorum forma, & ſtilus.

CAP. VII.

1. OPtima exordiorum forma eſt, ut in primis ſtatim verbis ipſa orationis propoſitio contineatur, ſenſim deinde enucleatius inſinuetur, ac tandem aperte exhibeatur, ut ratio aliqua, ejus expolitio, & confirmatio exordium ſit. Immo vero plane ad reliquam dictionem inſinuatio erit exordium, ſi omnium argumentorum deinceps afferendorum velut ſemina includantur. Hujus

jus ingenii ſunt praeſertim Milonianae, ac primae Catilinariae exordia. Poſterius hoc afferamus, cujus propoſitum eſt: Catilina, ſi vitam ei clementer donemus, ex urbe abeat. *Quouſque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra? quamdiu nos etiam furor iſte tuus eludet? quem ad finem ſeſe effrenata jactabit audacia?* Tacite enim hic dicit: non debes Catilina diutius Conſulis ſcientia & tolerantia abuti hoſtis Romae immorans. Poſtquam id ſatis explicuit a praeſidio in Palatio, a cuſtodiis in urbe impoſitis, ab omnium metu pergit. *Patere tua conſilia non ſentis? conſtrictam jam omnium borum conſcientia teneri conjurationem tuam non vides? quid ſuperiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid conſilii ceperis quem noſtrum ignorare arbitraris?* En ſatis enucleate dictum, graviuſque imperatum, ut Urbe exeat Catilina. Id nunc indignatus exagerat, quod factam conjurationem Senatus intelligat, Conſul ſciat, reus tamen in Senatum veniat, immo principes viros ad caedem, urbem ad incendium deſignet: Tum morte plectendum Catilinam fuiſſe aperte proponit. *Ad mortem te Catilina, duci juſſu Conſulis jam pridem oportebat.* Jam vero & veterum Romanorum in nefarios cives decreta complexus exſilium voluntarium Catilinae proponit. *Etenim quid eſt, Catilina, quod jam amplius expectes!* Ubi etiam verba illa; *conſtrictam omnium conſcientia teneri conjurationem tuam non vides?* primum, illa *ubi fueris, quos convocaris* alterum, illa *ad mortem te duci juſſu Conſulis jampridem oportebat* tertium princeps argumentum eſt, quod deinceps copioſe confirmat. Vide ibi omnia.

2. Si

2. Si haec paullo ſeverior ſtructura, exordioque ex abrupto accommodatior, facile haberi non poſſit, detur opera, ut exordium ſyllogiſmus, aut enthymema ſit vel naturale, vel perturbatum, vel in aliquibus, vel in omnibus ſuis partibus amplificatum, ita ſemper, ut ſyllogiſmi concluſio, aut alia ex ea ſtatim illatio conjecta orationis ſit propoſitio. Syllogiſmi autem nunc aliqua, nunc omnibus partibus copioſius explicatis, ut etiam nunc ſervato, nunc turbato ordine diſtributis, ut dictum eſt cum de argumentatione ageremus. Hoc artificio eſt exordium pro Quinctio; cujus haec tandem ſumma eſt. *Quae res in Civitate duae plurimum poſſunt, hae contra nos ambae faciunt, ſumma gratia & eloquentia: meliori ergo mente noſtra verba audire oportebit, ut multis incommodis veritas debilitata aequitate Judicum recreetur: itaque tot difficultatibus afflictus Quinctius in tuam fidem, C. Aquili, ac veſtram, qui in conſilio adeſtis confugit, atque obſecrat, ut multis injuriis jactatum confirmari patiamini.*

3. Tertia elaborandi exordii ſuperiori affinis ratio eſt, ut ad cauſſam ingreſſus aliqua theſis, propoſitio autem Hypotheſis, aut quidem certe illatio ex hypotheſi ſtatim inducta. Caeſaris exordium apud Sall. Con. Cat. c. 50. tale eſt. *Omnes homines P. C. qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa officiunt, neque quiſquam omnium libidini ſimul, & uſui paruit. Magna mihi copia eſt memorandi P. C. qui Reges, aut qui populi, ira aut miſericordia impulſi male conſuluerunt. Bello Macedoni-*

eo, quod cum Rege Perſe geſſimus, Rhodiorum civitas magna atque magnifica, quae Pop. Rom. opibus creverat, infida atque adverſa nobis fuit. Sed poſtquam bello confecto de Rhod is conſultum eſt, Majores noſtri, ne quis divitiarum magis, quam injuriae cauſſa bellum inceptum diceret, impunitos eos dimiſerunt.

4. Exordiorum ſtilus eſt paullo ornatior, ingenioſis rebus, ac luminibus ſplendidior, & orationis ambitu numeroſior, quippe in eo conciliandi, atque oblectandi audientes: tamen *non oſtentari debet in principiis cura, ut videamur accurate, non callide dicere* [a]. Quare elaboratum, non affectatum ſit exordium.

5. Cavendum eſt in exordio praeſertim, ne verbum quidem excidat, quod aut novitatis, aut arrogantiae, aut inſcitiae ſuſpicionem crearet, animi enim mature vel minima culpa alienati vix magna virtute deinceps reconciliantur. Motus quoque in exordio attingentur, ſed temperate, in peroratione maxime excitandi.

Exordiorum virtutes, & vitia.

CAP. VIII.

1. EXordii virtus facile princeps eſt, ut illud proprium omnino, intimum, ac prope ingenitum cum cauſſa, quae agitur, nec alteri communicabile: *nihil enim melius dicitur, quam quod aeque bene dici alibi non poſſit* [b].

2. Al-

a. Quinctil. l. 4. c. 1. b. Idem ibi.

2. Altera, ut exordium ſit unum cum cauſſa, quae agitur, eoque ſpectet, quo tota oratio. In eo enim differunt Hiſtoricorum, atque Oratorum exordia, quod iſti non debent niſi ab iis, quae cum cauſſa conjuncta ſunt, illi vero a quacumque re, & animi ſui ſententia ordiri poſſunt, modo cum hiſtoria conjungant. Denique exordii virtus eſt, ſi audientem faciat benevolum, attentum, docilem, immo ex iis ea ſolum, quae opus ſunt, benevolum ſcilicet, ſi averſus ſit, aut talis credatur; ſin autem, alia praeſtet. & breve ſit, eſt enim inſinuatio in cauſſam, ad eam ergo mature procedendum, ut ea explicentur & confirmentur: *quamquam audiendi non ſunt qui velut legem prooemiis omnibus dederunt, ut intra quatuor ſenſus terminarentur* [a].

3. Sed plura quoque exordiorum vitia ſunt. *Quod in plures cauſſas accomodari poteſt, vulgare dicitur; id tamen magnis ſaepe Oratoribus non evitatum. Quo & adverſarius uti poteſt, commune appellatur. Quod adverſarius in ſuam utilitatem deflectere poteſt, commutabile. Quod cauſſae non cohaeret, ſeparatum. Quod aliunde trahitur, tranſlatum. Praeterea quod longum, quod contra praecepta eſt* [b].

Propoſitio: ejus conditiones: alia in ea advertenda.

CAP. IX.

1. PRopoſitio eſt totius orationis ſumma deinceps confirmanda; & jure ſuo haec

a. Quinctil. l. 4. c. 1. b. Idem ibi.

haec *pars*, *qua res proponitur*, *ut poſtea probetur*, *propoſitio nominatur* [a].

2. Haec autem orationis pars omnino neceſſaria eſt: *nam neceſſe eſt rem primo*, *de qua agitur*, *exponere*, *deinde illam argumentis confirmare* [b]; *nec ſolum ut ſit cauſſa lucidior*, *ſed etiam ut magis moveat* [c].

3. Hanc porro alii ſtrictim, conceptiſque verbis, alii copioſius longiorique ambitu malunt proponere. Qui brevius, ne dum ſuae, ſed audientium memoriae conſulunt: qui amplius, Oratorem magis videntur agere, & artis majori quadam diſſimulatione. Ne pugnem, ſaepe oranti variare optimum erit, ſi de toto propoſitionum genere, diſputemus; cum res erit non ſatis audientibus nota, aut ſubtilior, aut ex ea in admirationem rapi potius, quam permoveri volet Orator, brevis erit accommodatior; cum ejus ſumma ſatis nota exiſtimabitur, & per eam etiam paullulum permoveri populum volet, copioſior facile expediet; ut vere videar dicere, ſi dicam, brevem praecipientium ac diſputantium eſſe, copioſiorem Oratorum.

4. Utcumque id ſit; propoſitio una eſſe debet, ſimulque ſatis ampla. Una, ſeu quae multa quidem complectatur, ſed in certo aliquo genere convenientia & conjuncta, non diſparata & remota, ut unam orationem conſtituat, non quaſi plures. Ita jure in more poſitum, ut ſacri Oratores non omnia certae, ac ſolemnis ſacrae diei, aut certi Evangelii capita complectantur, ſed unum omnium ma-

a. Maiorag. Comment. in Ariſt. Rhet. l. 3. c. 34. tex. 295. b Ariſt. Rhet. l. 3 c. 34. tex. 295. c. Quinctil. l. 4. c. 4.

maximum, aut certe in primis utile perſuadendum ſuſcipiant, ut illud efficacius contendant, orationemque unam habeant. Qui enim ita proponeret: *inimicis injurias condonandas, & calamitoſis ſubveniendum eſſe oſtendam*, non de una re, ſed de pluribus verba faceret, nec eſſet una haec oratio, ſed ad plura cohortatio.

5. Deinde ſit ſatis ampla, ut cetera omnia deinde contendenda contineat indicata, non explicata.

Partitio: ejus utilitas, & conditiones.

CAP. X.

1. PArtitio eſt conſtitutae propoſitionis, ſeu totius orationis in plures partes diſtributio. Hanc non inuſitatam veteribus, libentiſſime, nec ſine fructu adhibent Juniores, & poſtulant.

2. Utilis eſt, nam *illuſtrem, & perſpicuam totam efficit orationem* [a]; ita etiam attentius audit multitudo aſſecuta quid ſit auditura, & facilius audita meminit ſecum ea repetens. Partiri autem ſeu praefari, & promittere quot, & quibus argumentis & rationibus puncta ſis confirmaturus, raro admodum probaverim, nimis enim minute, nimiſque aperte ars proditur, non celatur. *Puncta argumentorum*, ait Cicero, *plerumque oportet, ut occulas, ne quis ea numerare poſſit, ut diſtinguantur verbis, re confuſa eſſe videantur* [b]: Immo *conciſa, & velut articuloſa partitio*, inquit, Quin-

a. Cic. 1. Invent. Rhet. c. 22. b. 2. de Orat. c. 41.

Quinctilianus, *vitanda maxime, nam & auctoritati plurimum detrahunt minuta illa, nec jam membra, ſed fruſta, & hujus gloriae cupidi, quo ſubtilius dixiſſe videantur, & ſupervacua aſſumunt, & quae ſingularia ſunt, nec tam plura faciunt, quam minora* a. Nec eam tamquam alteri exordio reſervandi auctor ſim, ſed ſtatim illam aut in propoſitione, aut extemplo eidem adjungere ſatius duxerim, quantum enim temporis his quaſi praefationibus conceditur, tantum adimitur confirmationi, quae tandem cauſſa eſt, praeſertim hac aetate, quae longam orationem, & priſcis parem, vix ferat.

3. Partitionis conditio facile princeps eſt, ut ejus partes, ſeu puncta, aliam alia removeat & excludat, nec idem ſit aut ſimile, aut idem probet. Ita haec bona eſt. Sanctus Paullus divinae gratiae donum illuſtravit *magnitudine deſideriorum*, *magnitudine factorum*, *magnitudine cruciatuum*, *quos tulit*. Nam divina gratia illuſtrata eſt quid commune ſingulis his partibus, in quo totum exordium commode conſumitur; & deſiderioriorum, & factorum, & cruciatuum magnitudo partes ſunt illius generis participes, & alia ab alia diverſa.

4. Altera conditio eſt, ut vel bipartita ſit, vel tripartita, non ulterior. Id certe uſus conſtituit, & ratio, ne moleſtior ſit, aut memoratu difficilior Itaque *eam pluſquam trium partium eſſe non oportet* b: quamquam Quinctilianus illos non probaverit, *qui partitionem vetant ultra tres propoſitiones extendere* c.

In

a. Inſt Orat. l. 4. c. 5. c. Auct. ad Her. l. 1. c. 10.
c. Quinctil. l. 4. c. 5.

In cauſſam egreſſio: ejuſque aliquae rationes.

CAP. XI.

1. EGreſſio, ſive poſt propoſitionem ad confirmationem inſinuatio, eſt tacita illa, & apta rerum continuatio, qua elegantius, efficaciuſque in argumenta ingredimur. Haec apta, & commoda probatur ſane, ac mirifice afficit: quare utile erit aliquid de ea dicere.

2. Prima ejus ratio eſt, ut ab eo auſpiceris, quod plurimorum, aut aliquorum certe deinceps dicendorum lux ſit, fundamentum, aut via. Ita Cic. pro Leg. Manil. c. 2. *Ut inde oratio mea proficiſcatur, unde haec omnis cauſſa ducitur, bellum grave, & periculoſum veſtris vectigalibus, atque ſociis a duobus potentiſſimis Regibus infertur Mithridate & Tigrane.* Vide quae ſequuntur.

3. Altera ratio, & ſuperiori affinis eſt, in eam rem ſtatim egredi, quae paullatim rationem inſinuant, & explicant, quae cauſſam confirmat, modo ne ea res repetatur, ut habet vetus adagium, *ab ovo*. Sic ingreditur Cic. pro Marc. c. 2. *Soleo ſaepe ante oculos ponere, idque libenter crebris uſurpare ſermonibus: omnes noſtrorum Imperatorum, omnes exterarum gentium, potentiſſimorumque populorum, omnes clariſſimorum Regum res geſtas cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero praeliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec diſſimilitudine bellorum poſſe conferri.*

4. Tertia eſt hiſtoriam aliquam, vel imaginem, aut deſcriptionem ordiri, quae deinceps conſtituenda argumenta aut exhibeat, aut iis viam muniat. Deſcriptionis locus pompam aliquam praeſeferre tamen videtut. *Nam in aliquem laetum*, ait Quinctilianus, *atque plauſibilem locum quam maxime poſſint excurrere, natum ab oſtentatione declamatoria, jam in forum venit poſtquam agere cauſſas non ad utilitatem litigatorum, ſed ad patronorum jactationem repertum eſt, hoc tamquam ſemper expediat, aut etiam neceſſe ſit faciunt* a.

5. Quarta eſt rationem ingredi eo pacto quo argumenta proponere expediat, quod eo frequentius & gravius, quo facilius & magis germanum.

Narrationis diſcrimen in diverſo rerum genere.

CAP. XII.

1. NArratio alia eſt rei, in qua cauſſa ſita eſt aut tota, aut magna ejus pars, ſive illud aliquod factum tandem ſit, aut argumentum, aut multarum rerum ſeries. Haec accuratius, & pluribus exponitur, in eaque omnia expenduntur: hinc enim narratio eſt *rerum quaedam quaſi ſeries* b, quae momenti ſint. Alia eſt rei, quae ad confirmandum aſſumitur; id quoque aut factum quodpiam ſit, aut aliqua ratio, aut aliud. Haec brevis, immo ex ea id ſolum, quod ad rem faciat, quamquam id ſatis animadvertitur, & ornatur:

a. Inſt. Orat. l. 4. c. 3. b. Cic. Partit. Orat. c. 9.

tur: nam omni *in narratione Oratoris officium eſt docere, ac docendo perſuadere* a. Prioris ſatis praeclara exempla ſunt pro Leg. Man. *Bellum grave, & periculoſum veſtris ſociis*; pro Mil. *P. Clodius cum ſtatuiſſet vexare Remp. omni ſcelere*; pro Quinctio. *C. Quinctius fuit hujus P. Quinctii frater*, & quae iis locis ſequuntur. Alterius vero ſit haec I. Catil. c. 1. *An vero vir ampliſſimus P. Scipio Pontifex maximus Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum Reip. privatus interfecit? Catilinam vero orbem terrae caede, atque incendiis vaſtare cupientem nos Conſules perferemus?* Multa alia contigerant in Gracchi internecione ſed ea tantum allata ſunt, quae ad rem confirmandam faciebant. Multa alia etiam in hoc de Damocle, quod attuli l. 1. c. 15. ſed hoc ſolum Horatius adducit, quod ad animi metum attinet: inquit ergo Carm. l. 3. od. 1. v. 17.

Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem,
Non avium, citharaeque cantus
Somnos reducent.

2. Narrationis naturam, propoſitum, & virtutes, ſingulorumque exempla l. 1. c. 15. expoſita ſunt.

Con-

a. Alicarn. Art. Rhet. c. 10.

Confirmatio: ejus utilitas: aliqua monita.

CAP. XIII.

1 Confirmatio, ſeu contentio, eſt *propoſitae rei probatio*[a], ſeu *noſtrorum argumentorum expoſitio cum aſſeveratione*[b]. aut *confirmatio eſt, per quam argumentando noſtrae cauſſae fidem, & auctoritatem, & firmamentum adjungit oratio*[c].

2. Haec pars multo eſt ſane utiliſſima; qui enim vere probat, rerumque certas & conſtantes cauſſas adducit, hic tandem perſuadet, rebusque vere confirmatis non niſi pervicaces, ac perditi obſiſtunt, bene comparati & ſani acquieſcunt, ducuntur, inflammantur. Ita certe ſuo muneri Orator ſatisfacit. Quare *tota ſpes vincendi, ratioque perſuadendi poſita eſt in confirmatione, & confutatione; nam cum noſtra argumenta expoſuerimus, contrariaque diſſolverimus, abſolute nimirum munus oratorium confecerimus*[d]. Argumenta autem ex optimis diſciplinis, ex ceteris locis, & hiſtoriis erui ante dictum eſt.

3. Et vero haec contentio non ſolum eas res ſpectat, quae in certum & peculiare argumentum adducuntur, ex quo cauſſa comprobatur, ſed eas etiam, quae obiter attinguntur, ut princeps ratio, atque omne dictum, cogitatum, animadverſum, hiſtoriarum exemplum vere confirmetur, ut certam rei argu-

a. Aphthon. c. 6. b. Auct. ad Her. l. 1. c. 3. c. Cic. Invent. Rhet. l. 1. c. 24. d. Auct. ad Her. l. 1. c. 10.

argumentationem contineat, ex eaque conſtituatur. Itemque hoc accurate advertendum, efficiendumque eſt, ut res maximi momenti, quae in potiſſimum argumentum advocantur, enucleate, copioſe, aut vehementer confirmentur. Ea vero, quae percurrentes, & quaſi aliud ſpectantes adducimus, adſtrictius, & brevius, praeſertim ſi levioris momenti ſunt. In exemplum audi Tullium pro Archia c. 11. & 12. *Quas res nos in Conſulatu noſtro vobiſcum ſimul pro ſalute hujus Urbis, atque Imperii, & pro vita Civium, proque univerſa Rep. geſſimus, attigit hic verſibus, atque inchoavit. Quibus auditis, quod mihi magna res & jucunda viſa eſt, hunc ad perficiendum hortatus ſum. Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque deſiderat praeter hanc laudis, & gloriae. Qua quidem detracta, Judices, quid eſt quod in hoc tam exiguo vitae curriculo, & tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus? Certe ſi nihil animus praeſentiret in poſterum, & ſi quibus regionibus vitae ſpatium circumſcriptum eſt, eiſdem omnes cogitationes terminaret ſuas; nec tantis ſe laboribus frangeret, neque tot curis, vigiliiſque angeretur, nec toties de vita ipſa dimicaret. An vero tam parvi animi videamur eſſe omnes, qui in Rep. atque in his vitae periculis laboribuſque verſamur, ut, cum uſque ad extremum ſpatium, nullum tranquillum, atque otioſum ſpiritum duxerimus, nobiſcum ſimul moritura omnia arbitremur? An cum ſtatuas, & imagines, non animorum ſimulacra, ſed corporum, ſtudioſe multi ſummi homines reliquerint, conſiliorum relinquere, ac virtutum noſtrarum effigiem, nonne multo malle debemus ſum-*

ſummis ingeniis expreſſam, & politam? Vides hic de immortalitate hoc argumentum, quo ibi probat non contemnendos Viros, qui praeclara facta monumentis tradant, copioſe dictum, copioſe amplificatum, illud vero de rebus in republica a ſe geſtis, & Archiam ad Romanorum laudes celebrandas incitatum, quaſi primoribus labiis delibatum.

Confutatio: ejus neceſſitas: officia: variae refutandi rationes.

CAP. XIV.

1. Confutatio *eſt propoſitae rei improbatio* a, ſeu *contrariorum argumentorum diſſolutio* b.

2. Refellere autem, ſeu quae objiciantur, aut objici certe poſſunt falſa oſtendere, & evellere omnino neceſſarium eſt: alioquin enim errori, ſceleri, pervicaciae certus locus relinquitur, & peccandi, criminandi, obdurandi excuſatio, quae adimenda eſt, velut hoſti perfugium, in quod ſe recipiat in tempore oppugnaturus. Immo vero interdum ante refutanda ſunt aliena, quam propria conſtituenda, ſi admodum ſint jactata, aut facile credita, aut in primis afficiant, ut Cicero facit pro Milone prius refutans, quam probans.

3. Proprie quidem refutationi tantum objecta convellenda ſunt: & quidem omnis adverſariorum contentio, omniaque firmamenta; optime tamen refutatio ſua ſimul confirmat, dum aliena evertit, nihil autem refert, ſi ob-

a. Aphthon. c. 6. b. Auct. ad Her. l. 1. c. 3.

ſi objectionem enúcleate primum proponas, deinde confutes, quod in longa oratione fit in iis, quae magni ſunt momenti, vel includas in iis, quae affers, quod fieri ſolet in brevi oratione, & in iis, quae minori ſunt incommodo. Objecta crimina includit, & refutat Caeſar Bel. Civ l. 3. c. 95. *In caſtris Pompeii videre licuit triclinia ſtrata, magnum argenti pondus expoſitum, recentibus ceſpitibus tabernacula conſtrata, & nonnullorum protecta bedera, quae nimiam luxuriam, & victoriae fiduciam deſignarent: atque ii miſerrimo ac patientiſſimo exercitui Caeſaris luxuriam objiciebant, cui ſemper omnia ad neceſſarium uſum defuiſſent.* Et Aeneas timiditatis & fugae ſuſpicionem a ſe rejiciens. *Iliaci cineres, & flamma extrema meorum Teſtor in occaſu veſtro nec tela, nec ullas Vitaviſſe vices Danaum, & ſi fata fuiſſent Ut caderem, meruiſſe manu.* Sall. Bel. Jug. c. 1. *Falſo queritur de natura ſua genus bumanum, quod imbecilla atque aevi brevis ſorte potius, quam virtute regatur. Nam contra reputando neque majus aliud, neque praeſtabilius invenias, magiſque naturae induſtriam hominum, quam vim aut tempus deeſſe. Dux vitae mortalium animus eſt; qui ubi ad gloriam virtutis via graſſatur, abunde pollens, potenſque, & clarus eſt. Sin captus pravis cupidinibus ad inertiam, & voluptates corporis peſſundatus eſt, pernicioſa libidine paulliſper uſus, ubi per ſocordiam vires, tempus, aetas, ingenium defluxere, naturae infirmitas accuſatur: ſuam quiſque culpam auctores ad negotia transferunt.*

4. Refutatio autem accurate & operoſe de-

bet

bet reſpondere iis, quae magna & ſeria ſunt: quare *illud ſtultiſſime praecipitur, quod defendi*, aut refelli *non poſſit, ſilentio diſſimulandum; ſiquidem eſt id, de quo Judex pronunciaturus eſt* [a] in judiciali, & auditor judicaturus in reliquis: licet non omnia omnino verba, nec omnes ſententiae curandae ſint, ſed capita, & ea plane rejicienda.

5. Variae demum ſunt refutandi rationes, *cum* in judiciali genere *patronus*, in ceteris omnis Orator *neget, defendat, transferat, excuſet, deprecetur, molliat, minuat, avertat, deſpiciat, derideat* [b]. Optima eſt, cum magna, & ſimul falſa objecta ſunt, ſumma ope ea convellere, aut ingenue fateri, & ad inſigne aliud per ea proficere, ſi liceat. Deprecari quae objiciantur, ut ſaepe ad ſuaviſſimas permotiones apud homines pietate, & clementia inſignes aptiſſimum eſt, ita ad vere reſpondendum, & perſuadendum hominibus aut callidis, aut pervicacibus ſane imbecillum eſt: quare *deprecatio quidem rara admodum, & apud eos ſolum Judices*, atque Auditores, *qui nulla certa pronunciandi forma teneantur* [c], aut quorum natura clementes, & pios facit, non Oratoris vim poſtulet. Deprecatur tamen Cic. pro Ligar. c. 10. *Non quidem colligo quae fortaſſe valerent etiam apud Judicem. Legatus ante bellum profectus, relictus in pace, bello oppreſſus, in eo non acerbus, tum etiam fuit totus animo & ſtudio tuus. Ad Judicem ſic agi ſolet. Sed ego ad Parentem loquor: erravi, temere feci, poenitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, ut ignoſcas oro. Si nemo impetravit, arrogan-*

a. Quinct. l. 5 c. 6. a. Id. ibi. c. Id. ibi.

ganter, ſi plurimi, tu idem fer opem qui ſpem dediſti.

6. Irridere autem quae objecta ſint, atque ita diluere, ut lepidum ſemper, ac validum, cum fragile eſt quod opponitur, ita inane ipſum eſt, cum verum, grave, magnificum, ac vehemens, quod contra dictum eſt. Joco tamen arguteque irridens confutat Cic. in Piſonem cap. 27. *Da te populo, committe ludis. Sibilum metuis? Ubi ſunt veſtrae ſcholae? Ne acclametur? Ne id quidem eſt curare Philoſophi. Manus ne tibi afferantur times? dolor enim eſt malum, ut diſputas; exiſtimatio, dedecus, infamia, turpitudo, verba ſunt atque ineptiae.* In eumd. c. 24. *Audiſtis P. C. Philoſophi vocem; negavit ſe triumphi cupidum umquam fuiſſe. O ſtultos Camillos, Curios, Fabricios, Scipiones, Marcellos, qui triumpharint. Quid ceſſat hic homulus, ex argilla & luto fictus Epicureus, dare haec praeclara praecepta ſapientiae clariſſimo & ſummo Imperatori* *, *genero ſuo.* Itemq; c. 30. Se ac ſuos verſus defendens. *Cedant arma togae. Quoniam te non Ariſtarchum, ſed Phalarim Grammaticum habemus, qui notam apponas ad malum verſum, ſed Poetam armis perſequare, ſcire cupio quid tandem iſto in verſu reprehendas? Tuae dicis, inquit, togae ſummum Imperatorem eſſe ceſſurum. Quid nunc te, aſine, litteras doceam? non opus eſt verbis, ſed fuſtibus. Non dixi hanc togam, qua ſum amictus, nec arma, ſcutum, & gladium unius Imperatoris, ſed quod eſt pacis inſigne, & otii togam; contra autem arma tumultus atque belli.* Et pro Arch. c. 4. *Hic tu tabulas deſide-*

* Caeſarem intelligit.

ſideras Heraclienſium publicas, quas Italico bello incenſo tabulario interiſſe ſcimus omnes. Eſt ridiculum ad ea, quae habemus nihil dicere, quaerere quae habere non poſſumus, & de hominum memoria tacere, litterarum memoriam flagitare. Belle Aegyptiorum ſuperſtitionem, & inſanos ritus irridendo rejicit Juven. Sat. 15. v. 9.

Porrum & cepe nefas violare & frangere morſu.

O ſanctas gentes, quibus haec naſcuntur in hortis

Numina.

Et Sat. 14. v. 176. avarorum parſimoniam:

Manifeſta phreneſis,

Ut locuples moriaris, egenti vivere fato.

7. Commode interdum praeſertim objecta crimina refutant adverſario vera objiciendo. Hujuſmodi haec Cic. 2. Phil. c. 2. *Contra rem ſuam me neſcio quando veniſſe queſtus eſt. Non venirem contra gratiam non virtutis ſpecie, ſed aetatis flore collectam?* Ibidem. *At beneficio ſum uſus tuo. Quo? quod me Brunduſii non occideris? fac potuiſſe: quod eſt aliud beneficium latronum, niſi ut commemorare poſſint iis ſe dediſſe, vitam quibus non ademerint?* Et c. 16. *Hereditates mihi negaſti veniſſe. Utinam hoc tuum verum crimen eſſet? plures amici mei, & neceſſarii viverent.*

RHE-

RHETORICARUM INSTITUTIONUM

LIBER OCTAVUS,

Qui eſt de elocutione.

Ab eloquendo eloquens dictus eſt: ceterarum enim rerum, quae ſunt in Oratore, partem aliquam ſibi quiſque vindicat, eloquendi autem maxime vis ſoli huic conceditur.
Cic. in Orat. cap. 19.

****

Quid ſit elocutio: quantae utilitatis: & quam eſſe deceat.

CAPUT I.

1. E*Locutio eſt idoneorum verborum, & ſententiarum ad inventionem accommodatio* a; nimirum ornata, & diſerta, atque eloquens dicendi ratio, qua Orator mentem ſuam aperit, & animi ſenſa perſpicue, eleganter, vivide, efficienterque exprimit, atque exornat, ut ornate, appoſiteque in audientium animos perveniant, eos delectent, mirifice afficiant, & perſuadeant; *eloqui enim*

a. Cic. Invent. Rhet. c. 1. lib. 1. c. 7.

eſt omnia, quae mente conceperis proponere, & ad audientes perferre a. Haec Rhetoricae pars eſt utiliſſima, omniumque venuſtiſſima. *Neque enim alia re eloquens potius quam elocutione cenſetur* b: nam conciliat argumentis, & rebus incredibile ornamentum, decus, & robur, ac ſignatiſſimis verbis, atque efficaciſſimis, & demum ab omnibus orationis luminibus cuncta illuſtrat, & tamquam armat. quod quidem pulcherrimum eſt ſimulque difficillimum. Quare *M Antonius*, magnus ille Orator, ac Praeceptor, *diſertos*, ait, *ſe vidiſſe multos, eloquentem omnino neminem* c.

2. Haec autem ea eſſe debet, *ut latine, ut plane, ut ornate, ut ad id quodcumque agetur, apte congruenterque dicamus* d. Sit etiam ſatis culta, ſatiſque elaborata, *nam quaſi fundamentum Oratoris vides locutionem emendatam, & latinam* e, ſed ſimul ingenua, nativa, & ſatis gravis, non quaeſita, non fucata, aut velut ceruſſata, *quae non ornamentum quaerat, ſed lenocinia* f: quemadmodum honeſti, elegantiſque adoleſcentis veſtes decorae, & ſatis ornatae, non molles aut luxuriantes eſſe debent, ut pro aetatis flore cernatur, atque etiam appareat, non ut ſe circumſpiciat, aut ceteris jactet; viri autem maturi, aut principis veſtis eſſe debet gravis, ac dives pro dignitate, non ad levitatem, aut oſtentationem. Ita Oratores in verbis ſint diligentes, non inanes. *Ferendi enim non ſunt qui inani circa voces ſtudio ſeneſcunt* g: *curam ergo verborum, rerum volo eſſe ſollicitudinem* h.

Lati-

a Quinct. prooem. l 8. b. Majorag in Comment. Rhet. Ariſt. l. 3 c. 4. c. Quinct. loc. cit ex Cic. in Orat d. Cic 3. de Orat. c. 10 e. Cic. in Br. f Quinctil. prooem. l. 8. g. Id. ibi. h. Id. ibi.

Latini ſermonis genera : aetates : vis : ortus : interitus : inſtauratio.

CAP. II.

1. Quae latinitas generatim appellatur, alia eſt eccleſiaſtica, alia barbara, alia plane ac vere latina. Eccleſiaſtica eſt ea, qua Eccleſia Catholica explicandis caeleſtibus Religionis inſtitutis, caeremoniis, ritibus, ſenſiſque divinitus acceptis, ac fideli populo ſignificandis utitur, ne dum optima in ſuo genere, ſed latinae linguae conſervatrix: Eccleſia enim latine diſci jubens latinum ſermonem conſervavit. Barbaram ſaevi illi, nec voce minus, quam more immanes Gothi, Hunni, Alani in florentiſſimam Italiae provinciam invexerunt, eamque longa aetate Scholaſtici quidam Doctores adhibuerunt, &, ſi bonis Diis placet, ſuo jure volunt adhibere. Vere ac plane latina ea eſt, quam Latini populi dudum praeclare loquendo, praeclarius ſcribendo adhibuerunt, ejuſque egregiam certe imaginem optimus quiſque etiam noſtrae aetatis Scriptor praeſeferens imitatur.

2. Hujus latini ſermonis plures ſunt aetates. Aurea vel optima paullo ante Auguſtum ad totum ejus imperium, & Chriſti omnium Servatoris annum XIV. feſtiviſſimum Plautum, elegantem Terentium, magnificum Caeſarem, Ciceronem, Nepotem, Salluſtium, Catullum, Propertium, Tibullum, Virgilium, Horatium, Ovidium, Livium, certe principes

ſuſpexit facili illa dicendi vi, rerum perſpicuitate, evidentia, omnique rerum copia praeſtantiſſimos. Argentea a Chriſti anno XIV. ad CXVII. * in eaque nitidiſſimus Cornelius Celſus, Curtius, Plinii, Senecae, Lucanus, Tacitus, Claudianus alacri ſpiritu; atque acumine floruerunt, ac Martialis acutus ſemper, ſaepe ineptiolis ludens. Aenea a CXVII ad CCCC. Chriſti annum, in qua non ignobiles fuerunt Apulejus, Cenſorinus, Lampridius, Vopiſcus, Eutropius, alii Hiſtorici, & plures Sancti Patres. Ferrea deinceps, ac lutea dicta ad nonum ſaeculum, cum viſae tacere litterae.

3. Enimvero haec latina germanitas, ejuſque incorrupta vis poſita eſt in verbis ſingulis, in eorum ſignificatione, in ſtructura, in conjunctione. In verbis, ut ſi latine loqui velis, videas an latini Scriptoris ſint, immo an aureae, an argenteae, an ſequioris aetatis, an in gravi oratione, an in epiſtola aliqua, in certae diſciplinae tractatione, nam ſuo quaeque loco dignitatem habent. Itaque *caelitus*, *intrinſece*, *extrinſece*, *diviſim*, *gratitudo*, *ingratitudo*, *poſſibile*, *impoſſibile* numquam uſurpes, non enim latina ſunt. Deinde in vocis ſignificatione, nam *gratia* pro lepore, pro benevolentia, pro auctoritate latinum eſt, pro beneficio non aeque, *intellectum* pro intelligendi vi, ſive intelligentia non reperias, *palatium* pro aede Principis viri aureae aetatis ſcriptoribus inauditum. Praeterea in verborum ſtructura, ideo *ut ſperarem mihi prohibitum*, *ut abirem juſ-*

* Vide Facciolatum in Lexico, & in Comment. Ling. Latin.

juſſum vix Latinis auditum, ſed *ſperare prohibitus*, *abire juſſus*. Denique in verborum cum verbis conjunctione, ſeu locutionibus, quas phraſim vocant; *licet enim dicamus aliquid proprium*, *ſpecioſum*, *ſublime*, *nihil tamen tale*, *niſi in complexu loquendi*, *ſerieque contingit* a. Itaque *in genere*, *licentiam homini dare*, *manere in laetitia* non dicas, ſed *univerſe*, vel *de univerſo*, aut *toto rei genere*, *poteſtatem facere*, aut *veniam dare*, *gaudio exſultare*, aut *laetitia cumulari*. Quare *ut latine loquamur*, *non ſolum videndum eſt*, *ut & verba efferamus ea*, *quae nemo jure reprehendat*, *ſed ea ſic & caſibus*, *& temporibus*, *& genere*, *& numero conſervemus*, *ut nequid perturbatum*, *ac diſcrepans*, *aut praepoſterum ſit* b.

4. Qua potiſſimum aetate latinus ſermo adhiberi ceptus ſit vix definias: in Latio adhibitum ſatis conſtat, atque Aeneam in eam regionem advectum, *ut animos Aborigenum ſibi conciliaret*, *ne ſub eodem jure ſolum*, *ſed etiam nomine omnes eſſent*, *Latinos utramque gentem appellaſſe* ſcimus. Deinde a Romulo Urbe condita, & a Bruto Republ. conſtituta, in eaque ſaepe in concionem etiam populi (quae etiam cauſſa erat native, aperte, perſpicue, ample, efficienterque dicendi, ut etiam a multitudine intelligerentur, eamque permoverent) prodeuntibus principibus viris ante Auguſtum, atque eo regnante cultum, & celebratum. Paullatim deinde paucis in Senatu ſolum, aut ad Caeſares orantibus dicendi genus invectum eſt brevius, crebris ſententiis elaboratius, ſublimius, im-

a. Quinctil. l. 1. c. 9. b. Cic. 3. de Orat. c. 11.

mo tumidius ad paucorum facultatem accommodatius, multitudinis neglecta cura. Multis vero orandi facultate ademta, multiſque adeo ſermonis ſtudium negligentibus labi, & corrumpi latinus ſermo ceptus eſt, bellantium vero gentium irruptione ſenſim interiit. Longo deinde intervallo immortalis vir Franciſcus Petrarcha * eum cum ſummis doctrinae viris inſtaurare conatus eſt; quod niſi aſſecutus eſt, tot ac tantis emortuam linguam in uſum revocandi oppugnantibus impedimentis, cauſſa certe fuit, cur deinceps tam multi, & tam praeclare latine ſcriberent, quos Latini ipſi Cives fortaſſe non diffiterentur.

5. Utcumque id ſit, haec Latinitatis caſtitas ineunte, ac matureſcente adoleſcentia tibi cognoſcendam, & tenendam intellige: nam diſciplinarum, ac rerum ſua veniet aetas; at latinam linguam niſi adoleſcens didiceris, maturus vir factus vix ſperabis. Certe nono humanae ſalutis ſaeculo Carolo illo Magno Galliarum, ac Germaniae Rege ſummis praemiis cohortante a ſummis ingeniis ſcientiae inſtauratae, illuſtrataeque ſunt, at latina lingua ex teneris annis non ebibita, barbaris vocibus potius infuſcata, quam tradita, haud culta fuit, nec comparata, aut reſtituta **.

6. Eam vero latini ſermonis caſtitatem incorruptam tueri omnes debere in Juriſprudentiae, in Medicinae, in Philoſophiae ſtudio, in foro, in omni denique Scriptionis genere ſuo ju-

* Florentiae hic natus anno 1304. Etruſcae linguae Etruſcaeque Poeſis princeps. & latinas etiam ſcriptis praeſertim *de remedio utriuſque fortunae* clarus anno 1374. diem obiit ſupremum. ** Pallavic. Tract. Stil. c. 2,

jure ſapientiſſimi viri contenderunt [a]. Certe quidquid barbara, ruſticana, & horrida oratione alii dicant, latine, polite, culte accurate agenti dici poteſt, in omnique diſciplinae genere cultiores viri dixerunt. Plane *quidquid Graeci*, quanto magis barbari, *verbis ſuis aut expreſſerint, aut poſſint certe exprimere, non deſpero me poſſe explicare atque referre latine* [b], ut clarus Auctor affirmat.

Verborum delectus: ejus vis: & ad varias res varietas.

CAP. III.

1. UT rationes, quae accurate cogitanti occurrunt, ad rem aliquam confirmandam aliae aliis praecedunt, optimaſque bonus Orator ſeligit, ita & verba, licet latina, licet ornata, non ſtatim arripienda ſunt, ſed ea praeſtant, eaque eligenda ſunt, quae rem maxime exprimant, quam agas; itaque delectu opus eſt. Is autem in eo eſt collocatus, ut *inter duo, quae idem ſignificant, ac tantumdem valent, quod melius ſonet, mentem & rem tuam promoveat, velis* [c]. Tanti autem eſt id, ut jure dixerit Cicero, *verborum delectum originem eſſe eloquentiae* [d].

2. Itaque, cum quidpiam ſcribes, aut dices, non excipias ea verba, quamquam ſatis ido-

a Paullin. Cheluccius Schol. Piar. Orat. 5 quae eſt *de forenſi latinitate expurganda*. b. Alexander Politus Schol. Piar. praef. in Euſtathium latine ab eo converſum. c. Quinctil. l. 1. c. 5. d In Brut. c. 72. ut Caeſaris dictum.

idonea, propria, & venuſta, ſed omnium aptiſſima, efficaciſſima, & pulcherrima concipe atque elige, nam *aliud alio nomen magis eſt proprium, & rei magis accommodatum, ut oculis ſubjiciatur* [a]. Sit exemplo hoc Horatii l. 1. od. 15. *Paſtor cum traheret per freta navibus Idaeis Helenam perfidus hoſpitam Ingrato celeres obruit otio Ventos, ut caneret fera Nereus fata*. Audi ex me aliqua. *Paris* hominem notaſſet, at *paſtor* hominis ſordes, in quibus aliquandiu jacuerat in ſilvis puer expoſitus, quod patriae fatum portendi dictus fuerat. *Duceret, regeret, & dirigeret* rem utcumque explicaſſet; *traheret* vero multo efficientius, Deos ita, homines, & navem ipſam quaſi reluctantem praedicat. *Maria*, aut *aequora* accommodata erant, ſed *freta* multo accommodatius verbum, anguſtos ſinus Paridem delegiſſe ſignificans Graecos luſurum, ſi inſequerentur. *Continuit, repreſſit*, rem ſatis explicaverant, quanto vehementius *obruit?* Obruuntur enim, quae ruina, aut mole aliqua opprimuntur. Cetera per te ipſe perpende.

2. Nec vero quod eſt ſummum in re aliqua omnium aptiſſimum ubique exiſtimes, nec illud ubique eligas; nam optimum eſt, ut ante ſignificavi, quod rem aptiſſime exprimit. Ut exemplo explicem. Inquit Nepos in Pelop. c. 3. *Hoc loco libet interponere nimia fiducia quantae calamitatis ſoleat eſſe*. *Neceſſe eſt*, aut *oſtendam*, aut *ob oculos ſubjiciam* generatim certe majus eſt, ſed hoc tamquam digredienti ab hiſtoria aptius eſt *libet interponere: intolerabilis audacia, importare ſe-*

a. Ariſt. Rhet. l. 3. c. 7. tex. 12.

ſoleat vehementius fere eſt, ſed negligentiam, non agentium furorem, & paullatim venientem calamitatem, non extemplo occupantem calamitatem ſignificanti *ſoleat eſſe* fuit multo accommodatius.

3. In eo etiam eſt delectus, ut verbum, aetas, dignitas, & ſplendor, aut humilitas, aut turpitudo intelligatur, atque optima ſeligantur. *Civitas populoſa* Vegetii eſt, quid non mavis *Civitatem celebrem*, aut *frequentem*, quae eſt Tulliana vox? Item quaedam ſunt turpia, & obſcoena, *haec vero ab oratione omnino proſcripta volo, mecumque omnes honeſti Oratores* a. Quaedam ſunt ſordida, aut certe abjecta, ea vero vix umquam Oratori apta, ut illas: *lignari*, *aquari*, *conterraneus*, *occare*, caſtrenſes, aut agreſtes voces vix admittet oratio. Alia ſunt obſoleta, ut *expectorare*, *antigerio*, *facul*, *difficul*, *toper* fugiet bonus quiſque, nam *abjecta*, *& obſoleta verba fugiet Orator* b. Alia ſunt priſca & vetera, ſemel aut iterum magnopere non repudianda, ut enim antiquae imagines, ac vetus ſupellex in magnifica, & nobili aede vetuſtatem & opes familiae praeſeferunt, ita antiqua verba. Ita Virgilio *admittier*, *fulgere*, *fervere*, *cujum pecus*, *ſidunt*, non repudiata. Peregrina, aut externa, ſive ex aliarum gentium linguis verba aliqua praeclari viri civitate donarunt; ut Virg. *gaza* Punicum verbum, & *phalangem* Macedonum. Horatius *acinacem* Perſarum, ipſi, & alii alia. Satius tamen abſtinebis. Nam etiam in Tito Livio miro facundiae viro, *putavit ineſſe*

a. Sigiſm. Coccapan. Schol. Piar. de vitiis verb. c. 2. num. 4. b. Cic. 2. de Orat. c. 37.

ineſſe Pollio quamdam patavinitatem a. Denique alia ſunt poetica, ideo impropria in oratione.

An liceat fingere nova verba: & quae in iis adhibendae cautiones.

CAP. IV.

1. Fingere eſt de novo condere, & nemini antea uſurpata adhibere. Id plane in vigentibus viviſque linguis licere auctores nobis ſunt maximi Doctores Cicero b, Quinctilianus c, atque Horatius d, praeſertim ubi neceſſitas, & linguae inopia compellat. Cum nulla novandorum verborum vigeat neceſſitas, nec recepta deficiant, nec ipſi permittunt. In emortuis vero linguis, nec ulla in terra multitudini ipſi adhibitis plerique omnes prohibent, ac ſolum, cum novae res, quod in Religionis inſtitutis, in dignitatibus, in artium inſtrumentis, & operibus, quae ſaepe prodeunt, contingit, iis nomen fingere fas eſſe ducunt. Immo Caeſar omnino vetuit, atque *omne verbum novum atque inſolens, tamquam infamem ſcopulum vitari oportere judicavit* e. Uſu ipſo plures affirmarunt: nam *obſequium primus Terentius dixit: cervicem Hortenſius, nam veteres pluraliter appellabant: favorem, urbanum, beatitudinem, & beatitatem Cicero; invideor & cinctutos Horatius* f; audendum itaque. Atque jure plane, nam *quae vetera ſunt, fuerunt*

a. Quinctil. l. 8. c. 1. b. Cic. 1. Fin. c. lib. 1. c. 5. d l. 2. epiſt. 3. e. Cic. 3. Orat. c. 42. f. Quinctil. l. 8. c. 3. g. Idem ibi.

runt olim nova [a]. Quare *licuit*, *ſemperque licebit Signatum praeſente nota producere nomen* [b].

2. At plura accurate inſpicienda ſunt, cum forte id tibi ſumere audebis. Ex illuſtri, cognataque lingua fingere optimum eſt: qua de cauſſa ſuis Latini auctores erant, ut ex Graecis derivarent. *Graecis*, ait Cicero, *licebit utare*, *cum voles*, *ſi te latina forte deficiant* [c]. Et Horatius *habebunt verba fidem*, *ſi Graeco fonte cadant parce detorta* [d]. Hujuſmodi fuerunt Latinis *Philoſophia*, *Dialectica*, *Phyſica*, *Rhetorica*, *gynaeconitis*, *oſtraciſmus*: nobis *allegoria*, *hyperbole*, *anacroniſmus*, *dialogiſmus*, *epiſodium*, quae uſu mollita ſunt. Deinde curandum eſt, ut ex nota alia, ſatiſque affine voce nomen fingatur *ſignatum praeſente nota*. Ita *obſequium* ab *obſequor*, *favor* a *faveo*, *urbanus* ab *urbe* illi deduxerunt. Omnium autem maxime enitendum, ut pulchra, ut numeroſa, ut rerum, quibus ſignificandis finguntur, ſint propria. Ejus indolis nobis ſunt *Trinitas*, *Deipara*, *juſtificatio*, *Purgatorium*, & plura, quae Eccleſiae Catholicae inſtituta, & dogmata explanant: *ubi enim ſumma religionis noſtrae*, *& ſacroſancta capita aguntur*, *religioſiſſime ac conſtantiſſime iis vocibus adhaerendum*, *quas jam inde a vetuſtis temporibus Sanctorum Patrum conſenſus ſtabilivit*, *ac veluti conſecravit* [e]. *Nec enim unquam in eorum ſententia fui*, *qui ſi quod verbum offenderint a Cicerone*, *aut a Caeſare minime uſurpatum*, *ſtatim clamant auctori diem violatae latinitatis eſſe di-*

a. Quinctil l. 8 c. 2. b. Hor. l. 2. epiſt. 2. v. 58.
c. 1. Acad Quaeſtion. d. lib. 2. ep. 3. v. 52.
e. Alex. Politus praef. in Euſtath.

dicendum a. Et quidem qui *ambarvale*, *compitalitium*, *ſuetaurilia*, *novemdiale* ſacrum, *impluvium*, & ſat multa hujuſmodi probaverit, quid ſacroſancta haec horreat?

3. Ceterum aut numquam, aut perquam raro nova fingendi auctor tibi ſim: *nam ſi recepta ſunt modicam laudem afferunt Oratori, repudiata etiam in in jocos exeunt* b. Sane *reatum Meſſalla*, *munerarium Auguſtus primus dixit*, *ſimbriatum*, *& fibulatum Aſinius* c, Catullus *ploxenum circa Padum invenit* d, *ens*, *& eſſentia* e Quinctiliano probata, ſed quis ea excepit?

Tropi: eorum genera: utilitas, & pulchritudo.

CAP. V.

1. TRopus eſt *verbi*, *vel ſermonis a propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio* f; ſive ut belle Menzinus *error cum ratione* g. Mutamus enim a propria ſignificatione, atque erramus, cum ardere hominem, mirari arborem, clamore caelum feriri, frangi improborum audaciam, Italiam, Siciliam, Germaniam teſtes eſſe, & ſexcenta hujuſmodi affirmamus; ejus tamen immutationis, atque erroris certa ratio eſt, & venuſtas; quod vel proprium verbum deerat, vel multo ornatius eſt tranſlatum. Nam duae tro-porum

a. Paul. Cheluccius Orat 5. b. Quinctil. l. 1. c. 10. c. Idem l. 8. c. 3. d Id. l. 1. c. 9. e Id. l. 8 c. 3. f. Id. l. 8. c. 6. g. Conſtruct. Irreg. Ling. Ital. c. 1.

porum cauſſae fuerunt, neceſſitas, & delectatio: *neceſſitas*, ait Cicero, *genuit inopia coacta, & anguſtiis, poſt autem delectatio, jucunditaſque celebravit* a. Neceſſitate dixerunt veteres *gemmare vites*, *mori ſegetes*, aut *luxuriari*, *ſitire arva*, *durum* ac *ferreum* hominem, alia, in quibus idoneum, ac proprium verbum non ſuppetebat. Ad ornatum, ad gratiam, ad vim cetera.

2. Duo ſunt troporum genera, alii verborum, qui verbum aliquod a propria ſignificatione in aliam convertunt: alii ſententiarum, qui plura verba, ſive ipſam ſententiam totam ad aliud ſignificandum immutant. Tropi verborum ſunt: metaphora, ſyneodoche, metonymia, antonomaſia, onomatopoeja, catachreſis, metalepſis. Tropi ſententiarum ſunt, allegoria, hyperbole, ironia, periphraſis.

3. Tropi omnes incredibilem pulchritudinem afferunt orationi; nam etiam *in ſuorum verborum maxima copia homines aliena multo magis, ſi ſunt ratione tranſlata, delectant, quod ingenii ſpecimen eſt quoddam tranſilire ante pedes poſita, & alia longe repetita ſumere, quod qui alio ducitur cogitatione, neque tamen aberrat, quae maxima eſt delectatio* b: ita autem ad perſuaſionem proficit eloquentia.

Tropi

a. Cic. 3. de Orat. c. 38. b. Id. ibi c. 40.

Tropi verborum: eorum pulchritudo, & monita.

CAP. VI.

1. Metaphora eſt ex alio ad aliud tranſlata vox; ſive a propria ſignificatione in alienam ob ſimilitudinem tranſlatio: ut cum inquit Cicero 1. de Orat. c. 6. *Ex rerum cognitione effloreſcat, & redundet oportet oratio:* voces illae *effloreſcat*, & *redundet* prima a pratis, atque arboribus, altera ab aquarum, & opum vi ad orationem tranſlata eſt ob ſimilitudinem, quae intercedit inter venuſtatem florum ex veris copia, & orationis dignitatem ex eruditione, & rerum ornatu. Ejuſdem ingenii haec. Cic. pro Leg. Manil. c. 3. *In Aſiae flore verſari*. Id. 1. Phil. c. 1. *Omnem memoriam diſcordiarum oblivione ſempiterna delendam cenſui*. Et pro Mil c. 8. *Elegit e florentiſſimis ordinibus ipſa lumina*. Caeſ Bell. Gall. l. 7. c. 29 *Id incommodum ſe celeriter majoribus commodis ſanaturum*. Virg. 2. Georg. v. 82. de arbore inſita: *Miraturque novas frondes, & non ſua poma* Et v. 116.

Diviſae arboribus patriae.

Hor. l 3. od. 16. v. 17.

Creſcentem ſequitur cura pecuniam.

2. Metaphora, pulcherrimum orationis lumen, multo adhuc eſt pulchrior, cum res quaſi agentes repraeſentat, cum quamdam rei imaginem continet, & cum decorum ſervat, ideſt

a. Cic. 3. de Orat. c. 40. b. Id. ibi c. 41.

ideſt cum a rebus jucundis in laeto argumento, a triſtibus in triſti, a magnificis in grandi deducitur, quo pacto *fatale monſtrum* Cleopatra dicta ab Horatio, *peſtis* atque *prodigium urbis* Catilina a Tullio, *mellitus Cicero* filius ab eodem, *ſolatiolum* paſſer a Catullo, *altera pars animae ſuae*, ab Horatio Maecenas, *ſuum corculum* amicus a Plauto. Pulcherrimae ergo iſtae. Cic. pro Marc. c. 8. *Omnia ſunt excitanda tibi C. Caeſar, uni, quae jacere ſentis belli ipſius impetu perculſa atque proſtrata, conſtituenda judicia, revocanda fides, comprimendae libidines, omnia, quae dilapſa jam fluxerunt, ſeveris legibus vincienda ſunt* Liv. lib 3. *Inter Conſulem & Militem comitate & beneficiis certatum eſt.* Virg. 12. Aen. v. 499.

Irarumque effundit habenas.

Et 8. v. 728

Pontem indignatus Araxes.

Hor. l. 1. od. 3. v. 5

Navis, quae tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et ſerves animae dimidium meae.

3. At ſunt etiam ſua & foeda vitia metaphorae. Primum eſt, ſi non exiſtet atque emineat proportio & ſimilitudo rei, unde ſumta eſt, cum re, cui accommodatur, ac transfertur, nam *fugienda eſt diſſimilitudo* a, ut illa Plauti: *lippiunt fauces fame*; atque Ennii: *caeli ingentes fornices*. Deinde *videndum eſt, ne longe ſimile ſit ductum; Syrtim patrimonii; ſcopulum libentius dixerim; Charybdim bonorum, voraginem potius* b. Praetera *fugienda eſt*

a. Cic. 3. de Orat. c. 40. b. Id. ibi c 41.

eſt omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos, qui audiunt, trahet ſimilitudo: nolo enim ſtercus Curiae dici Glauciam, quamvis ſit ſimile, tamen eſt in eo deformis cogitatio ſimilitudinis [a]. Poſtremo *nolo eſſe majus, quam res poſtulet, ut tempeſtas comeſſationis; aut minus, ut comeſſataio tempeſtatis* [b]. Summo ideo Doctori Euripides reprehenſus, quod in Telepho dixit, *remo imperans, majus eſt enim imperare, quam remo conveniat* [c]; & quod alibi: *remi reges*, quod magis vitioſum eſt.

4. *Si vereare, ne paullo durior tranſlatio eſſe videatur, mollienda eſt praepoſito ſaepe verbo; ut ſi olim M. Catone mortuo pupillum Senatum quis relictum diceret, paullo durius; ſin, ut ita dicam, aliquanto mitius eſſet: etenim verecunda debet eſſe tranſlatio, ut deducta eſſe in alienum locum, non irrepſiſſe videatur* [d]. Judicium, & ſanus in litteris guſtus, ut in ceteris, ita in eo omnia diſtinguet. Mollierunt Cic. pro Arch. c. 1. *Omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & cognatione quadam inter ſe continentur*. Et 1. Phil. c. 1. *Manendum mihi ſtatuebam quaſi in vigilia quadam conſulari & ſenatoria*. Florus l. 2. c. 7. *Poſt Carthaginem vinci neminem puduit: ſecutae ſunt ſtatim Macedonia, Graecia, Syria, cetera quodam quaſi aeſtu, & torrente fortunae*.

5. Synecdoche, ſive *intellectio* [e], eſt tropus, qui rem ponit pro re ei maxime affine & conjuncta. Plura ſunt ejus genera; nam poni-

a. Cic. 3. de Or. c. 40. b. Id ibi. c. Ariſt. Rhet. l. 3. c. 5 tex. 47. d. Cic. 3. de Orat. c. 41. e. Auct. ad Her. l. 4. c. 33.

ponitur totum pro parte, ut *rivus*, *fons*, *fluvius* pro illorum aquae parte, & contra pars pro toto, ut *limen*, *tectum*, *lares* pro domo, *caput*, *pectus* pro homine: numerus unius tantum pro numero multitudinis, *Romanus*, *Poenus*, *Gallus*, pro tota gente, & multitudinis pro unius, *nos*, *pectora*, *Scipiones*, *Camilli* de uno: genus pro ſpecie, *arbor*, *ventus*, *vitium*, *virtus* pro pinu, euro, ſuperbia, liberalitate, ſpecies pro genere, ut *maſſica*, *falerna*, *byblaeum mel*, *baeticae lanae*: numerus certus pro incerto, ut *centum*, *ſexcenta*, *mille*, & incertus pro certo, ut *per multos annos*, *poſt certas hiemes*, *per plures aetates* pro definitis annis: regiones & urbes pro Civibus, ut *Italia*, *Gallia*, *Hiſpania* pro earum incolis, & incolae pro regionibus: continens pro re quam continet, ut *pocula*, *cululli*, *aerarium*, *ſcrinia* pro eo quod in iis continetur: ſignum pro re ſigno affecta, ut *ſecures*, *faſces*, *infulae*, *diadema* pro conſulatu, pro Pontificis, pro Regis dignitate: praecedens pro ſequenti, cum non eſt ejus cauſſa, ut umbrae montium, pecorum in ſtabula reditio pro nocte. Eorum uſus *frequentior apud Poetas*, *licet Oratoribus quoque*, & Hiſtoricis *permiſſa* [a] eſt ſynecdoche. Haec ſatis erunt. Ter. Adelph. act. 2. ſc. 3. *Feſtivum caput?* Cic. pro Leg. Manil. de ſe loquens c. 24. *Pericula*, *ut hominem praeſtare oportet*, *innocentia tecti pellemus*. Liv. praef. lib. 1. *Novi ſemper Scriptores rudem vetuſtatem ſuperaturos ſe credunt*. Virg. ecl. 5. v. 46.

Quale per aeſtum

a Quinctil. Inſtit. Orat. lib. 1. cap. 5.

Dulcis aquae ſaliente ſitim reſtinguere rivo.
Hor. l. 3 od 2. v. 17.
Virtus repulſae neſcia ſordidae
Intaminatis fulget honoribus,
Nec ſumit, aut ponit ſecures
Arbitrio popularis aurae.

6. Metonymia, ſive hypallage, cauſſas pro effectibus ponit, aut effectus pro cauſſis: ſive eſt *nominis pro nomine poſitio* [a]: ejuſque quaſi genera ſunt, cum inventor ponitur pro re ab eo inventa, ut *Bacchus* vini, *Ceres* frumenti, ut Ethnicis creditum, & Praeſides pro iis, quibus praeſunt, ut *Mars* bello, *Vulcanus* igni, *Pallas* ſapientiae, *Neptunus* mari., ut idem Ethnici crediderunt, nos eorum vocem accipimus alia ſcientes. Haec item parce in ſoluta oratione locum habent. Pauca haec ſint exemplo. Cic. de Prov. Conſ. c. 4. *Cum palam Pop. Rom. Imperator inſtructo exercitu dexteram tendens non ad laudem milites hortaretur, ſed omnia ſibi & emta & emenda eſſe clamaret.* Liv. l. 2. *Pugna jam ad manus, jam ad gladios, ubi Mars eſt atrociſſimus, venerat.* Catull. epigr. 8. v. 3.
Fulſere quondam candidi tibi ſoles,
Fulſere vere candidi tibi ſoles.
Propert. l. 2. eleg. 6. v. 33.
Non iſtis olim variabant tecta figuris;
Cum paries nullo crimine pictus erat.

7. Antonomaſia inſigne hominis, aut rei ponit pro vero hominis, aut rei nomine. Tria ſunt ejus genera, ſeu fontes illius; hominis aut rei praeſtantia, ut *Princeps Apoſtolorum* in Sancto Petro, *Apoſtolus* in Paullo, *patientiae Princeps* in Jobo, *Scholarum Angelus*

a. Quinctil. lib. 1. cap. 6.

gelus in Thoma Aquinate, *Sapiens* in Salomone. Alterum ſingulare aliquod facinus, ut *Cunctator* in Fabio, *Everſor Carthaginis* in Scipione, *Numidicus* in Metello, *repertor novi orbis* in Americo Veſpuccio. Tertium Parentis, Avorum, aut patriae nomine, ut *Aſcraeus ſenex* Heſiodus, *Veronenſis Poeta* Catullus, *Venuſinus* Horatius, *Atridae* Agamemnon & Menelaus; ſed hoc poſtremum fere Poetarum. Exemplo haec habe. Cic. 3. de Orat. c. 17. *Ea Philoſophia, quae ſuſcepit patrocinium voluptatis*, hoc eſt Epicurea. Virg. 10. Aen. v. 101.

Tum Pater omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas,
Infit, eo dicente Deum domus alta ſileſcit,
Et tremefacta ſolo tellus, ſilet arduus aether.

Et 9. Aen. v. 602.

Non hic Atridae, nec fandi fictor Ulyſſes.

Ovid. 1. Faſt. v. 597.

Et mortem, & nomen Druſo Germania fecit:
Me miſerum? virtus quam brevis illa fuit!
Magne tuum nomen rerum menſura tuarum eſt:
Sed qui te vicit nomine major erat.

8. Onomatopoeja, Graecis familiaris, qui *feliciores fingendis nominibus* [a], eſt fictio vocis, & fere tota in eo poſita, ut ſonum, quem bruta ſingula edunt, certo nomine appellet, ut ovium balatum, boum mugitum, equorum hinnitum, clangorem aquilarum. *Nobis minime conceſſa eſt onomatopoeia, & jam ne balare quidem, aut hinnire fortiter diceremus, niſi judicio vetuſtatis, niteremur* [b].

9. Catachreſis, ſive abuſio, non habentibus

Aa 2

a. Quinct. l. 1. c. 9. b. Id. l. 1. c. 5.

bus nomen ex proximis, ac ſimilibus accommodat, ut cum certam hominis imaginem certum hominem dicit; quare metaphora quaedam neceſſitatis eſt, ideoque *neceſſaria abuſio* [a] dicta a Quinctiliano. Sit aliquod exemplum. Cic. 2. Verr. c. 5. *Deum nullum Siculis, qui ei paullo magis affabre, atque antiquo artificio factus videretur, reliquit*: Virg. ecl. 3. v. 44.

Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit;
Et molli circum eſt anſas amplexus acantho,
Orpheaque in medio poſuit, ſilvaſque ſequentes.

10 Metalepſis quaſi per gradus procedens ex alio aliud intelligit, ut ex meſſe aeſtatem, ex eaque annum, ex ſolis aut lunae curſu annos, aut menſes. Praeſertim Poetis ſaepe eleganti temporis ſignificationi deſcribendae facultatem aperit. En tibi exemplo haec Cic. Somn. Scip. c. 2. *Cum aetas tua ſeptenos octies ſolis anfractus, reditusque converterit, in te unum, atque tuum nomen ſe tota convertet Civitas, te Senatus, te omnes boni intuebuntur*: hoc eſt cum annum 56. attigeris. Virg. 1. Georg. v. 100.

Humida ſolſtitia, atque hiemes optate ſerenas
Agricolae, hiberno laetiſſima pulvere farra.

Ex ſolſtitio, quod ad 23. Julii contingit, totam aeſtatem intellige. Et 4. Georg. v. 207. de apibus.

Neque enim plus ſeptima ducitur aeſtas.

Hor. Carm. ſaecul. v. 21.

*Certus undenos * decies per annos*
Orbis & cantus, referatque ludos

Ter

a. Quinctil. l. 8. c. 2. * De lectione hujus loci vide ibi Lambin.

Ter die claro, totieſque grata
Nocte frequentes:
ideſt centeſimo decimo quoque anno.

Tropi ſententiarum: eorum dignitas: in iiſque monita.

CAP. VI.

1. Allegoria eſt *continuata tranſlatio* a, quae aliud verbis, aliud ſenſu intelligit. Pulcherrimus hic tropus, & ad delectandum aptiſſimus, dum alieno illo ſenſu audientem excitet, ut plura intelligat unum audiens, vel ſingulis tandem tranſlatis verbis, quae allegoria ſimplex dicitur, vel pluribus propriis etiam admiſtis conſtet, quae miſta. Longe pulchrior eſt, ſi ab uno cepta genere, in eo ad finem uſque inſiſtat, non vagetur, aut de genere in genus tranſiliat, quamquam aliqui interdum optimi Scriptores etiam neglexerint: tamen, ut inquit Quinctilianus, *id in primis eſt cuſtodiendum, ut quo ex genere ceperis tranſlationem, hoc deſinas: multi enim cum initium a tempeſtate ſumſerunt, incendio, aut ruina finiunt, quae eſt inconſequentia rerum foediſſima* b. Deinde ne obſcura fiat, & in aenigma tranſeat. Perpulchrae iſtae. Cic. Att. l. 2. ep. 7. *Cum cogar exire de navi non abjectis, ſed ereptis gubernaculis, cupio iſtorum naufragia de terra intueri*. Id. 2. de Orat. c. 65. *Ut ſementem feceris, ita & metes*. Anno Annibali ejuſque factioni inimicus apud Liv. l. 21. c. 3.

a. Quinctil. l. 8. c. 6. b. Id. ibi.

Ego iſtum juvenem domi tenendum ſub legibus, ſub magiſtratibus docendum vivere aequo jure cum ceteris, ne quandoque parvus hic ignis incendium ingens exſuſcitet. Curt. lib. 7. c. 6. *Canem timidum vehementius latrare, quam mordere; & altiſſima quaeque flumina minimo ſono labi.* Virg. ecl. 4.

Sicelides Muſae, paullo majora canamus:
Non omnes arbuſta juvant, humileſque myricae:
Si canimus ſilvas, ſilvae ſint Conſule dignae.

2. Hyperbole rem ſupra veritatem vel auget, vel minuit; ſive *eſt augendi, minuendique cauſſa veritatis ſuperlatio, atque trajectio* a. Nec mentiri, aut fallere contendit hyperbole, ſed verita, ne rei, aut permotionis magnitudinem alius aeque accipiat atque ipſa in animo habet ſummum dicit, ut aequum intelligatur. Quare maxime perturbatis, maximeque rem comprehendenti eſt propria, ſed rei magnitudini innitatur neceſſe eſt. Hujus indolis ſunt haec. Cic. pro Lege Manil. c. 10. *Saepius cum hoſte conflixit, quam quiſquam cum inimico concertavit: plura bella geſſit, quam ceteri legerunt; plures provincias confecit, quam alii concupiverunt.* Et 2. Catil. c. 4. *Quid ſceleris fingi poteſt, quod non ille conceperit? quis tota Italia veneficus, quis latro, quis paricida, quis teſtamentorum ſubjector, quis corruptor juventutis, quis perditus inveniri poteſt, qui ſe cum Catilina non familiariſſime vixiſſe fateatur?* Virg. 7. Aen. v. 808. de virgine Camilla.

Illa vel intactae ſegetis per ſumma volaret
Gra.

a. Cic. 3. de Orat. c. 53.

Gramina, nec teneras curſu laeſiſſet ariſtas;
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret aequore plantas.

Martial lib. 11. ep. 17.

Donaſti, Lupe, rus ſub Urbe nobis,
Sed rus eſt mihi majus in feneſtra.
Rus hoc dicere, rus potes vocare,
Argutae tegit ala quod cicadae,
Quod formica die comedit uno?
Erraſti, Lupe, littera ſed una:
Nam quo tempore praedium dediſti,
Mallem tu mihi prandium dediſſes.

3. Nec nimis tamen audendum eſt: *quamquam enim omnis hyperbole ſit ultra fidem, non tamen eſſe debet ultra modum* [a], ut qui de Cyclope illo dixit, tantum eum lapidem, ſeu potius ita ingentem montis partem in Ulyſſis navim eum intorſiſſe, ut caprae paſcerentur, dum jaceretur [b]: & qui volucres ad terram delapſas clamore militum [c]: quae vix ad jocum tolerantur.

4. Cum nimis videatur audax hyperbole mollitur praepoſito aliquo verbo, aut poſtulata venia. Cic. 2. Phil c. 27. *Quae charybdis tam vorax? Charybdim dico? Oceanus medius fidius vix videtur tot res, tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam cito abſorbere potuiſſe.*

5. Ironia contrarium intelligit atque dicit, aut irridet quod vere dicit. Mirum in modum delectat, afficit, atque urget diſſimulatione, & tecta ſententia, ſi aperta ſit

a. Quinctil. l. 8. c. 6. b. Id refert Halicarnaſſ apud Urſium epiſtola quadam c Caelius quidam apud Victor. Comment. in Phaler. pag. 116.

illa contraria mens vel ex pronunciandi modo, vel ex ceteris quae anteceſſerint, aut conſequantur. Praeclarae ſunt iſtae. Cic. pro Domo ſua c. 40. de Clodio. *Aſpicite, aſpicite, Pontifices hominem religioſum, & monete eum, modum quemdam religionis, nimium eſſe ſuperſtitioſum non oportere.* Id. 2. Phil. c. 34. *O praeclaram illam eloquentiam tuam, cum es nudus concionatus?* Et pro Mil. c. 8. *Sed ſtulti ſumus, qui Africanum, Pompejum, noſmetipſos cum P. Clodio conferre audeamus: tolerabilia fuerunt illa. P. Clodii mortem aequo animo nemo ferre poteſt: luget Senatus, maeret Equeſter Ordo, tota Civitas confecta ſenio eſt, ſquallent municipia, afflictantur coloniae, agri denique ipſi tam beneficum, tam ſalutarem, tam manſuetum Civem deſiderant.*

5. Periphraſis, ſive circuitus, pluribus dicit quod uno, aut certe paucioribus dici potuit. Plura haec vero elegantiam, & eruditionem, & vim praeſeferant, numquam obſcura ſint. Catull. ep. 27.

Miniſter vetuli puer falerni
Ingere mi calices amariores:

hoc eſt pocillator. Virg. 2. Georg. v. 126. ita malum citrinum deſcribit.

Media fert triſtes ſuccos, tardumque ſaporem,
Felicis mali, quo non praeſentius ullum,
Pocula ſiquando ſaevae infecere novercae,
Miſcueruntque herbas, & non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipſa ingens arbos, faciemque ſimillima lauro,
Et, ſi non alium late jactaret odorem,
Laurus erat: folia haud ullis labentia ventis:
Flos apprima tenax: animas, & olentia Medi

Ora fovent illo, & ſenibus medicantur anhelis.
Martial. l. 5. ep. 34. ita hoc dicit quod eſſet, vixit ſex annos ſex dies minus.

Impletura fuit ſextae modo frigora bumae,
Vixiſſet totidem ni minus illa dies.

Figurae : earum genera : dignitas : vis : cauſſae.

CAP. VII.

1. FIgura, ſive exornatio, aut ſchema, eſt ornatior dicendi forma ab uſitata, & vulgari oratione paullum abhorrens, ſeu *conformatio quaedam orationis remota a communi, & primum ſe offerente ratione* [a], aut *rationis commutatio in melius vel ſecundum elocutionem, vel ſententiam* [b].

2. Duo ſunt earum genera. Aliae enim ſunt verborum, quae in ipſis verbis ita habent dignitatem, ut ſi mutentur verba, non permaneat figura: ut v. g. hoc Cic. 1. Catil. c. 2. *Nos, nos dico aperte, Conſules deſumus;* duplicatio eſt, niſi autem duplicetur vox illa *nos nos*, figura interit. Earum quaedam aliquid addunt non ſententiae, ſed elegantiae utile; quaedam aliquid detrahunt; & aliae in quadam orationis aequalitate, & ſimilitudine poſitae ſunt. Aliae ſunt ſententiarum, *quae non in verbis, ſed in ipſis rebus habent dignitatem* [c], ut mutatis etiam verbis eadem adhuc ſit figura. Itaque *inter conformationem verborum, & ſententiarum hoc intereſt, quod verborum tol-*

a. Quinctil. l. 9. c. 2. b. Alexander Sophiſta de fig. c. 1. c. Auct. ad Heren. l. 4. c. 13.

tollitur, ſi verba mutabis, ſententiarum permanet quibuſcumque verbis uti velis a.

3. Pulchritudinem autem figurarum, ſatis nomina ipſa declarant, quibus orationis lumina, quaſi geſtus, inſignia ornamenta, & habitus nuncupantur. Nam *quod Graeci ſchema vocant, nos habitum, vel formam, vel figuram recte nominamus, quia per hoc quodammodo veſtitur atque ornatur oratio* b.

4 Hinc etiam earum vis, & efficientia intelligitur; efficiunt enim, ut oratio non modo illuminetur, ſed in animos irrumpat, eoſque praeclare afficiat, ac permoveat: *quibus quia frequentiſſime Demoſthenes utitur, ſunt,* ait Cicero, *qui putent idcirco ejus eloquentiam maxime eſſe laudabilem* c. Quanto magis Ciceronis eloquentiam?

5. Earum vero ſumma, vehemens, atque una cauſsa eſt argumenti magnitudo, & permotionum vis, cum enim ex re magna, ex animoque a rebus incitato erumpunt, tum ſane excellunt. Itaque accurate cogitanti, ac res pro dignitate agenti prope occurrunt, eiuſque orationem oblatae, non quaeſitae illuminabunt.

Fi.

a. Cic. in Orat. c. 24. b Ven. Beda praef. de Schem. & Trop. c. In Orat. c. 42.

Figurae verborum, in iiſque monita.

CAP. VIII.

1. Repetitio figura eſt, quae eamdem vocem repetit ſententiarum initio, ſeu *cum ab eodem verbo deducitur ſaepius oratio* [a]. Vox illa quae repetitur non uſitatam gratiam, vim, atque affectionem habeat. *Tum multum venuſtatis habet, gravitatis, & acrimoniae plurimum, quare adhibenda & ad exornandam, & ad augendam orationem* [b]; *nec nocet bis dicere, quod bene dicitur* [c]. Non aliuſmodi haec ſunt. Cic. pro Sext. ad extremam paginam. *Qui Senatus conſilium, qui auctoritatem bonorum, qui inſtituta Majorum neglexerunt, omnes fere Reip poenas aut praeſenti morte, aut turpi exſilio pependerunt.* Et pro Domo ſua c. 23. *Quid vos uxor mea miſera violarat? quam omni crudelitate laceraviſtis. Quid mea filia, cujus fletus aſſiduus, ſordeſque lugubres vobis erant jucundae. Quid parvus filius? quem nemo niſi lacrimantem, confectumque vidit.* Tribul. l. 1. eleg. 4. v. 17.

Longa dies homini docuit parere leones;
Longa dies molli ſaxa peredit aqua,
Annus in apricis maturat collibus uvas,
Annus agit certa lucida ſigna vice.

2. Converſio repetitioni oppoſita eodem verbo ſaepius vel inciſa, vel membra, vel periodum

a. Cic. 3. de Orat. c. 53. b. Auct. ad Heren. l. 4. c. 13. c. Plato 6. de Rep. ex interpr. Ficini.

dum claudit. Paullo etiam vehementior, ac ſplendidior, quam repetitio, ſed ex majori rerum amplitudine, & gravitate oriatur, ut quae accuratiorem cogitationem, & curam praeſefert cum formam illam ſaepius ad orationis clauſulas reſervat. Belle Cic. 1. Phil. c. 10. *De exſilio reducti a mortuo: civitas data non ſolum ſingulis, ſed etiam nationibus, & provinciis univerſis a mortuo: immunitatibus infinitis ſublata vectigalia a mortuo.* Et Martial. l. 2. epig. 18.

Capto tuam, pudet heu, ſed capto, Maxime, cenam;
Tu captas aliam: jam ſumus ergo pares.
Mane ſalutatum venio; tu diceris ipſe
Ante ſalutatum: jam ſumus ergo pares.
Sum comes ipſe tuus, tumidique anteambulo regis;
Tu comes alterius: jam ſumus ergo pares.

3. Complexio eadem voce inchoat, eademque orationis membra concludit, *ut repetatur idem primū verbum ſaepius, ſaepiuſque ad idem poſtremum revertamur* a. Vehementiſsima certe eſt, at niſi inaudita plane rei magnitudine oriatur *parce uſurpanda, cum non tacitum habeat artificium* b. Cic. 2. Agrar. c. 9. *Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem partem Pop. Rom. ſuffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis praefuit: Idem Rullus.* Martial. l. 9. epig. 99.

Rumpitur invidia quidam, cariſſime Juli,
Quod me Roma legit, rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod turba ſemper in omni.

Mon-

a Auct. ad Heren. l. 4. c. 14. b Sigiſm. Coccap. de fig. verb. c. 2. n. 3.

Monſtramur digito; rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod ſum jucundus amicis,
Quod conviva frequens; rumpitur invidia.
Rumpitur invidia quod amamur, quodque probamur.
Rumpatur, quiſquis rumpitur invidia.

4. Conduplicatio eamdem vocem ad rei, ac permotionis vim geminat vel orationis initio, vel in excurſu: quare *habet ſuavitatis, feſtivitatis, ac roboris plurimum* a. Perpulchra & acerrima haec. Cic. pro Mil. c. 26. *Erit, erit illud profecto tempus, & illuceſcet aliquando ille dies, cum tu amiciſſimi benevolentiam, & graviſſimi fidem, & unius poſt homines natos fortiſſimi viri magnitudinem animi deſideres.* Id. pro Marc. c. 6 *Vidimus tuam victoriam praeliorum exitu terminatam, gladium vagina vacuum in urbe non vidimus.* Et 1. Catil. c. 2. *Quamdiu quiſquam erit, qui te defendere audeat, vives, vives, & ita, ut nunc vivis, multis meis, & firmis praeſidiis obſeſſus, ne commovere te contra Remp. poſſis.* Hor. l. 2. od. 3. v. 21.

Cedes coemtis ſaltibus, & domo,
Villaque, flavus quam Tiberis lavit:
Cedes, & exſtructis in altum
Divitiis potietur heres.

Virg. 1. Aen. v. 144.

Miſerere laborum
Tantorum, miſerere animi non digna ferentis.

Et v. 667.

Arma viri, ferte arma, vocat lux ultima victos.

5. Conjunctio ad ornatum, atque etiam vim

a Sigiſm. Coccap. de fig. verb. c. 2. n. 4.

vim geminat ſingulis quibuſque inciſis conjunctiones. Ad gratiam valet, nec a vi abhorret, praeſertim ad rerum copiam, ad irae, incitatorumque motuum impetū declarandum. Diſſolutio autem huic contraria removet conjunctiones. Utriuſque exemplo haec ſint. Cic. 2. Verr. c. 12. *Sunt homines, quos libidinis, infamiaeque ſuae neque pudeat, neque taedeat; profiteor huic generi hominum me inimicum, accuſatorem, odioſum, aſſiduum, acerbum adverſarium; moneo, praedico, ante denuncio, qui aut deponere, aut accipere, aut recipere, aut polliceri, aut ſequeſtres, aut interpretes corrumpendi judicii ſolent eſſe, abſtineant in hoc judicio manus, animoſque ab hoc ſcelere nefario.* Virg. 2. Æn. v. 61.

In utrumque paratus
Seu verſare dolos, ſeu certae occumbere morti.

Ovid. 1. Triſtium eleg. 1. v. 92.

Conſilium reſque locuſque dabunt.

Virg. ecl. 4. v. 51.

Terraſque, tractuſque maris, caelumque profundum
Aſpice venturo laetentur ut omnia ſaeclo.

Ovid. 2. Faſt. v. 806.

Nec prece, nec pretio, nec movet ille minis.

6. Traductio eaſdem voces geminat variato aut genere, aut caſu, aut modo, aut alio orationis exitu. Ad venuſtatem, & rara potius, ſatis praeſtat. Pulchra haec. Cic. pro Leg. Man. c. 1. *Hoc aditu laudis, qui ſemper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas, ſed meae vitae rationes ab ineunte aetate ſuſceptae prohibuerunt.* Virg. ecl. 8. v. 63.

Non omnia poſſumus omnes.

Ti.

Tibull. lib. 2. eleg. 1. v. 37.

Rura cano, ruriſque Deos: his vita magiſtris.

Deſuevit querna pellere glande famem.

7. Synecdoche vocem aliquam, quae facile intelligitur, tacita praeterit. Hujuſmodi haec. Terent. Eun. act. 2. ſc. 2. *Ecquid?* h. e. dabis: *heo te*. Cic. 2. Phil. c. 29. *A me C. Caeſar pecuniam? cur non ego potius ab illo?* Et ad Attic. l. 2. epiſt. 2. *Abs te tandiu nihil litterarum?* Virg. ecl. 5. v. 4.

Tu major: tibi me eſt aequum parere Menalca.

8. Adjunctio ad idem verbum refert plura inciſa. Magnitudini, ſplendori, & dignitati maxime idonea haec exornatio. Nec aliuſmodi ſunt haec. Sall. Con. Catil. c. 8. *Optimus quiſque facere quam dicere, & ſua ab aliis benefacta laudari quam ipſe aliorum narrare malebat.* Cic. pro Sext. c. 2. *In hac cauſſa pietatis potius quam defenſionis, querelae quam eloquentiae, doloris quam ingenii partes eſſe ſuſceptas.* Et 2. Verr. c. 14. *An iſte umquam de ſe bonam ſpem habuiſſet, niſi de vobis malam opinionem animo imbibiſset?* Hor. l. 1. od. 12. v. 14.

Qui res hominum, ac Deorum,
Qui mare, & terras, variiſque Mundum
Temperat oris?

Propert. l. 1. el. 1. v. 27.

Fortiter & ferrum, ſaevos patiemur, & ignes,
Sit modo libertas quae velit ira loqui.

Et el. 6. v. 29.

Non ego ſum laudi, non natus idoneus armis:

Hanc

Hanc me militiam fata ſubire volunt.

9 Disjunctio ſingulas ſententias ſuo claudit verbo. Venuſtiſſima, & ad delectandum maxime idonea. Non aliuſmodi haec Cic. pro Sext. extrema oratione. *Amemus Patriam, pareamus Senatui, conſulamus bonis, praeſentes fructus negligamus, poſteritati, & gloriae ſerviamus; id eſſe optimum putemus, quod erit rectiſsimum, ſperemus quae volumus, ſed quod acciderit feramus: cogitemus corpus eſſe mortale, animi vero motus, & virtutis gloriam ſempiternã.* Iſocr. ad Dem. *Corpus laboribus exercebat, animo pericula ſubibat, neque praeter modum divitias expetebat, praeſentibus fruebatur tamquam mortalis, agebatque curam futurorum tamquam immortalis.* Nep in Pauſan. c. 3. *Aditum petentibus non dabat, ſuperbe reſpondebat, & crudeliter imperabat.* Propert. l. 2. eleg. 1. v. 43.

Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, paſtor oves.

10. Similiter deſinens aut voce, aut exitu ſimili orationis membra concludit. Cum eodem verbi aut tempore, aut modo orationem coucludit ſimiliter deſinens dicitur; cum eodem nominis aut caſu, aut genere ſimiliter cadens; forte eadem plane eſt pluribus nominibus nuncupata. Utcumque id ſit; ſatis venuſta eſt, ac temperatis argumentis, jucundarumque rerum expoſitioni accommodata, non aeque in maximis, ac triſtibus idonea: qua de cauſſa jure improbat Ovidium Seneca [a], qui terrarum diluvium deſcribens ejus

[a] Nat. quaeſt l. 3. c. 27. & Murat. Perf. Poeſ. Ital. l. 2. c. 12.

ejus carmina continuo afferam, lepidiſsimis,ac molliſſimis figuris tanto argumento non aptis ad pueriles ineptias reduxit rem maxime luctuoſam; idque idem de compare, de conjunctione, de diſſolutione, ac ſimilibus dictum puta. Elegantes iſtae ſunt. Cic., Catil. c. 7. *Tu patriae neque auctoritatem verebere, neque judicium ſequere, neque vim pertimeſces?* Id. pro Leg. Manil. c. 13. *Quanta innocentia debent eſſe Imperatores? quanta deinde in omnibus rebus temperantia? quanta fide, quanta felicitate? quanto ingenio, quanta humanitate?* Hor. l. 1. od. 12. v. 27.

Simul alba nautis,
Stella refulſit.
Defluit ſaxis agitatus humor:
Concidunt venti: fugiuntque nubes.
Et minax (ſic Dii voluere) ponto
Unda recumbit.

Ovid. 1. Metam. v. 291.

Iamque mare, & tellus nullum diſcrimen habebant.
Omnia pontus erant: deerant quoque littora ponto.
Occupat hic collem: cymba ſedet alter adunca,
Et ducit remos illic, ubi nuper ararat.
Ille ſupra ſegetes, aut merſae culmina villae
Navigat: hic ſumma piſcem deprendit in ulmo.
Mirantur ſub aqua lucos, urbeſque, domoſque
Nereides: ſilvaſque tenent delphines, & altis
Incurſant ramis, agitataque robora pulſant.
Nat lupus inter oves: fulvos vehit unda leones;

 Un-

Unda vehit tigres; nec vires fulminis apro,
Crura nec ablato proſunt velocia cervo.

11. Compar fere pari numero ſillabarum orationis membra diſtinguit. Nep. in Them. c. 1. *Et de inſtantibus veriſſime judicabat, & de futuris calliditiſſime conjiciebat.* Propert. l. 1. el. 5. v. 25.

Quod ſi parva tuae dederis veſtigia culpae,
Quam cito de tanto nomine rumor erit!

12. Paronomaſia verbis ſono ac terminatione ſimilibus, ſignificatione diverſis fere ludit. Solum prope ad jocos, & cum omnino ex materia offertur, non quaeritur, adhibenda & toleranda eſt, quamvis in optimo fere quoque non deſit exemplum. Huiuſmodi ſunt hæc. Ter. Eun. prol.

Aequum eſt recognoſcere, & ignoſcere.
Id. Andr. act. 1. ſc. 3.
Inceptio eſt haec amentium, haud amantium. Cic. 2. Phil. *Ex aratore Orator factus.* Et 1. Catil. c. 12. *Haec Reip peſtis paullisper reprimi poteſt, non comprimi.* Ovid.
Romanae ſpatium eſt urbis, & orbis idem.

13. Synonymia plura, quae idem ferme ſignificant, conjungit, ut rem explicet, atque augeat. Explicandis rebus, efferendis, atque ob oculos ponendis aptiſſima eſt, praeſertim ſi ſemper creſcat ſententia, eamque ob cauſſam jubet Cicero, ut *Orator verſet multis modis eamdem rem, ut ita in audientium animos deſcendat, ac ſedeat, nam commoratio una in re permultum movet* [a]. Sint haec exemplo. Cic. in Piſ. c. 2. *Ego faces jam accenſas ad hujus urbis incendium comprehendi, protuli, exſtinxi,* Et c. 17. *Sua quemque fraus*

[a] Cicero 3. de Orat. c. 53. & in Orat. c. 41.

fraus, ſuum facinus, ſua audacia de ſanitate, ac mente deturbant: hae ſunt impiorum furiae, hae flammae, hae faces. Hor. l. 1. Od. 28. v. 15.

Omnes una manet nox
Et calcanda ſemel via lethi:

Et l. 2. Od 3. v. 25.

Omnes eodem cogimur, omnium
Verſatur urna: ſerius, ocius
Sors exitura, atque in aeternum
Exſilium impoſitura cymbae.

14. Gradatio ex re ad rem progrediens ſuperiorem vocem aliquam repetit, ſeu *fit cum ab aliis ad alia veluti per gradus itur* a. *Eſt illuſtris figura ad delectandum maxime, & ad induſtriae laudem, ſed cum apertiorem habeat artem, rarior in oratione eſſe debet* b. Cic. pro Quinct. c. 12. *Si debuiſset, ſtatim petiſſet; ſi non ſtatim, paullo quidem poſt; ſi non paullo, at aliquando; ſex quidem illis menſibus profecto; anno vertente ſine controverſia: anno, & ſex menſibus, cum ibi quotidie poteſtas hominis fuiſſet admonendi, verbum nullum facis: biennio jam confecto appellas: quis tam perditus, ac profuſus nepos?* Et pro Roſc. Amer. c. 27. *Non omne facinus in omni vita naſcitur: in urbe luxuries creatur; ex luxuria exiſtat avaritia neceſſe eſt; ex avaritia erumpat audacia: inde omnia ſcelera, ac maleficia gignuntur: vita autem haec ruſtica, quam tu agreſtem vocas, parſimoniae, diligentiae, juſtitiae magiſtra eſt.* Virg. ecl 2. v. 63.

Torva leaena lupum ſequitur, lupus ipſe capellam;
Florentem cythiſum ſequitur laſciva capella

a. Coccap. de fig. verb. c. 2. n. 8. b. Idem ibi.

15. Hyperbaton eſt verborum mutatus, & perturbatus ordo, ſive *eſt verborum, ſententiarumque uſitato, & naturali ordine emota diſpoſitio* a. Itaque & verborum, & ſententiarum figura eſt. Verborum, cum verba loco moventur, ut ſunt: hac de cauſſa: eam ob rem: quibus in locis: maria omnia circum: tua in me beneficia. Sententiarum, quod *iis, qui magnopere iraſcuntur, aut metuunt, aut indignantur, aut alia affectione animi tranſverſi aguntur, accidere ſolet, ut, cum aliunde oratione inchoaverint, ab ejuſdem continuatione delabentes ad alia tranſiliant* b. Qua in re tamen judicio opus eſt, ne obſcuretur oratio non inuſitatam elegantiam quaerenti, nam *hyperbaton vitio finitimum eſt* c. Satis pulchra ſunt haec. Cic. in Piſ. c. 10. *Jam vides, quoniam ita mihimet fui inimicus, ut me tecum compararem, ut mihi illa omnia immortalem gloriam dederint; tibi ſempiternam turpitudinem inflixerint*. Priamus 2. Aen. v. 535.

At tibi pro ſcelere, exclamat, pro talibus auſis,
Dii (ſi qua eſt caelo pietas, quae talia curet)
Perſolvant grates dignas, & praemia reddant
Debita: qui nati coram me cernere lethum
Feciſti, & patrios foedaſti funere vultus.

16. Hiſterologia eſt & ipſa immutatus verborum, & ſententiarum ordo, ſed a[...] do: nempe cum orationis aliqua ſ[...] ante praecedit, quae debuit conſequi, [...]t cum

a Longin de Subl c. 22. b. id. ibi. c. Menzin. conſtr. Irreg. Ling. ital. [...]

cum res ante dicitur, quae poſtea fuit dicenda: poſtremum hoc genus iſteron proteron ex Graecis dicimus ſatis prope mollito verbo. Elegantes formae, niſi obſtent perſpicuitati. Nihil peccant iſta. Caeſ. Bel. Gall. l. 1. c. 12. *Quae pars civitatis Helvetiae inſignem calamitatem Populo Romano intulerat, ea princeps poenas perſolvit*. Liv. l. 25. c. 23. *Cum jam compoſita omnia ad proditionem eſſent, indicio delato necati omnes, & cruciati ſunt*. Virg. 2. Aen. v. 353.

Moriamur, & in media arma ruamus.

Et 6. v. 567.

Caſtigatque, auditque dolos.

Figurae ſententiarum: in iiſque animadverſa.

CAP. VIII.

1. Antitheſis exornatio eſt, quae contrariis contraria concinnat, ſeu verba ſint, ſeu res, ſive orationis concinnitates aliis reſpondentes. Delectat maxime, cum prope oblata eſt, non accerſita. Nativa & pulchra haec ſunt. Iſocrates Ariſtoteli laudatus. *Saepe accidit, ut imprudentes feliciter, prudentes vero infeliciter agant*. Caeſ. Bel. Civ. l. 1. c. 21. *Saepe in bello parvis momentis magni caſus intercedunt*. Cic. in Piſ. c. 11. *Magnum nomen eſt, magna ſpecies, magna dignitas, magna majeſtas Conſulis; non capiunt anguſtiae pectoris tui, non recipit levitas iſta, non egeſtas animi, non infirmitas ingenii ſu-*

ſtinet, non inſolentia rerum ſecundarum tantam perſonam, tam gravem, tam ſeveram. Virg. 2. Georg. v. 412. *Laudato ingentia rura, Exiguum colito*, Senec. Herc. Fur. act. 2. ſc. 1. *Proſperum, ac felix ſcelus Virtus vocatur: ſontibus parent boni.*

2. Apoſtrophe ſermonem aut extemplo ad aliquem, aut ab eo, quicum loquebatur, ad alium convertit. Pulcherrima, atque vehementiſſima figura eſt, ſi ex argumenti magnitudine oritur, ad eoſque fiat, qui rem promoveant, quae agitur. Huiuſmodi haec ſane ſunt. Cic. pro Mil. c. 31. *Vos Albani tumuli imploro, atque obteſtor; voſque Albanorum obrutae arae; veſtrae religiones viguerunt: tuque ex tuo edito monte latialis ſancte Jupiter, cujus ille lacus, nemora, fines omni nefario ſcelere macularat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuiſti; vobis ferae, ſed juſtae tamen, & debitae poenae ſolutae ſunt.* Sal Con. Cat. c. 1. *Priuſquam incipias conſulto & ubi conſulueris, mature facto opus eſt.* Virg. 3. Aen. v. 493.

Vivite felices, quibus eſt fortuna peracta
Jam ſua: nos alia ex aliis in fata vocamur.

Id. 4. Aen. v. 625.

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor,
Qui face Dardanios, ferroque ſequare Colonos
Nunc, olim, quocumque dabunt ſe in tempore vires.

Et 6. v. 845.

Quo feſſum rapitis Fabii? tu maximus ille es,
Unus qui nobis cunctando reſtitues rem.

Et

Id. 8. v. 649.

Illum indignanti ſimilem, ſimilemque minanti Aſpiceres.

3. Charientiſmus eſt cum ſingulari amoenitate, & gratia facetus ſermo. Levioribus criminibus diluendis atque objiciendis aptiſſima exornatio. Cic. pro Quinct. c. 5 *Tum iſte vir optimus [vereor, ne ſe derideri putet, quod iterum dico optimus) qui hunc in ſummas anguſtias adductum putaret; ut eum ſuis conditionibus in ipſo articulo temporis adſtringeret, aſſem ſeſe negat daturum, niſi prius de rationibus ſocietatis omnibus decidiſſet.* Id. 14 Phil. c. 7. *Gratae vero noſtrae Diis immortalibus gratulationes erunt, gratae victimae, ſi interfecta ſit Civium multitudo.* Caeſ. Bell. Gall. l. 4. c. 16. *Multis de cauſſis Caeſar ſtatuit ſibi Rhenum eſſe tranſeundum, quorum illa fuit juſtiſſima, quod, cum videret Germanos tam facile impelli, ut in Galliam venirent, ſuis quoque rebus eos timere voluit, cum intelligerent & poſſe, & audere Pop. Rom. exercitum Rhenum tranſire.*

4. Comminatio grave incommodum intentat, ut ab incepto deterreat. Vix dicas quam polleat, quam imperanti, jubenti, ac magna intentanti efficax ſit. Magnopere commendat Phalereus illud Lacedaemoniorum ad Philippum Macedoniae Regem immania ipſis imperantem: *Dionyſius Chorinti.* Si enim dixiſſent: ſuccurrat tibi Rex, *Dionyſius quondam magnus exiſtens Tyrannus Syracuſis, quemadmodum tu, tamen nunc privatus habitat Chorinti, multis verbis expoſitum, at non increpationi ſimile exſtitiſſet, ſed narrationi, & potius doceret, quam perterrefaceret* a. Legati Helvetiorum apud

a. Phaler. de rat. dic. ex interpr. Victor. pag. 9.

apud Caeſ. Bel Gal. l. 1. c. 13. *Ne committeret, ut is locus, ubi conſtitiſſent, ex calamitate pop. Rom & internecione exercitus nomen caperet, aut memoriam proderet*. Horat. Paridi minitans l. 1. od. 15. v. 13.

Nequicquam Veneris praeſidio ferox,
Pectes caeſariem: grataque feminis
Imbelli cithara carmina divides:
Nequicquam thalamo graves
Haſtas, & calami ſpicula Gnoſſii
Vitabis, ſtrepitumque, & celeris ſequi
Ajacem.

5. Communicatio audientes ipſos conſulit quid faciendum fuerit, aut ſit: ſive *eſt quaſi cum iis ipſis, apud quos dicas, deliberatio* a. Si ad rem facile non judicandā aut conſtituendam adhibetur, ſingularem habet gratiam, & vim. Talia haec ſunt. Cic lib. 9. epiſt. 26. *Miraris tam exhilaratam eſſe ſeveritatem noſtram? Quid ergo faciam? te conſulo, qui philoſophum audis? angar! excruciemne me? quid aſſequar? deinde quem ad finem? Vivas, inquis, in litteris. An quidquam me aliud agere cenſes? haud poſſem vivere, niſi in litteris viverem*. Virg. de Niſo Eurialum a bello revocare conante 9. Aen. v. 399.

Quid faciat? qua vi, juvenem, quibus audeat armis
Eripere? An ſeſe medios moriturus in hoſtes
Inferat, & pulchram properet per vulnera mortem?

6. Conceſſio minus quiddam veluti donat, ut gravius inſiſtat. Ad oblectandum etiam, acriterque augendum, ad recte autem copu- Ian-

a. Cic. 3. de orat. c. 53.

landam orationem incredili eſt adjumento. Eam indolem haec praeſeferunt. Cic. pro Lig. c. 6. *Fuerint cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces; ſceleris vero crimine, furoris, parricidii liceat Cn. Pompejo mortuo, liceat multis aliis carere.* Et pro Domo ſua c. 22. *Quid igitur ego ceſſi? aut qui timor fuit? fac me timidum eſſe natura quid illa tot virorum fortiſſimorum millia? quid illi equites Romani? Quid Senatus? quid denique omnes boni?*

7. Congeries plurima quaſi acervat, quibus ſingulis inſiſti pluribus poſſet prae rerum copia adducta. Quare multo ſane maxime urget, auget, promovet orationem. Cic. pro Dejot. c. 6. *Quis conſideratior illo? quis tectior? quis prudentior? nota tibi eſt, C. Caeſar, Dejotari probitas, noti mores, nota conſtantia. Cui probitas, integritas, gravitas, virtus, fides non eſt audita?* & in Piſ. c. 16. *Quas res geſſiſti in imperio, exercitu, provincia conſulari? Quas res geſſerit, quaero? qui ut venit ſtatim, nondum commemoro rapinas, non exactas pecunias, non captas, non imperatas: non neces ſociorum, non caedem hoſpitum, non perfidiam, non immanitatem, non ſcelera praedico, mox ſi videbitur, ut cum fure, ut cum ſacrilego, ut cum ſicario diſputabo; nunc meam ſpoliatam fortunam conferam cum florente fortuna Imperatoris.*

8. Conqueſtio alienam improbitatem incuſat, atque exprobrat. Philippus Macedo apud Liv. l. 39. c. 28. *Pro ſtudio meo erga vos utrum adjicere vos Romani aliquid, & amplificare, & augere regnum meum munificentia veſtra oportebat, an quae haberem aut me jure, aut beneficio veſtro eripere?* 9. Cor-

9. Correctio aut verbum, aut ſententiam ſuperiorem corrigit, ut acrius contendat. Aeſchin. in Cteſiph. *Reperiuntur nonnulli modeſti, ac pudentes natura, ſi quis eorum, qui decreta contra leges ſcribunt, modeſtus eſſe poteſt, qui rei turpitudinem honeſta oratione tegunt** Cic. 2. Philippica c. 7. *At etiam auſus es dicere quid autem eſt, quod tu non audeas; Clivum Capitolinum me Conſule plenum ſervorum armatorum fuiſſe.* Et c. 11. *Quis meum in iſtius ſocietate glorioſiſſimi facti nomen audivit? Cujus autem, qui in eo numero fuiſset, nomen eſt occultatum? Occultatum dico? cujus non ſtatim divulgatum?* Et c. 12. *Qui ſtillantem prae ſe pugionem tulit, ipſe a te honoris cauſa nominatur? Eſto: ſit in verbis tuis hic ſtupor; quanto in rebus ſententiiſque major?*

10. Deprecatio alienam opem ad ſui praeſidium implorat. Per eam virtutem, ex qua beneficium profecturum eſt, oportet precemur, & quae in eo excellat quem precamur. Talia haec. Cic. pro Dejot. c. 3. *Per dexteram te iſtam oro, quam Regi Dejotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti; iſtam, inquam, dexteram, non tam in bellis, & in praeliis, quam in promiſſis, & fide firmiorem.* Caeſ. Bell. Gall. l. 7. c. 77. *Nolite hoc veſtro auxilio ſpoliare, qui veſtrae ſalutis cauſſa ſuum periculum neglexerint:* Mezentius 9. Aen. v. 004.

Unum hoc per, ſi qua eſt victis venia hoſtibus, oro
Corpus humo patiare tegi.

11. Diſtributio rem in principes partes divi-

* Ex interpretatione Hieronymi Wolfii.

vidit Cic. 1. Acad. Quaeſt. c. 5. de Varrone. *Tu aetatem patriae, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum jura, tu Sacerdotum, tu domeſticam, tu bellicam diſciplinam, tu ſedem regionum, locorum, tu omnium divinarum, humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſſas aperuiſti.* Virg. 4. Georg. v. 158. de apibus.

Aliae victu invigilant, & foedere pacto
Exercentur agris: pars intra ſepta domorum
Narciſſi lacrimam, & lentum de cortice gluten
Prima favis ponunt fundamina, deinde tenaces
Suſpendunt ceras: aliae ſpem gentis adultos
Educunt foetus: aliae puriſſima mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas.
Sunt quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti:
Inque vicem ſpeculantur aquas & nubila caeli,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a praeſepibus arcent.

12. Dubitatio quid, aut quo pacto dicat ſe ambigere ſimulat. Aeſch. in Cteſiph. *Verum loquar, an potius quod vobis jucundum futurum eſt? verum loquar: nam quod ad voluptatem dicitur Civitati noſtrae mala invexit.* Scipio ad ſeditioſos milites apud Liv. lib 28. *Apud vos quemadmodum loquar, nec quo vos nomine appellare debeam, ſcio. Cives? qui a patria veſtra deſciviſtis. An milites? qui imperium, auſpiciumque abnuiſtis. Hoſpites? corpora, ora, veſtitum, habitum Civium cognoſco; facta, dicta, conſilia, animos hoſtium video.* Turnus 12. Aen. v. 637.

Nam

Nam quid ago? aut quae jam ſpondet fortuna ſalutem?
Exſcindine domos [id rebus defuit unum]
Perpetiar? dextra nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo? & Turnum fugientem haec terra videbit?
Uſque adeone mori miſerum eſt?

Et Drances 11. Aen. v. 123.

O fama ingens ingentior armis,
Vir Trojane, quibus caelo te laudibus aequem?
Juſtitiaene prius mirer, belline laborum?

13. Emphaſis ad rem exprimendam ita vehementia adhibet *verba, quae plus ſignificant quam eloquuntur* [a]. Pulcherrima, vehementiſſima, nec ad vim minus, quam ad perſpicuitatem apta eſt exornatio: ea enim, *non ut intelligatur rem efficit, ſed ut plus intelligatur* [b]. Hujusmodi haec ſunt. Cic. 2. Agr. c. 37. *Quorum cupiditatibus nimium anguſtus orbis terrarum eſſe videatur*. Id 1 Off. c. 13. de Attilio Regulo. *Ad ſupplicium redire maluit, quam fidem hoſti datam fallere*. Scythae ad Alexandrum apud Curt. lib. 7. c. 22. *Si Dii habitum corporis tui aviditati animi parem eſſe voluiſſent, orbis te non caperet: altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres, & hoc aſſecutus ſcire velles, ubi tanti Numinis fulgor conderetur. Sic quoque concupiſcis, quae non capis.*

14. Epiphonema eſt ingenioſa, & gravis ſententia multa paucis complectens; ſeu *ſumma rei narratae aut probatae*, vel certe ſtatim probandae, aut narrandae *acclamatio* [c]. Itaque ordiendis, concludendiſque argumentis locum habet praecipuum. Talia haec ſunt.

Aſch.

a. Quinctil. l. 8. c. 3. b. Id. ibi. c. Id. ibi c. 6.

Aeſch. in Timarch. *Poſſeſſiones tanti vendidit, quantum in praeſentia offerebatur, tanto impetu ad voluptates ferebatur*. * Nep. in Milt. cap. 5. *Barbarus nihil doli ſubeſſe credens, alieniſſimo ſibi loco, contra opportuniſſimo hoſtibus, adeo anguſto mari conflixit, ut ejus multitudo navium explicari non potuerit. Victus ergo eſt magis conſilio Themiſtoclis, quam armis Graeciae*. Virg. 2. Aen. v. 65. *Et crimine ab uno Diſce omnes*.

16. Ethopoeja eſt accurata morum deſcriptio: deſcribit autem non modo certi hominis, ſed regionum etiam univerſarum: ut Nep. in Chabr. c. 3. *Eſt hoc commune vitium in magnis liberiſque Civitatibus, ut invidia gloriae comes ſit; & libenter de his detrahunt quos emergere videant altius: neque animo aequo pauperes alienam opulentum intuentur fortunam*. Liv. l. 21. c. 3. de Annibale. *Plurimum audaciae ad pericula capeſſenda, plurimum conſilii inter ipſa pericula erat: nullo labore aut corpus fatigari, ant animus vinci poterat: caloris ac frigoris patientia par: cibi potioniſque deſiderio naturali, non voluptate modus finitus: vigiliarum, ſomnique nec die, nec nocte diſcriminata tempora: id, quod gerendis rebus ſupereſſet, quieti datum; ea neque molli ſtrato, neque ſilentio accerſita: veſtitus nihil inter aequales excellens: equitum peditumque primus erat. Princeps praelium inibat, ultimus confecto praelio excedebat. Has tantas virtutes ingentia vitia aequabant: inhumana crudelitas perfidia pluſquam Punica: nihil ſancti, nullus Deum metus, nullum jusjurandum, nulla religio*.

27. Ex-

* Ex interpr. Hieron. Wolf.

16. Exclamatio ad animi permotionem, aut rei magnitudinem ſignificandam exclamat. Si itaque argumenti, atque affectioni smagnitudo eam flagitant, miram habet vim. Cic. 2. Catil. c. 5. *Si ſui fuerint comites ſecuti, ſi ex urbe exierint deſperatorum hominum flagitioſi greges, o nos beatos, o Rempublicam fortunatam, o praeclaram laudem Conſulatus mei!* Et pro Lig. c. 2. *O clementiam admirabilem, atque omni laude, praedicatione, litteris, monumentiſque decorandam! Marcus Cicero apud te defendit alium in ea voluntate non fuiſſe, in qua ſeipſum confitetur fuiſſe.* Catull. ep. 44.

O ſaeclum inſipiens & infacetum!

Tibull. l. 1. eleg. 4. v. 24.

Quam cito non ſegnis it remeatque dies!

Propert. l. 1. eleg. 15. v. 42.

O nullis tutum credere blanditiis!

Horat. l. 3. od. 5. v. 37.

Hic unde vitam ſumeret inſcius
Pacem duello miſcuit. O pudor,
O magna Carthago probroſis
Altior Italiae ruinis!

17 Execratio rem, aut hominem ex eorum turpitudine, aut improbitate deteſtatur. Virg. 11. Aen. v. 215.

Hic Matres, miſeraeque nurus, hic cara ſororum
Pectora maerentum, puerique Parentibus orbi
Dirum execrantur bellum, Turnique hymeneos:
Ipſum armis, ipſumque jubent decernere ferro,
Qui regnum Italiae, & primos ſibi poſcat honores.

Horat. l. 3. od. 2. v. 26.

Vetabo qui Cereris ſacrum

Vul-

Vulgarit arcanae ſub iiſdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat faſelum, ſaepe Dieſpiter
Neglectus inceſtum addidit integro.

18. Explicatio aut obſcurius dictum explanat, aut continuo dicti rationem affert: ideoque perſpicuitati, juxtaque amplitudini juvat. Iſocr. Dem. *Quae ſcis cuſtodi meditatione, quae non didiciſti aſſume ſcientia: pariter enim turpe eſt utilem ſermonem non diſcere, & datum bonum ab amicis non accipere.* Nep. in Milt. c. 5. *Qua pugna* Marathonia *nihil adhuc eſt nobilius; nulla enim umquam tam exigua manus tantas opes proſtravit.*

19. Extenuatio, ſeu litote minus ſignificanti verbo utitur, quam neceſſe eſt: ut, non humilis, non indecorus, pro valde decoro, gurges pro ingenti mare. Non vulgarem elegantiam ſaepe continet, ſi ſatis decenter extenuat. Horat. l. 2. od. 1. v. 21.

Audire magnos jam videor duces
Non indecoro pulvere ſordidos.

Virg. 2. Aen. v. 777.

Non haec ſine Numine Divum Eveniunt.

20. Hypotypoſis eſt rei ob oculos poſitio: *ſeu rerum, quae geruntur ſub, aſpectum quaſi ſubjectio* 1. Quare ad perſpicuitatem, ad gratiam, ad pulchritudinem plane excellit. Cic. 2. Verr. c. 16. *Nunc homines in ſpeculis ſunt, obſervant quemadmodum ſe unuſquiſque veſtrum gerat in retinenda religione, conſervandiſque legibus; vident, adhuc poſt legem tribunitiam unum Senatorem vel tenuiſſimum eſſe damnatum; quod tametſi non reprehendunt, tamen magnopere, quod laudent, non habent: nulla*

1. Cic. 3. de Orat. c. 53.

nulla eſt enim laus , ibi eſſe integrum , ubi nemo eſt , qui aut poſſit , ut conetur corrumpere ; hoc eſt judicium , in quo vos de reo , Populus Romanus de vobis judicabit : in hoc homine ſtatuetur , poſſitne , Senatoribus judicantibus homo nocentiſſimus , pecunioſiſſimuſque damnari . Sall. Con. Cat. c 64. *Confecto praelio tum cerneres quanta audacia fuiſſet . Quem quiſque vivus pugnando locum ceperat , eum amiſſa anima corpore tegebat . Omnes adverſis vulneribus conciderant . Catilina longe a ſuis inter hoſtium cadavera repertus eſt , paullulum adhuc ſpirans , ferociamque animi , quam habuerat vivus , in vultu retinens . Neque in praelio , neque in fuga quiſquam Civis ingenuus captus eſt . Ita varie per omnem exercitum laetitia , maeror , luctus , gaudia agitabantur .*

22. Imprecatio malum alicui precatur ex ejus ſcelere adducta . Non niſi tamen in perditos , & comploratos homines ad reliquorum emendationem adhibenda eſt . Cic. pro Dejot. c 7. *Dii te perdant fugitive : ita non modo nequam & improbus , ſed & fatuus, & amens es .*

Catull. epigr. 3. v. 12.

At vobis male ſit malae tenebrae
Orci , quae omnia bella devoratis :
O factum male , o malae tenebrae .

23. Incrementum exornando augendoque orationem evehit . Itaque evidentiae & granditati orationis maxime idonea eſt exornatio . Cic. 1. Catil c 3. *Nihil agis , nihil moliris , nihil cogitas , quod ego non modo audiam , ſed etiam videam , planeque ſentiam .* Virg. 3. Aen. v. 1.

Po-

Poſtquam res Aſiae, Priamique evertere gentem
Immeritam viſum Superis, ceciditque ſuperbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troja.

14. Interpretatio aut alienum dictum, aut factum fere irridens exponit. Cic. 2. Phil. c. 1. *ultro maledictis me laceſſiſti, tuamque a me alienationem commendationem tibi ad impios cives fore putaviſti? Quid putem? illud profecto eſt: non exiſtimavit ſuis ſimilibus probari poſſe, niſi mihi eſſet inimicus?* & cap. 28. *Quam crebro uſurpat & Conſul, & Antonius? hoc eſt dicere, & Conſul, & impudiciſſimus; & Conſul, & homo nequiſſimus: quid enim aliud eſt Antonius?*

25. Interrogatio interdum ut intelligat, plerumque ut urgeat percontatur. Mirum vero eſt quantum orationem evehat, & quantam gratiam conciliet. Percontantur illa: *Itane vero? Itane tandem? Salvae res ſunt? Quid novi? Quidni? Quid vero? Quid iſtuc? Itane imperaſti? Quid agitur? Quid factum eſt? Quid fiet? Rogas? Noſtin? Scis quid ego te volebam? Ain tu in me?* Urgent vero iſta. Cic. 2. Verr. c. 9 *An me taciturum tantis de rebus exiſtimaviſtis? & in tanto Reipublicae, exiſtimationiſque meae periculo cuiquam conſulturum potius, quam officio, & dignitati meae?* Id. ibi c. 4 *Quod eſt ingenium tantum, quae tanta facultas dicendi, & copia, quae iſtius vitam tot vitiis flagitiiſque convictam, jam pridem omnium voluntate judicioque damnatam, aliqua ex parte poſſit defendere?* Et 4. Tuſcul. c. 17. *Quid enim videatur ei magnum in rebus humanis, cui ae-*

ternitas omnis, totiuſque mundi nota ſit magnitudo? Curt. l. 3. c 22. *Quis aut in victorias, aut in fuga copias numerat?* Virg. 2. Aen. v. 361.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut poſſit lacrimis aequare laborem?

26. Licentia eſt acris orationis libertas, qua plerumque inviſa, & odioſa, aut certe maxima, & neglecta proponimus, & contendimus. Cic. 10. Phil *Poſtremo, erumpat enim aliquando vera, & me digna vox: ſi ad eorum voluntatem dicta, factaque noſtra referantur, optanda mors eſt.* Ovid.

Turpe quidem dictu; ſed, ſi modo vera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.

27. Occupatio, quod objici potuit praevenit, ac refutat. Cic. pro Dejot. c. 9. *Omnes ſunt in illo regiae virtutes, ſed praecipue frugalitas Etſi hoc verbo ſcio laudari Reges non ſolere. Fortem, juſtum, ſeverum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem: hae ſunt regiae laudes: ego tamen frugalitatem, id eſt modeſtiam, & temperantiam virtutem eſſe maximam judico.* Hor. l. 3. od. 2. v. 13.

Dulce, & decorum eſt pro patria mori:
Mors & fugacem perſequitur virum;
Nec parcit imbellis juventae
Poplitibus, timidoque tergo.

28. Optatio bonum alicui ex animi ſui, aut ex accepti beneficii magnitudine ominatur. Cic. pro Lege Manil c. 10. *Utinam, Quirites, virorum fortium, atque innocentium copiam tantam haberetis, ut haec vobis delibera-*

tio difficilis eſſet, quemnam potiſſimum tanto bello praeficiendum putaretis. Lucan. Pharſal. lib. 2. v. 45.

Quid non in punica nati
Tempora Cannarum fuimus, Trebiaeque juventus?
Non petimus pacem Superi: date gentibus iras.
Nunc urbes excite feras: conjuret in armis
Mundus: Achaemeniis decurrant Medica Suſis
Agmina: Maſſagetas ſcythicus non alliget Iſter.
Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis, & indomitum Rheni caput: omnibus hoſtes
Reddite nos populis: civile avertite bellum.

Horat. Carm. ſaec. v. 44.

Dii probos mores docili juventae,
Dii ſenectuti placidae quietem
Romulae genti date, remque, prolemque,
Et decus omne.

29. Praeteritio ſe omittere ſimulat quod tum maxime dicit. Congerendis rebus, inviſis turpibuſque exagerandis, dum diſſimulantur, aptiſſima eſt. Hujuſmodi haec ſunt. Cic. pro Lege Manil. c. 20. *Non dico hoc loco, Majores noſtros ſemper in pace conſuetudini, in bello utilitati paruiſſe, ſemper ad novos caſus temporum novorum conſiliorum rationes accommodaſſe.* Id. 2. Phil. c. 19. *Sed jam ſtupra, & flagitia omittamus: ſunt quaedam, quae honeſte non poſſum dicere; tu autem eo liberior, quod ea in te admiſiſti, quae a verecundo inimico audire non poſſes.* Et 3. Verr.

ME. *Nullo premetur onere, qui caelum tulit.*
LY. *Cogere.* ME. *Cogi qui poteſt, neſcit mori.*
LY. *Effare, thalamis quod novis potius parem*
Regale munus? ME. *Aut tuam mortem, aut meam.*
LY. *Moriere demens.* ME. *Conjugi occurram meo.*
LY. *Sceptroque noſtro potius eſt famulus tibi?*
ME. *Quot iſte famulus tradidit Reges neci?*
LY. *Cur ergo Regi ſervit, & patitur jugum?*
ME. *Imperia dura tolle, quid virtus erit?*
LY. *Objici feris, monſtriſque virtutem putas?*
ME. *Virtutis eſt domare quae cuncti pavent.*

34. Subjectio ſaepius interrogans ad interrogata acute reſpondet. Perpulchra eſt, ſed magnae rei innitatur, nec ſit admodum frequens, ut quae induſtriam, & ingenium non occultat. Demoſt. pro Cteſiph. *Quis fuit qui Bizantiis opem tulit? qui ſaluti fuit? Vos, Athenienſes. Quis erat qui Civitati hoc ſuadebat? qui decernebat? qui agebat? qui ſe ipſum nullius periculi metu deterritus, non pecuniae, non vitae ſuae parcens rebus omnibus offerebat? Ego* *. Cic pro Roſc. Com. *Roſcio tanti fuit, ut ſocium fraudaret? Egebat? immo locuples erat. Debebat? immo in ſuis nummis verſabatur. Avarus erat? Immo etiam antequam locuples, ſemper liberaliſſimus, munificentiſſimuſque fuit.*

35. Suſtentatio ſuſpenſum aliquandiu tenet audientem, ut aliquid deinde praeter ejus opi-

* Ex interpretatione Lambiui.

opinionem afferat. Itaque primum aut minora offert, aut quae praeſto fere cuique ſint, demum magna illa, & inopinata. Si enim ſit in re parva, aut facile cogitata vix ad jocum valeat. Pulchra haec Cic. 7. Verr. *Iſte nihil umquam fecerit ſine aliquo quaeſtu atque praeda. Quid in ejuſmodi re fieri potuit? quod commodum eſt? expectate facinus quod vultis improbum, vincam tamen expectationem omnium. Nomine ſceleris conjurationiſque damnati, ad ſupplicium traducti, ad palum alligati, repente multis millibus hominum inſpectantibus ſoluti ſunt, & Leonidae illi Domino reddit* *. Sen. epiſt. 9. *Ego tibi monſtrabo amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine illius venefici carmine: ſi vis amari ama.*

36. Tranſitio ex uno ad aliud progrediens utrumque recte copulat: quare aut figuram, aut orationis nexum dicamus, certe Scriptoris ingenium, & ſcripta egregie commendat. Praeter illas accommodatas & faciles: *quid vero? quid multa? at enim: at vero: nec minus: jam vero; praeterea: huc accedit: adde his: huc pertinet: ſed ea omittamus; majora illa ſunt: quorſum vero haec? multa conſulto praetereo: ſequitur illud: reliquum eſt: age vero: perge porro*: germanae ſatiſque ingenioſae hae ſunt, quae aliquid ſuperioris argumenti repetunt, atque indicant futurum, ut Cic. pro Cluentio. *Atque haec parva ſunt; cognoſcite reliqua, ut non aliquando condemnatum eſſe Oppianicum, ſed aliquaudiu incolumem fuiſſe miremini. Sed quid ego haec pluribus quaſi de re obſcura diſputo?* Id. 2. Agr. *Cognoſcite nunc quae*

* Illorum hominum pecunia ex ſupplicio ereptorum quaſi Dominus, ut qui in ſervum aliquem emerit.

Nam quid ago? aut quae jam ſpondet fortuna ſalutem?
Exſcindine domos [id rebus defuit unum]
Perpetiar? dextra nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo? & Turnum fugientem haec terra videbit?
Uſque adeone mori miſerum eſt?

Et Drances 11. Aen. v. 123.

O fama ingens ingentior armis,
Vir Trojane, quibus caelo te laudibus aequem?
Juſtitiaene prius mirer, belline laborum?

13. Emphaſis ad rem exprimendam ita vehementia adhibet *verba, quae plus ſignificant quam eloquuntur* [a]. Pulcherrima, vehementiſſima, nec ad vim minus, quam ad perſpicuitatem apta eſt exornatio: ea enim, *non ut intelligatur rem efficit, ſed ut plus intelligatur* [b]. Hujusmodi haec ſunt. Cic. 2. Agr. c. 37. *Quorum cupiditatibus nimium anguſtus orbis terrarum eſſe videatur*. Id 1 Off. c. 13. de Attilio Regulo. *Ad ſupplicium redire maluit, quam fidem hoſti datam fallere*. Scythae ad Alexandru apud Curt. lib. 7. c. 21. *Si Dii habitum corporis tui aviditati animi parem eſſe voluiſſent, orbis te non caperet; altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres, & hoc aſſecutus ſcire velles, ubi tanti Numinis fulgor conderetur. Sic quoque concupiſcis, quae non capis.*

14. Epiphonema eſt ingenioſa, & gravis ſententia multa paucis cumplectens; ſeu *ſumma rei narratae aut probatae*, vel certe ſtatim probandae, aut narrandae *acclamatio* [c]. Itaque ordiendis, concludendiſque argumentis locum habet praecipuum. Talia haec ſunt.

Aſch-

a. Quinctil. l. 8. c. 3. b. Id. ibi. c. Id. ibi c. 6.

Aeſch. in Timarch. *Poſſeſſiones tanti vendidit, quantum in praeſentia offerebatur, tanto impetu ad voluptates ferebatur*. * Nep. in Milt. cap. 5. *Barbarus nihil doli ſubeſſe credens, alieniſſimo ſibi loco, contra opportuniſſimo hoſtibus, adeo anguſto mari conflixit, ut ejus multitudo navium explicari non potuerit. Victus ergo eſt magis conſilio Themiſtoclis, quam armis Graeciae*. Virg. 2. Aen. v. 65. *Et crimine ab uno Diſce omnes*.

16. Ethopoeja eſt accurata morum deſcriptio: deſcribit autem non modo certi hominis, ſed regionum etiam univerſarum: ut Nep. in Chabr. c. 3. *Eſt hoc commune vitium in magnis liberiſque Civitatibus, ut invidia gloriae comes ſit; & libenter de his detrahunt quos emergere videant altius: neque animo aequo pauperes alienam opulentum intuentur fortunam*. Liv. l. 21. c. 3. de Annibale. *Plurimum audaciae ad pericula capeſſenda, plurimum conſilii inter ipſa pericula erat: nullo labore aut corpus fatigari, ant animus vinci poterat; caloris ac frigoris patientia par: cibi potionisque deſiderio naturali, non voluptate modus finitus: vigiliarum, ſomnique nec die, nec nocte diſcriminata tempora: id, quod gerendis rebus ſupereſſet, quieti datum; ea neque molli ſtrato, neque ſilentio acceſſita: veſtitus nihil inter aequales excellens: equitum peditumque primus erat. Princeps praelium inibat, ultimus confecto praelio excedebat. Has tantas virtutes ingentia vitia aequabant: inhumana crudelitas perfidia pluſquam Punica: nihil ſancti, nullus Deum metus, nullum jusjurandum, nulla religio*.

17. Ex-

* Ex interpr. Hieron. Wolf.

16. Exclamatio ad animi permotionem, aut rei magnitudinem ſignificandam exclamat. Si itaque argumenti, atque affectioni smagnitudo eam flagitant, miram habet vim. Cic. 2. Catil. c. 5. *Si ſui fuerint comites ſecuti, ſi ex urbe exierint deſperatorum hominum flagitioſi greges, o nos beatos, o Rempublicam fortunatam, o praeclaram laudem Conſulatus mei!* Et pro Lig. c. 2. *O clementiam admirabilem, atque omni laude, praedicatione, litteris, monumentiſque decorandam! Marcus Cicero apud te defendit alium in ea voluntate non fuiſſe, in qua ſeipſum confitetur fuiſſe.* Catull. ep. 44.

O ſaeclum inſipiens & infacetum!

Tibull. l. 1. eleg. 4. v. 24.

Quam cito non ſegnis it remeatque dies!

Propert. l. 1. eleg. 15. v. 42.

O nullis tutum credere blanditiis!

Horat. l. 3. od. 5. v. 37.

Hic unde vitam ſumeret inſcius
Pacem duello miſcuit. O pudor,
O magna Carthago probroſis
Altior Italiae ruinis!

17 Execratio rem, aut hominem ex eorum turpitudine, aut improbitate deteſtatur. Virg. 11. Aen. v. 215.

Hic Matres, miſeraeque nurus, hic cara ſororum
Pectora maerentum, puerique Parentibus orbi
Dirum execrantur bellum, Turnique hymeneos:
Ipſum armis, ipſumque jubent decernere ferro,
Qui regnum Italiae, & primos ſibi poſcat honores.

Horat. l 3. od. 2. v. 26.

Vetabo qui Cereris ſacrum

Vul-

Vulgarit arcanae ſub iiſdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat faſelum, ſaepe Dieſpiter
Neglectus inceſtum addidit integro.

18. Explicatio aut obſcurius dictum explanat, aut continuo dicti rationem affert: ideoque perſpicuitati, juxtaque amplitudini juvat. Iſocr. Dem. *Quae ſcis cuſtodi meditatione, quae non didiciſti aſſume ſcientia: pariter enim turpe eſt utilem ſermonem non diſcere, & datum bonum ab amicis non accipere.* Nep. in Milt. c. 5. *Qua pugna* Marathonia *nihil adhuc eſt nobilius; nulla enim umquam tam exigua manus tantas opes proſtravit.*

19. Extenuatio, ſeu litote minus ſignificanti verbo utitur, quam neceſſe eſt: ut, non humilis, non indecorus, pro valde decoro, gurges pro ingenti mare. Non vulgarem elegantiam ſaepe continet, ſi ſatis decenter extenuat. Horat. l. 2. od. 1. v. 21.

Audire magnos jam videor duces
Non indecoro pulvere ſordidos.

Virg. 2. Aen. v. 777.

Non haec ſine Numine Divum Eveniunt.

20. Hypotypoſis eſt rei ob oculos poſitio: *ſeu rerum, quae gerantur ſub, aſpectum quaſi ſubjectio*[1]. Quare ad perſpicuitatem, ad gratiam, ad pulchritudinem plane excellit. Cic. 2. Verr. c. 16. *Nune homines in ſpeculis ſunt, obſervant quemadmodum ſe unuſquiſque veſtrum gerat in retinenda religione, conſervandiſque legibus; vident, adhuc poſt legem tribunitiam unum Senatorem vel tenuiſſimum eſſe damnatum; quod tametſi non reprehendunt, tamen magnopere, quod laudent, non habent:* nulla

1. Cic. 3. de Orat. c. 53.

nulla eſt enim laus, ibi eſſe integrum, ubi nemo eſt, qui aut poſſit, ut conetur corrumpere; hoc eſt judicium, in quo vos de reo, Populus Romanus de vobis judicabit: in hoc homine ſtatuetur, poſſitne, Senatoribus judicantibus homo nocentiſſimus, pecunioſiſſimuſque damnari. Sall. Con. Cat. c 64. *Confecto praelio tum cerneres quanta audacia fuiſſet. Quem quiſque vivus pugnando locum ceperat, eum amiſſa anima corpore tegebat. Omnes adverſis vulneribus conciderant. Catilina longe a ſuis inter hoſtium cadavera repertus eſt, paullulum adhuc ſpirans, ferociamque animi, quam habuerat vivus, in vultu retinens. Neque in praelio, neque in fuga quiſquam Civis ingenuus captus eſt. Ita varie per omnem exercitum laetitia, maeror, luctus, gaudia agitabantur.*

22. Imprecatio malum alicui precatur ex ejus ſcelere adducta. Non niſi tamen in perditos, & comploratos homines ad reliquorum emendationem adhibenda eſt. Cic. pro Dejot. c 7. *Dii te perdant fugitive: ita non modo nequam & improbus, ſed & fatuus, & amens es.*

Catull. epigr. 3. v. 12.

At vobis male ſit malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis:
O factum male, o malae tenebrae.

23. Incrementum exornando augendoque orationem evehit. Itaque evidentiae & granditati orationis maxime idonea eſt exornatio. Cic. 1. Catil c 3. *Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo audiam, ſed etiam videam, planeque ſentiam.* Virg. 3. Aen. v. 1.

Po-

Poſtquam res Aſiae, Priamique evertere gentem
Immeritam viſum Superis, ceciditque ſuperbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troja.

14. Interpretatio aut alienum dictum, aut factum fere irridens exponit. Cic. 2. Phil. c. 1. *ultro maledictis me la eſſiſti, tuamque a me alienationem commendationem tibi ad impios cives fore putaviſti? Quid putem? illud profecto eſt: non exiſtimavit ſuis ſimilibus probari poſſe, niſi mihi eſſet inimicus? &* cap. 28. *Quam crebro uſurpat & Conſul, & Antonius? hoc eſt dicere, & Conſul, & impudiciſſimus; & Conſul, & homo nequiſſimus: quid enim aliud eſt Antonius?*

15. Interrogatio interdum ut intelligat, plerumque ut urgeat percontatur. Mirum vero eſt quantum orationem evehat, & quantam gratiam conciliet. Percontantur illa: *Itane vero? Itane tandem? Salvae res ſunt? Quid novi? Quidni? Quid vero? Quid iſtuc? Itane imperaſti? Quid agitur? Quid factum eſt? Quid fiet? Rogas? Noſtin? Scis quid ego te volebam? An tu in me?* Urgent vero iſta. Cic. 2. Verr. c. 9 *An me taciturum tantis de rebus exiſtimaviſtis? & in tanto Reipublicae, exiſtimationiſque meae periculo cuiquam conſulturum potius, quam officio, & dignitati meae?* Id. ibi c. 4. *Quod eſt ingenium tantum, quae tanta facultas dicendi, & copia, quae iſtius vitam tot vitiis flagitiiſque convictam, jam pridem omnium voluntate judicioque damnatam, aliqua ex parte poſſit defendere?* Et 4. Tuſcul. c. 17. *Quid enim videatur ei magnum in rebus humanis, cui ae-*

ternitas omnis, totiuſque mundi nota ſit magnitudo? Curt. l. 3. c 22. *Quis aut in victorias, aut in fuga copias numerat?* Virg. 2. Aen. v. 361.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut poſſit lacrimis aequare laborem?

26. Licentia eſt acris orationis libertas, qua plerumque inviſa, & odioſa, aut certe maxima, & neglecta proponimus, & contendimus. Cic. 10. Phil *Poſtremo, erumpat enim aliquando vera, & me digna vox: ſi ad eorum voluntatem dicta, factaque noſtra referantur, optanda mors eſt.* Ovid.

Turpe quidem dictu; ſed, ſi modo vera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.

27. Occupatio, quod objici potuit praevenit, ac refutat. Cic. pro Dejot. c. 9. *Omnes ſunt in illo regiae virtutes, ſed praecipue frugalitas Etſi hoc verbo ſcio laudari Reges non ſolere. Fortem, juſtum, ſeverum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem: hae ſunt regiae laudes: ego tamen frugalitatem, ideſt modeſtiam, & temperantiam virtutem eſſe maximam judico.* Hor. l. 3. od. 2. v. 13.

Dulce, & decorum eſt pro patria mori;
Mors & fugacem perſequitur virum;
Nec parcit imbellis juventae
Poplitibus, timidoque tergo.

28. Optatio bonum alicui ex animi ſui, aut ex accepti beneficii magnitudine ominatur. Cic. pro Lege Manil c. 10. *Utinam, Quirites, virorum fortium, atque innocentium copiam tantam haberetis, ut haec vobis delibera-*

tio difficilis eſſet, quemnam potiſſimum tanto bello praeficiendum putaretis. Lucan. Pharſal. lib. 2. v. 45.

Quid non in punica nati
Tempora Cannarum fuimus, Trebiaeque juventus?
Non petimus pacem Superi: date gentibus iras.
Nunc urbes excite feras: conjuret in armis
Mundus: Achaemeniis decurrant Medica Suſis
Agmina: Maſſagetas ſcythicus non alliget Iſter.
Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis, & indomitum Rheni caput: omnibus hoſtes
Reddite nos populis: civile avertite bellum.

Horat. Carm. ſaec. v. 44.

Dii probos mores docili juventae,
Dii ſenectuti placidae quietem
Romulae genti date, remque, prolemque,
Et decus omne.

29. Praeteritio ſe omittere ſimulat quod tum maxime dicit. Congerendis rebus, invi-ſis turpibuſque exagerandis, dum diſſimulantur, aptiſſima eſt. Hujuſmodi haec ſunt. Cic. pro Lege Manil. c. 20. *Non dico hoc loco, Majores noſtros ſemper in pace conſuetudini, in bello utilitati paruiſſe, ſemper ad novos caſus temporum novorum conſiliorum rationes accommodaſſe.* Id. 2. Phil. c. 19. *Sed jam ſtupra, & flagitia omittamus: ſunt quaedam, quae honeſte non poſſum dicere; tu autem eo liberior, quod ea in te admiſiſti, quae a verecundo inimico audire non poſſes.* Et 3. Verr.

c. 11. *Itaque primum illum actum iſtius vitae turpiſſimum, & flagitioſiſſimum praetermittam: nihil a me de pueritiae ſuae flagitiis peccatiſque audiet; nihil ex illa impura adoleſcentia ſua, quae qualis fuerit aut meminiſtis, aut ex eo, quem ſui ſimillimum produxi. cognoſcere poteſtis: omnia praeteribo, quae mihi turpia dictu videbuntur; neque ſolum quid iſtum audire, verum etiam quid me deceat dicere conſiderabo.* Virg. 8. Aen. v 483.

Quid memorem infandas caedes? quid facta Tyranni.
Effera? Dii capiti ipſius, generique reſervent.
Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus, atque oribus ora
Complexu in miſero longa ſic morte necabat.

30. Proſopopoeja alios loquentes inducit. Cum rei magnitudo in eam Oratorem impellit, iſque perſonarum plane indolem exprimit, vehementiſſima figura eſt, & pulcherrima. Hujuſmodi ſane ſunt Tulliana 1. Catil. c. 11. qua patriam loquentem: *Marce Tulli quid agis? Tu ne eum &c* Horatiana l. 3. od. 3. v. 18. qua Junonem inducit: *Ilion, Ilion Fatalis, inceſtuſque Judex &c.* eorum, aliorum alibi aliae.

31. Reticentia inchoatum ſermonem intercipit. Minitanti, irato, ſeverius jubenti ſaepe accommodata; ſaepius tamen artem praeſefert, atque adeo inanis. Pulchra haec Horat. l. 1. od. 15. v. 31. in Paridem:

Sublimi fugies me l e anhelitu
Non hoc pollicitus tuae.

Et

Et celebrata Aeoli 1. Aen. v. 139.

Quos ego: ſed motos praeſtat componere fluctus.

32. Sarcaſmus eſt acerba & hoſtilis irriſio, qua hoſtes, aut graves inimici in mulctatos, aut graviter agitatos hoſtes uti ſolent, ut Demoſt. pro Cteſiph. in Aeſchinem. *Quid infelix calumniaris? quid verba fingis? Cur te ipſum verabro non purgas?* Cic. 2. Agr. c. 8. in Rullum. *Si populo conſulis, remove te a ſuſpicione alicujus tui commodi: fac fidem te nihil niſi populi utilitatem, & fructum quaerere: ſine ad alios poteſtatem, ad te gratiam beneficii tui pervenire.* Id. 2. Phil. c. 18. *Vis ne igitur te inſpiciamus a puero? ſic opinor: a principio ordiamur. Teneſne memoria praetextatum te decoxiſſe?* Turnus dejecto ad terram Doloni 12. Aen. v. 359.

En agros, & quam bello Trojane petiſti,
Heſperiam metire jacens: haec praemia qui me
Ferro auſi tentare ferunt; ſic moenia condunt.

33. Sermocinatio eſt mutua plurium collocutio. Haec quoque perpulchra figura eſt, ſi perſonarum indolem exprimat, & decorum tueatur. Rei in eclogis, in comoediis, in tragoediis, in aliis ſcriptionibus ubique occurrentis ſint in ſpecimen haec Megarae uxoris Herculis ac Lyci Tyranni apud Senecam Herc. Fur. act. 2. ſc. 3.

ME. *Gravent catenae corpus, & longa fame*
Mors protrahatur lenta, non vincet fidem
Vis ulla noſtram: moriar Alcide tua.
LY. *Animoſne merſus inferis conjux facit?*
ME. *Inferna tetigit, poſſet ut ſupera aſſequi.*
LY. *Telluris illum pondus immenſae premit.*

ME. *Nullo premetur onere, qui caelum tulit.*
LY. *Cogere.* ME. *Cogi qui poteſt, neſcit mori.*
LY. *Effare, thalamis quod novis potius parem*
Regale munus? ME. *Aut tuam mortem, aut meam.*
LY. *Moriere demens.* ME. *Conjugi occurram meo.*
LY. *Sceptroque noſtro potius eſt famulus tibi?*
ME. *Quot iſte famulus tradidit Reges neci?*
LY. *Cur ergo Regi ſervit, & patitur jugum?*
ME. *Imperia dura tolle, quid virtus erit?*
LY. *Objici feris, monſtriſque virtutem putas?*
ME. *Virtutis eſt domare quae cuncti pavent.*

34. Subjectio ſaepius interrogans ad interrogata acute reſpondet. Perpulchra eſt, ſed magnae rei innitatur, nec ſit admodum frequens, ut quae induſtriam, & ingenium non occultat. Demoſt. pro Cteſiph. *Quis fuit qui Bizantiis opem tulit? qui ſaluti fuit? Vos, Athenienſes. Quis erat qui Civitati hoc ſuadebat? qui decernebat? qui agebat? qui ſe ipſum nullius periculi metu deterritus, non pecuniae, non vitae ſuae parcens rebus omnibus offerebat? Ego**. Cic pro Roſc. Com. *Roſcio tanti fuit, ut ſocium fraudaret? Egebat? immo locuples erat. Debebat? immo in ſuis nummis verſabatur. Avarus erat? Immo etiam antequam locuples, ſemper liberaliſſimus, munificentiſſimuſque fuit.*

35. Suſtentatio ſuſpenſum aliquandiu tenet audientem, ut aliquid deinde praeter ejus opi.

* Ex interptetatione Lambiui.

opinionem afferat. Itaque primum aut minora offert, aut quae praeſto fere cuique ſint, demum magna illa, & inopinata. Si enim ſit in re parva, aut facile cogitata vix ad jocum valeat. Pulchra haec Cic. 7. Verr. *Iſte nihil umquam fecerit ſine aliquo quaeſtu atque praeda. Quid in ejuſmodi re fieri potuit? quod commodum eſt? expectate facinus quod vultis improbum, vincam tamen expectationem omnium. Nomine ſceleris conjurationiſque damnati, ad ſupplicium traducti, ad palum alligati, repente multis millibus hominum inſpectantibus ſoluti ſunt, & Leonidae illi Domino reddit* *. Sen. epiſt. 9. *Ego tibi monſtrabo amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine illius venefici carmine: ſi vis amari ama.*

36. Tranſitio ex uno ad aliud progrediens utrumque recte copulat: quare aut figuram, aut orationis nexum dicamus, certe Scriptoris ingenium, & ſcripta egregie commendat. Praeter illas accommodatas & faciles: *quid vero? quid multa? at enim: at vero: nec minus: jam vero; praeterea: huc accedit: adde his: huc pertinet: ſed ea omittamus; majora illa ſunt: quorſum vero haec? multa conſulto praetereo: ſequitur illud: reliquum eſt: age vero: perge porro*: germanae ſatiſque ingenioſae hae ſunt, quae aliquid ſuperioris argumenti repetunt, atque indicant futurum, ut Cic. pro Cluentio. *Atque haec parva ſunt; cognoſcite reliqua, ut non aliquando condemnatum eſſe Oppianicum, ſed aliquandiu incolumem fuiſſe miremini. Sed quid ego haec pluribus quaſi de re obſcura diſputo?* Id. 2. Agr. *Cognoſcite nunc quae*

* Illorum hominum pecunia ex ſupplicio ereptorum quaſi Dominus, ut qui in ſervum aliquem emerit.

quae poteſtas Decemviris, & quanta detur. Verum hoc aut ridiculum, aut malitioſum relinquamus, ad religionem hominis revertamur. Habetis quod magnum videri vobis intelligo, ſed attendite animos ad ea, quae conſequuntur. Et pro Milone. *Sed ſtulti ſumus qui Africanum, Pompejum, noſmetipſos cum Clodio conferre audeamus, tolerabilia fuerunt illa. Haec ſicut expoſui, ita geſta ſunt. Videte, Judices, quantae res his teſtimoniis confectae ſunt. Quod ſi nondum ſatis cernitis, recordamini quae fuerit celeritas reditus ejus.* Nepos in Themiſt. *Magnus hoc bello Themiſtocles fuit, nec minor in pace. Hic tamen non effugit Civium ſuorum invidiam.* In Milt. *Neque minus in ea re prudentia, quam felicitate adjutus.* In Ariſtide. *Neque aliud eſt ullum hujus in re militari illuſtre factum, juſtitiae vero, & integritatis, & innocentiae multa.* In Alcib. *Haec Alcibiadi laetitia minus fuit diuturna; nam cum ei eſſent omnes honores decreti, & tota reſp. domi bellique tradita, in invidiam recidit. Neque vero his rebus tam amici Alcibiadi ſunt facti, quam timore ab eo alienati.*

RHE-

RHETORICARUM INSTITUTIONUM

LIBER NONUS,

Quo varia Orationum, & Carminum genera, eorumque leges attinguntur.

Age, experiamur aliquid dicere de Orationibus, quo melius faciliuſque a nobis haberi poſſint.
Dionyſ. Halicarn.
Rhet. c. 5.

**

Cauſſarum genera: quid ſingula ſibi inſtituant; & quae Orationes ad ſingula referantur.

CAPUT I.

1. TRia *ſunt genera cauſſarum, quae recipere debet*, & in quibus verſari poteſt *Orator*, *demonſtrativum*, *deliberativum*, *& judiciale* a. Auditorum genus ea ita diſtinguit: quamquam enim *ex tribus rebus oratio conſtat*, *ex eo qui dicit*, *ex materia de qua dicitur*, *ex eo*

a. Auct. ad Her. lib. 1. c. 2.

eo apud quem verba fiunt, *tamen cujulibet orationis finis ad auditorem refertur* [a]. Itaque ſi hominum, locorum, rerum, virtutum dignitas, & laudes ad audientis jucunditatem & fructum, aut malorum ſcelera ad fugam commemorantur, & qui audit *auſcultator* ex iis hilaratur & proficit, aut abhorret & deterretur, eſt exornatio; ſi de re quapiam conſulatur, & auditor velut *Senator* deliberat, eſt deliberatio: ſi aut accuſatus defenditur, aut reus damnatur, & qui audit tamquam *Judex* [b] adeſt, eſt judicium.

2. Demonſtrativum igitur eſt quod *tribuitur in alicujus certae perſonae laudem aut vituperationem* [c], dum laudat praeclaros viros, & praeclara facta, aut vituperat nefarios, & flagitia; ut *ſingulari laude efferendus Caeſar*, *qui victos omnes ingenio & viribus florentes ſervavit*: *ſummo ſupplicio digni*, *qui publicam quietem ſolicitarint*. Hujus generis finis eſt honeſtum ac turpe, ex eoque audientis delectatio & in virtutem amor. Ad illud pertinent oratio ſacra, panegyrica, & funebris, gratiarum actio, gratulatio, & Legatorum plerumque orationes tamquam principes formae, ad eas aliae.

3. Deliberativum eſt *quod poſitum in diſceptatione & conſultatione civili habet in ſe ſententiae dictionem* [d], & magna, honeſta, utilia perſuadet, aut diſſuadet contraria, ut *numquam licere in Principem arma ſumere*: *praeclare ac ſancte facere qui juri ſuo cedat*, *ne publica pax perturbetur*. Spectat delibera-

tio

a. Ariſt. Rhet. l. 1. c. 15 textu 117. ex interpr. Majorag. b. Vide Cic. Partit. Orat c 3. c. Cic. Invent. Rhet. l 1. c. 5. d. Cic. invent. Rhet. l. 1. c. 5.

tio utilitatem & detrimentum, *qui enim ſuadet aliquid, illud tamquam melius ſuadet, & qui diſſuadet, tamquam deterius diſſuadet, alia vero huc referuntur, ut ſi quid juſtum aut injuſtum, honeſtum aut turpe dicetur* [a]. Ad hoc genus referuntur orationes illae quibus conſultamus, admonemus, cohortamur, conſolamur, deprecamur, aliae.

4. Judiciale genus eſt *quod poſitum in judicio habet in ſe accuſationem, & defenſionem* [b], ut innocentes ab improborum calumnia & ſcelere tueatur, nefarios vero admiſſorum facinorum conſcientia evictos damnet, ut Cicero pro Sextio & Ligario, in Verrem & Catilinam facit. Propoſitum hujus generis eſt aequitas violata ut relevetur, nam *in judiciis quid aequum aut iniquum ſit quaeritur, & ſiqua ſunt alia huc referuntur* [c]; immo *aequitatis ſervandae gratia judicia conſtituta ſunt* [d]. Ad hoc revocantur orationes, quibus conquerimur, reprehendimus, excuſamus, purgamus, reſpondemus objectis criminibus, aliae. Oratio autem in eo genere eſſe dicitur, quod in ea excellit, & veluti dominatur.

Quaeſtio, & ſtatus rerum: eorumque genera.

CAP. II.

1. Quaeſtio, ſeu controverſia, eſt rei in dubium, & diſceptationem vocatae com-

a. Ariſt. Rhet. l. 1. c. 17 tex. 125. b. Cic. 1. Inv. Rhet. c. 5. c Ariſt. Rhet. l. 2. c. 17. tex. 126. d. Cic. Partit. Orat. c. 4.

comprehenſio, ſive id quod quaeritur oratione conſtituendum.

2. Quatuor ſunt quaeſtionum genera. Una *infinita*, *quae remotis perſonis*, *temporibus*, *& locis*, *ceteriſque ſimilibus* [a] rem univerſe quaerit, ut *an litterae ſint homini maximum ornamentum: an ignoratio maximum malum; an ſui cuique mores concilient fortunam* [b]; hanc propoſitum Cicero, nos theſim jam ex Graecis nominamus. Altera finita, & *complexu perſonarum*, *temporum*, *locorum*, *ceterorumque* [c] circumſcripta, *an juveni potiſſimum fugiendi ſuſpecti comites; an plebi arma permittenda; an Rhetoricae poſt Philoſophiam ſtudendum*; hanc Cicero cauſſam, nos ex graeca voce jam hypotheſim appellamus. Tertia cognitionis, quae aliquid ſcrutatur ſolum ut ſciat, *an Ethnici plures ritus ex Sacris Litteris acceperint* [d], *an bruta ſentientem animam habeant* [e]. Quarta actionis, quae verum inveſtigat, ut ex eo deinde agat, *an ad publicam rerum adminiſtrationem accedendum ſit*; *an repudiare*, *aut acceptas opes bene collocare melius ſit*; *an ingenio aut viribus famam comparare praeſtet*.

3. Status rerum, ſeu conſtitutio, eſt illa quaſi pugna ex prima cauſſae conflictione orta, ut *jure Milo inſidiatorem Clodium occidit*, *non jure occidit*; *jure Cicero Catilinam*, *ejuſque ſceleris ſocios interfecit*, *non jure interfecit*: & ſtatus dicitur, *quod ibi ſit primus cauſſae congreſſus*, *vel quod in hoc cauſſa conſiſtit* [f].

4 Qua-

a. Quinctil. lib. 3. cap. 5. b. Nep. in Attico cap. 19. c. Quinctil. l. 3. cap 5 d. Vide Eduard. Corſin. Schol. Piar. Praef Inſt. Philoſoph. num. 10. & ſeqq. e. Vide eumd. Philoſoph. Inſt. Tom. 4. Tract. 2. Diſp 3. c. 1. f. Quinctil. l. 3. c. 6.

4. Quatuor ſunt ſtatus ſpecies, *facti, nominis, generis, & actionis* [a]. Facti, cum utrum factum ſit necne diſceptatur, quae etiam conſtitutio conjecturalis dicitur, *quoniam conjecturis cauſſa firmatur* [b], *ut an Catilina conjuraverit*. Nominis, cum factum conſtat, facti natura & nomen quaeritur, ut an fur an ſacrilegus qui rem ſacram eripuit: haec conſtitutio definitiva dicitur, *quia vis vocabuli definienda verbis eſt* [c]. Generis, cum facti conditio, ſeu qualis res ſit, quaeritur, *quia & de vi, & de genere negotii controverſia eſt, & conſtitutio generalis vocatur* [d], ut *an juſte vel injuſte frangenti fidem fides frangatur*. Haec uberius veteres ſuae aetatis propria perſecuti. Interim oratio in eo ſtatu dicitur, qui praecipuus in ea eſt, ſaepe enim varius orationis, multiplex, & mixtus eſt ſtatus.

Orationum ad exornationem pertinentium natura: propriae aliquae leges: exempla.

CAP. III.

1. PAnegyrica oratio eſt dignitatis, virtutis, factorum, omniumque *bonorum alicujus expoſitio* [e]. Homini quidem in primis haec tribuitur ut propria, & multis aliis rebus quaſi communicatur, nam *laudantur perſonae, ut Demoſthenes*, Cicero, Virgilius; *res, ut juſtitia*, fortitudo, induſtria; *tempora, ut*

ver,

a. Cic. 1 Invent. Rhet. c. 8. b. Id. ibi. c. Id. ibi. d. Id. ibi. e Aphth. c. 8.

ver, aurora, dies ſerena; *loci*, *ut horti*, colles, Italia; *portus*, *& bruta*, *ut equus*; *plantae*, *ut vites*, *oleae* a. Eorum praecipua attingamus.

2. Orationis igitur, quae de praeclariſſimorum hominum laude habetur, duplex eſt forma. Una vitae ipſius ordinem, & gradus perſequitur, ut dicendo exornet, quae illi egerint ut privati homines, ut ſuae familiae, ut publici rerum moderatores, quod Plinius pulcherrimum hujus orationis exemplar ad Trajanum facit. Altera unam certam ac principem virtutem ſeligit, ad quam omnia illorum facta revocantur; aut quae ceteras virtutes ſuperavit, ut Cicero pro Marcello ſingulari facile panegyrico facit; aut ad certa capita univerſa facta redigit, ut quae in adoleſcentia, quae in matura aetate, quae in ſenectute; quae ad ſuam, quae ad omnium perfectionem: quae agendo, quae docendo, quae ferendo praeſtiterint. Conſtitutam propoſitionem ſua argumenta confirmant, in ſingulisque eorum inſigne aliquod factum accuratius exponitur, reliquorum multa eo pertinentia quaſi acervantur. Ad argumenti ingreſſum optima eſt imago quaedam inſignis, aut hiſtoria, quae efferendas virtutes ante praedicet, aut illius generis eximia forma, in ejusque initio aut fine in eo virum ſane excelluiſſe appareat. Nolim ante exponendas virtutes multam doctrinam ex altiſſimis diſciplinis mihi praeponi, quod factis ornandis ſaepe tempus intercipit, ſed in ipſis potius efferendis tacitam inſeri, atque ex adjunctis maxime virtutes amem eminere; multo minus

a Aphthon. c. 8.

nus velim viros viris, facta factis conferri, & ſanctos viros quaſi inter ſe pugnantes induci, ſed ſine ulla comparatione cum aliis extolli: nullo autem pacto ita conferri, ut alter prope atteratur, viri enim ſancti & in terris viventes, & in quieta ſede regnantes pacis auctores ſunt, & ſine conflictu laudandi ſunt. Stilus hujus orationis eſt multo elaboratior, cultior, & ſplendidior; quare *omnes dicendi artes aperit ornatumque orationis exponit, quidquid erit ſententiis populare*, alacre, & pulchrum, *verbis nitidum, figuris jucundum, translationibus magnificum, compoſitione elaboratum pertractandum dabit* [a].

3. Urbes laudantur a Conditorum nobilitate, animi magnitudine, ſapientia, probitate, rebus geſtis, omni virtute; a Civium numero, habitu, induſtria, ingenio, humanitate, doctrinae laude: ab ſtudiorum celebritate, ac fama; ab urbium ipſarum amplitudine, ab operum, templorum, aedium, viarum divitiis, ſtructura, ordine; ab hoſpitum & mercatorum eo confluentium multitudine; ac demum a caeli clementia, & regionis ubertate. Plures iis nominibus commendat Hor. l. 1. od. 7.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenem;
Aut Epheſum, bimariſve Corinthi
Maenia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Inſignes, aut Theſſala Tempe.
Sunt quibus unum opus eſt intactae Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare, et

Undi-

a. Quinctil. l. 8. c. 3.

Undique decerptae frondi praeponere olivam.
Plurimus in Junonis honorem
Aptum dicit equis Argos, diteſque Mycenas.
Me nec tam patiens Lacedaemon,
Nec tam Lariſſae percuſſit campus opimae,
Quam domus Albuneae reſonantis,
Et praeceps Anio, & Tiburni lucus, & uda
Mobilibus pomaria rivis.

4. Regiones vero, & agri a miti, aut temperato caeli habitu, aeris ſalubritate, apricorium collium, leniterque aſſurgentium amoenitate, fluviorum copia, a ſoli ubertate, ſegetum vi, & bonitate, fructuum multitudine ac ſapore; a vini, oleae, ſegetum multitudine, ac paſtionum ubertate celebrantur. Campaniam ita Florus l. 1. c. 16. *Omnium non modo Italia, ſed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniae plaga eſt; nil mollius caelo; denique bis floribus vernat; nihil uberius ſolo, ideo Liberi Cererisque certamen dicitur: nihil hoſpitalius mari. Hic illi nobiles portus Cajeta, Miſenus, & tepentes fontibus Bajae, Lucrinus, & Avernus, quaedam maris oſtia. Hic amicti vitibus montes Gaurus, Falernus, Maſſicus, & pulcherrimus omnium Veſuvius, Aetnaei ignis imitator. Urbes ad mare Formiae, Cumae, Puteoli, Neapolis, & ipſa caput urbium* Capua. Et Tarentum Horat. l. 2. od. 6. v. 13.

Ille terrarum mihi praeter omneis
Angulus ridet: ubi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro;
Ver ubi longum, tepidaſque praebet
Jupiter brumas, & amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Falernis
Invidet uvis.

5. Na-

5. Natalitia oratio eſt ea, quae habetur celebrandis maximis natu filiis clariſſimorum Principum, aut certe praeſtantium virorum non minus ad Parentum laudem, eorumque Civium, ac populorum gaudium, quam ad filiorum praeconium. Itaque a praecedentibus omnium votis, a praeſenti non modo Parentum, & Civium, ſed omnium circa populorum, Parentibus ſtudioſorum Principum plauſu, inimicorumque dolore, ipſiuſque Pietatis, ac Religionis gaudio pro tanta ſuſcepta prole, & divinis ſignificationibus, ſi fuerint, ingredere, & quae futura ſint ex geſtis Pueri commoda propone. Tum eximias Parentum, ac Majorum laudes excurre, eorum praeſertim, quorum ſimilem Puerum pollicearis & conjicias, eaque omnia dicas aequaturum: nam *Fortes creantur fortibus* a. Deinde pueritiae, adoleſcentiae, maturaeque aetatis facta, ex iiſque in omne hominum, aut ſuae certe gentis genus beneficia quaſi diſtribue atque exorna. Inſigne eſt hujus orationis exemplum in Virg. ecl. 4. *Sicelides Muſae &c.*

6. Gratulationis oratio ea eſt, qua alteri felicitatem aliquam ab eo adeptam gaudere nos verbis & re teſtamur. Primum omnium illud bonum quam magnum ſit, praeclarum, utile, jucundum, quantum par eſt, praefati, ejus virtuti tributum eſſe, eamdemque virtutem in ampliſſimum, eaque dignum campum, ubi inſignia edere, inſignia praeſtare univerſis poſſit, devocatam ex animo gratulamur; hanc omnium eſſe vocem, & alacritatem confirmamus: denique a divino

Dd Nu-

a. Horat. Carm. lib. 4. od. 4. v. 29.

Numine eum honorem aut fauſtitatem fortunari, & manentem juberi precamur. Eorum partem complexus eſt Cic lib. 2. epiſt. 7. *Sera gratulatio reprehendi non ſolet, praeſertim ſi nulla negligentia praetermiſſa eſt. Longe enim abſum* (ex Cilicia enim ſcribebat) *audio ſero, ſed & tibi gratulor, & ſempiternae laudi tibi ſit iſte Tribunatus exopto; teque hortor, ut omnia gubernes & moderere prudentia tua, nec te auferant aliorum conſilia. Dii immortales cur ego non adſum vel ſpectator laudum tuarum, vel particeps, vel ſocius, vel miniſter conſiliorum!*

8. Cum reditum alicui in patriam gratulamur ex longa peregrinatione ac via, commune in primis omnium, diuturnum, numquam intermiſſum, aut imminutum eo abſente, immo vero auctum, atque inflammatum deſiderium commemoramus Tum in patriam redeunti Civium amorem, bonorum omnium, ac principum civitatis, juxtaque infimorum gaudium efferemus. Inde vero ipſius humanitatem, ſapientiam, liberalitatem, praeclare facta omnia ornabimus; cum iis quae apud alias gentes ediderit, & ad nos fama pervenerint, conferemus. Poſtremo, ut diu incolumis ad patriae, ad Parentum, ad amicorum fauſtitatem ſuperet precabimur. Exſultat Hor. lib. 2 od. 7.

O ſaepe mecum tempus in ultimum
Deducte Bruto militiae duce,
Quis te redonavit Quiritem
Diis patriis, Italoque caelo,
Pompei meorum prime ſodalium?

9. Cum

* *Epibaterion* graeco nomine, nec uſu ſatis mollito vocat Scalig. Poet. l. 3. c 106.

9. Cum ob partam victoriam * gratulamur, egregiam ejus virtutem, rei militaris ſcientiam & animi celſitatem, qua hoſtes petierit, ſuſtinuerit, fuderit, expugnaverit laudibus feremus. Opportune hoſtium multitudinem, opes, audaciam, ut ejus fortitudo emineat, attingemus. Superiorem feminarum, ſenum, omnium Civium ſolitudinem, metum, lacrimas, precationes commemorabimus; illique non occupatam patriam, non direptas fortunas, non diruta templa, non violatam honeſtatem, non religionem acceptum univerſos referre atteſtabimur. Molliſſima, ac laetiſſima eſt in eo genere Hor. l. 1. od. 37.

Nunc eſt bibendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus: nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, ſodales.
Antehac nefas depromere Caecubum
Cellis avitis, dum Capitolio
Regina dementeis ruinas,
Funus & imperio parabat.

10. Oratio, quae recuperatam ** valetudinem principi viro gratulatur, in primis ſuperiorem maerorem commemorabit, communiſque fauſtitatis, religionis, virtutis, prope luctus ex ejus periculo jam obita. Ex ſqualiore ad hilaritatem omnia revocata. Tum magnifice ejus beneficia praeſtita, deincepsque majora etiam expectata efferemus. Deinde ut ſuae ſaluti in poſterum conſulat, majoremque operam det cohortabimur. Denique in ejus incolumitate omnium Civium fauſtitatem

* *Epinicion* ex iisdem Graecis Scaliger. Poet. l. 3. c. 95. alii cum ſecuti. ** *Soteriam* vocat Scaliger Poet. lib. 3. cap. 103. alii ex eo.

pendere commonſtrabimus. Aliquam hujus orationis effigiem habet Curt. lib. 3. c. 10. pro Alexandro ex aegritudine relevato. *Poſt diem tertium*, ait, *in conſpectum Militum venit; nec avidius Regem ipſum, quam Philippum* Medicum *intuebatur exercitus. Pro ſe quiſque dex'eram ejus amplexi grates habebant velut praeſenti Deo: nam haud facile dictu eſt quantum hujus Regis vel admirationi dediti fuerint, vel caritate flagraverint.*

11 Oratio, quae alium a patria * proficiſcenti fauſta omnia precatur, poſt memoratas hominis facultates, & diſceſſus cauſſas, ut vel clari ſui, aut publici commodi, vel Legati pro Principe, aut belli Ducis, vel pacem conciliaturi, aut Religionis incrementum, incolume, iter, adventum, negotiis expediendis felicitatem ominatur. Eadem ferme ratione agit qui patria diſcedit, & variae cauſſae diſceſſionis totam orationem moderantur. Diſcedenti Virgilio Athenas ſecundam navigationem precatur Hor. lib. 1. od. 3.

Sic te diva potens Cypri,

Sic fratres Helenae, lucida ſidera,

cum iis quae ſequuntur. Et oratio quae a certis hominibus Ciceroni adſcripta antequam iret in exſilium non contemnenda multa continet.

12. Oratio commendatoria beneficiis alias acceptis, & amoris magnitudine alias cognita ad commendandum ſibi viam munit: deinde hominis indolem. probitatem, ſapientiam, habendae & referendae gratiae induſtriam, libe-

rali-

* *Apobaterion* vocat idem Scal. Poet. l. 3. c. 107. alii ex eo.

ralitamtem, animi magnitudinem, omnemque facultatem praedicat, quare aliorum gratiam, & beneficia mereatur: tum operoſe in eo commendat, quod poſtulat: denique & gratum hominem futurum beneficio, nec alium umquam doliturum ſe beneficia in talem hominem contuliſſe. Egregia eſt Cic. epiſt. 9. lib. 6. *Cum Aulo Caecinna mibi familiaritas ſemper fuit, ut nulla major eſſe poſſit: nam & Patre ejus claro bomine, & forti viro piurimum uſi ſumus, & hanc a puero, quod & ſpem mibi magnam afferebat, ſummae probitatis, ſummaeque eloquentiae, & vivebat mecum conjunctiſſime non ſolum officiis amicitiae, ſed ſtudiis communibus ſic ſemper dilexi, ut non ullo cum bomine conjunctius viverem. Reliquum eſt, ut, cum cognorim pluribus rebus, quid tu & de bonorum fortuna, & de Reip. calamitatibus ſentires, nibil a te petam, niſi ut ad eam voluntatem, quam tua ſponte erga Caecinam babiturus eſſes, tantus cumulus accedat commendatione mea, quanti me a te fieri intelligo. Hoc mibi gratius facere nibil potes.*

12. Gratiarum actio, quam etiam euchariſticam orationem appellant, ſtatim ingreditur beneficii magnitudinem, atque animi benevolentiam, qua beneficium ipſum praeſtitum, auctum, illuſtratum: idque alacri, ſuavi, & magnifica verborum, & rerum forma praedicat. Deinde interdum meminit calamitatem, ſolitudinem, maerorem, in quibus vel fortunae, vel invidorum, aut improborum iniquitate jacuerat, niſi ad tantum virum confugiſset. Hic proinde pluribus eam virtutem effert, unde beneficium

profectum eſt, liberalitatem ſcilicet, ſi pecunia aut opibus, clementiam, ſi venia aut admonitione, ſapientiam, ſi conſilio aut eruditione, ſanctimoniam, ſi precibus aut quaſi miraculorum vi adjuverit: quo in loco praeclara facta alia omnia aut in ſe, aut in alios benefacta complectitur. Deniqne beneficii amplitudinem memori animo ſemper victuram, nec aetate oblıterandam, omnique grati animi ſignificatione illuſtrandam, niſique gratiam ſe relaturam, habituram certe pollicetur. Aliqua eorum continet oratio praecipue extrema pro Marcello. *At unde eſt orſa in eodem terminetur oratio mea, maximas tibi gratias agimus C. Caeſar majores etiam habemus.* Plura ſane multae ejuſdem epiſtolae: haec plane, quae in lib. 10. eſt 11. ſatis eſt pulchra. *Immortales ago tibi gratias, agamque dum vivam; nam relaturum me affirmare non poſſum, tantis enim tuis officiis non videor mibi reſpondere poſſe, niſi forte, ut tu graviſſime, diſertiſſimeque ſcripſiſti, ita ſenſurus es, ut me referre gratiam putes, cum memoria tenebo*, Et Aeneae oratio ad Didonem 1. Aen. v. 601.

O ſola infandos Troiae miſerata labores,
Quae nos relliquias Danaum, terraeque mariſque
Omnibus exhauſtos jam caſibus, omnium egenos,
Urbe, domo ſocias, grates perſolvere dignas
Non opis eſt noſtrae, Dido: nec quicquid ubique eſt
Gentis Dardaniae, magnum quae ſparſa per orbem.
Dii tibi (ſiqua pios reſpectant Numina, ſi quid
Uſquam

Uſquam juſtitiae eſt, & mens ſibi conſcia recti)
Praemia digna ferant. Quae te tam laeta tulerunt
Saecula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
Luſtrabunt, convexa polus dum ſidera paſcet,
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt,

13. Oratio funebris, quae de mortui viri laudibus habetur, a lugubri pompa, ab officiorum maeſtitia, & omnium maxime a communi, eoque ingenti Civium, aut ſubditarum gentium, ipſiuſque Oratoris luctu commode orditur. Tum laudum ſumma, & propoſitione conſtituta, attingi poterunt Parentum ac Majorum nobile genus, nam in filios parentum virtutes cum ſanguine derivantur, filiique Majorum veſtigiis ſolent inſiſtere, opes, adminiſtrati honores, partae laudes, eaque omnia aut aequata, aut aucta, aut quidem praeclare ſervata oſtendi debent; ſed ad propria hominis facta feſtinandum, nam tandem *Aliena laudat, qui genus jactat ſuum* a: Patriae etiam aliquando, Civium, totiuſque gentis non tacentur. Qui vero ignobili loco natus ſit, & virtute ſe evexerit, ex eo ipſo celebratur, quod ſibi ipſe nobilitatem compararit, nam demum *ex virtute nobilitas cepit* b: quare ex factis omnis laus ducenda eſt. Itaque commemoranda ſunt, & ornanda mandati homini honores, geſti, illu-

a. Sen. Herc. Fur. act. 2. ſc. 3. b. Sall. Bel. Jug. cap. 88.

ſtrati, evecti, *magnificentius eſt enim dicere quemadmodum geſſerit, quam quemadmodum ceperit* a. Quia vero *maximum laudandi genus eſt ex geſtis, quae in bona animi, corporis, & fortunae partieris* b, emineant quae fecerit ad ſuam laudem, ad ceterorum fructum, ad miſerorum praeſidium, ad malorum metum, ad omnium ſalutem: & ex forti, pia, chriſtiana, & ſancta mortis indole appareant, atque ea quoque praedicentur quae facturus fuerat, niſi diem immature obiiſſet ſupremum, ſi ita fuerit. Poſtquam haec compoſite dicta ſint, reliqua eo convertatur oratio, ut in beatum aevum tantam animam devolaſſe certo ſperet, ut propinquorum, ut Civium maerorem conſoletur. Praeclara huius generis habet Pericles apud Thucyd. Hiſt. lib. 2. de interemtis in bello. *Aequum*, ait, *ſimul, & decorum eſt eis honorem hunc memoriae reddere, qui regionem iſtam ipſi incolentes poſteris ad hoc tempus liberam ſua virtute tradiderunt. Laude digni Patres noſtri, qui ad ea, quae acceperant, hoc imperium adjicientes labore partum nobis reliquerunt. Pro hac igitur civitate ipſi praeliantes occubuerunt, & mihi videtur virtutem iſtorum virorum mors plane declarare, etenim eorum nemo neque divitiis mollitus eſt, neque ſpe paupertatis in divitias commutandae a ſubeundis aſperis retentus eſt, omnium pulcherrimum periculum exiſtimantes in propulſanda vi pati potius, quam in cedendo incolumes fieri, & ipſi quidem quales par erat, tales in patriam exſtitere, ac ſtatuerunt ſua virtute non fraudandam eſſe civitatem, nam publice cor-*

pora

a. Cic. in Piſ. c. 2: qui tamen ait *geſſerimus, & ceperimus* Conſulatum. b Aphthon. cap. 8.

pora impenderunt, privatim laudem, quae nũquam ſenſceret, acceperunt honorificentiſſimã ſepulturam, in qua non magis ipſi ſunt ſiti, quam ſempiterna eorum gloria, ut ſe quoque offerret tempus vel narrandi, vel imitandi celebranda; quippe illuſtrium virorum omnis terra ſepulcrum, neque id domeſticorum tantum ſaxorum teſtatur inſcriptio, ſed etiam ſine ſcripto in exteras gentes egreſsa memoria magis apud animum cujuſque, quam apud urnas boſpitatur. Quod ipſi nunc ad imitandum vobis preponentes, & felicitatem exiſtimantes eſſe libertatem, rurſus libertatem eſse felicitatem nolite bellica recuſare diſcrimina *. Praeclare Virg. ecl. 5. v. 20. ante omnium maerorem complexus.

Exſtinctum Nymphae crudeli funere Daphnin
Flebant &c.

Deinde in caelis perennem ſedem Caeſari adeptam perſequitur, licet fingat.

Candidus inſuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibuſque videt nubes, & ſidera Daphnis, &c.

14. Epitaphium, ſeu brevis mortui laus ejus ſepulcro inſcripta, interdum ſolum mortui nomen, ſaepius genus quoque, adminiſtratos honores, & factorum ſumma capita amplectitur. Hujuſmodi eſt hoc Virgilii de ſe ipſo.

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini paſcua, rura, Duces.

Et Tibulli item de ſe ipſo.

Te quoque Virgilio comitem non aequa Tibulle

Mors

* Ex interpretatione Laurentii Vallae.

Mors Juvenem campos miſit ad Elyſios;
Ne foret aut Elegis molles, qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

Et Petri Bembi de Sannazaro.

Da ſacro cinere flores: hic ille Maroni
Syncerus muſa proximus, ut tumulo.

Orationes ad genus deliberativum pertinentes.

CAP. IV.

1. Legatorum oratio ab amoris, aut certe bene affecti, & praeclare ſentientis animi ſignificatione mittentis Principis adverſus eum ad quem mittit, exorſa, proponit quid inter ipſos conſtitui optimum erit. Tum rationum vi a regnorum adminiſtrandorum ſcientia in primis deſumtarum, hiſtoriarum exemplis eorum praecipue invicem Principum propriarum; omnique eruditionis copia contendit. Stilo gravi, & brevi potius delectatur, nam magna apud Sapientes agit.

2. Suaſoria oratio ante rem paullatim inſinuat; & accurate audientis animos comparat ad rem ipſam, deinde ab rei utilitate, honeſtate, atque jucunditate contendit. Ea autem jure in re diligenter advertit hominum ingenium, quod ſuadere debeat, ex eoque agit. Itaque ſenem gravem, honeſtiſſimum Civem, clariſſimum Principem a nominis gloria, a laude, ab omni honeſtate inducit; divitem, mercatorem, militem, ma-

gnam

gnam multitudinē utilitate; adoleſcentem ſpecioſarum rerum potius jucunditate, nitore, tranquillitatis dulcedine, & deliciarum, quam opum vi, aut rerum dignitate; rei ſanctitate, calamitoſorum ope, bonorum praeſidio optimum ac ſanctiſſimum virum. Egregie Metius Fufetius Tullo Romano Regi pacem ita ſuadet apud Livium l. 1. c. 23. *Iniurias, & non redditas res ex foedere, quae repetitae ſunt & ego Regem noſtrum Cluilium cauſſam huiuſce eſſe belli audiſſe videor, nec te dubito Tulle eadem prae te ferre; ſed ſi vera potius quam dictu ſpecioſa dicenda ſunt, cupido imperii duos cognatos, vicinoſque populos ad arma ſtimulat, neque recte an perperam interpreter: fuerit iſta ejus deliberatio, qui bellum ſuſcepit: me Albani gerendo bello Ducem creavere. Illud te Tulle monitum velim; Etruſca res, quanta circa nos teque maxime ſit, quo proprio res Volſcis, hoc magis ſcis: multum illi terra, plurimum mari pollent: memor eſto, jam cum ſignum pugnae dabis, has duas acies ſpectaculo fore, ut feſſos, confectoſque ſimul victorem, ac victum aggrediantur. Itaque ſi nos Dii amant, quoniam non contenti libertate certa, in dubiam imperii ſervitiique aleam imus, ineamus aliquam viam, qua utri utris imperent, ſine magna clade, ſine multo ſanguine utriuſque populi decerni poſſit.*

3. Contra qui diſſuadet rem inutilem, injucundam, nec honeſtam, ſed turpem, pernicioſam demonſtrat, ex eoque iſtorum capite agit, quo vehementius affici intelligat, quem diſſuadet. Pulchre Attilius Regulus redimendos captivos Romanis diſſuadet apud

Hor.

Hor. l. 3. od. 5. v 17.

Signa ego Punicis
Affixa delubris, & arma
Militibus ſine caede, dixit,
Direpta vidi: vidi ego Civium
Retorta tergo brachia libero,
Portaſque non clauſas, & arva
Marte coli populata noſtro.
Auro repenſus ſcilicet acrior
Miles redibit? flagitio additis
Damnum, neque amiſſos colores
Lana refert medicata fuco;
Nec vera virtus cum ſemel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata denſis
Cerva plagis. Erit ille fortis,
Qui perfidis ſe credidit hoſtibus?
Et Marte Poenos proteret altero,
Qui lora reſtrictis lacertis
Senſit iners, timuitque mortem?

4. Oratio, qua ab alio conſilium petitur, brevi rei difficultate expoſita petit quid alii in ea expedienda videant, & communicent. Deinde id ratum fore, eoque acceptius, quo liberius aperiatur. Qui autem conſilium alteri dat, ſi aut minori, aut pari, aut aequi bonique facturo dat, conſilii ſui ſummam ſincere, atque aperte patefacit, ſuiſque rationibus confirmat, & commoda, quae conſequentur, ob oculos ponit, & ventura pollicetur. Ita Regi Dario Charidemus a ſe petenti ſatiſne ei videretur inſtructus *ad obterendum hoſtem* conſilium ſuum aperit apud Curt. lib. 3. c. 5 *Verum*, inquit, *& tu forſan audire nolis. Hic tanti apparatus exercitus, haec tot gentium, & totius Orientis excita ſedibus ſuis*

mo.

moles finitimis poteſt eſse terribilis. Nitet purpura, auroque, fulget armis, & opulentia, quantam qui oculis non ſubjecere, animis concipere non poſſunt. Sed Macedonum acies torva ſane, & inculta, ſed clipeis, haſtiſque immobiles cuneos tegit, invicta bello. Pari robore opus eſt. In illa terra, quae hos genuit, auxilia quaerenda ſunt. Argentum iſtud atque aurum ad conducendum militem mitte.

5. Oratio cohortatoria brevi inſinuatione, & propoſitione facta, deinde argumentis omnibus praecipue utilitate, magnitudine & rei laude contendens, ſimulque adhortans agit. Qui autem dehortatur contrariis rationibus procedit, atque ob oculos ponit, quae incommoda immineant, niſi in tempore provideatur. Hortatur milites ſuos ad victoriam Catilina apud Sal. Con. Cat c. 60. *Compertum habeo, Milites, verba virtutem non addere, neque ex ignavo ſtrenuum, neque fortem ex timido exercitum Imperatoris oratione fieri. Quem neque gloria, neque pericula excitant nequidquam hortere. Scitis, Milites, ſocordia atque ignavia Lentuli quantam ipſi nobiſque cladem attulerit: quo loco res noſtrae ſint juxta mecum omnes intelligitis. Quocumque ire placet, ferro iter aperiendum eſt. Quapropter vos moneo, uti forti atque parato animo ſitis, & cum praelium inibitis, memineritis vos divitias, decus, gloriam, libertatem, patriam in dextris veſtris portare. Si vincimus, omnia nobis tuta erunt, commeatus abunde, municipia atque coloniae patebunt. Sin metu ceſſerimus, neque locus, neque amicus quiſquam teget, quem arma non texerint. Pro patria, pro libertate, pro vita certamus. Audacius aggre-*

gredimini memores priſtinae virtutis. Semper in praelio iis eſt maximum periculum, qui maxime timent: audacia pro muro habetur. Cavete ne inulti animam amittatis, neu capti ſicuti pecora trucidemini. Dehortatur vero a diſcordia Iupiter 10. Aen. v. 6.

Caelicolae magni quia nam ſententia vobis
Verſa retro? tantumque animis certatis iniquis?
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris:
Quae contra vetitum diſcordia? Quis metus aut hos,
Aut hos arma ſequi, ferrumque laceſſere ſuaſit?
Adveniet juſtum pugnae, ne accerſite, tempus,
Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum, atque alpes immittet apertas.
Tum certare odiis, tum res rapuiſſe licebit.
Nunc ſinite, & placidum laeti componite foedus.

6. Monitoria oratio, brevi ante animis admonitioni comparatis, facti aut criminis foeditatem, perniciem, & vaſtitatem aperit: tum ſumma ope ad ea cavenda, & emendanda impellit. Si admonere, juxtaque non irritare velit mollioribus verbis, vehementiſſimis tamen, admonitionis aſperitatem temperat; ſi nihil curat a ſe alienare, modo admonuerit, aſperrime etiam commonefacit, atque invehitur Caeſ. Bel. Civ. l. 1. c. 1. *Lentulus Conſul Senatui Reiquepublicae ſe non defuturum pollicetur, ſi audacter, ac fortiter ſententias dicere velint: ſin Caeſare reſpiciant*

ciant, atque ejus gratiam ſequantur, ſe ſibi conſilium capturum.

7. Conſolatoria oratio apte initio fatetur dolendi legitimam cauſſam maerentem habere, & interdum auget, ut in animum ejus invadat. Tum quaſi dominus remedia ſalubria adhibet, conſolaturque ab humanae conditionis, humanarumque rerum indole, quod fluxa omnia in terris, quod ad virtutis laudem, quod ad meritorum incrementum. quod ita divinitus conſtitutum, aut permiſſum, quod ita neceſſe ſit. Varia itaque malorum genera, de quibus ſoleris, varia dici varia in re jubebunt. Praeclare conſolatur Ciceronem in morte filiae eius Sulpicius l. 4. epiſt. 5. *Poſteaquam mihi renuntiatum eſt de obitu Tulliae filiae tuae, ſane quam, pro eo ac debui, graviter moleſteque tuli: communemque eam calamitatem exiſtimavi .. Etſi genus hoc conſolationis acerbum eſt, tamen quod in praeſentia occurit, quid fuit quod illam hoc tempore ad vivendum magnopere invitare poſſet, quae res? quae ſpes? quod animi ſolatium? ut cum aliquo adoleſcente primario conjuncta aetatem ageret? An ut, cum liberos florentes videret, laetaretur? At vero malum eſt liberos amittere. Malum niſi hoc pejus ſit, haec ſufferre, & perpeti. Quae res mihi non mediocrem conſolationem attulit, volo tibi commemorare, ſi forte eadem res tibi minuere dolorem poſſit. Ex Aſia rediens, cum ab Aegina Megaram verſus navigarem, cepi regiones circumcirca proſpicere: poſt me erat Aegina, ante Megara, dextra Piraeus, ſiniſtra Corinthus; quae oppida quodam tempore florentiſſimae fuerunt, nunc proſtrata & diruta ante oculos*

ja-

jacent : cepi egomet mecum ſic cogitare. Hem, nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrum interiit, aut occiſus eſt, quorum vita brevior eſſe debet, cum uno loco tot oppidorum cadavera projecta jaceant. Vis ne tu te, Servi, cohibere, & meminiſſe, hominem eſſe natum? Uno tempore tot viri clariſſimi interierunt : de imperio praeterea tanta diminutio facta eſt, omnes provinciae conquaſsatae ſunt : in unius mulierculae animula, ſi jactura facta ſit, tantopere commoveris? quae ſi hoc tempore non ſuum diem obiiſſet, paucis poſt annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. Vide omiſſa. Et Virgilium Horatius l. 1. od. 14.

Quis deſiderio ſit pudor, aut modus
Tam cari capitis? praecipe lugubres
Cantus Melpomene, cui liquidam Pater
Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quinctilium perpetuus ſopor
Urget? cui pudor, & juſtitiae ſoror
Incorrupta fides, nudaque veritas,
Quando ullum invenient parem?
Multis ille quidem flebilis occidit,
Nulli flebilior, quam tibi Virgili:
Tu fruſtra pius, heu non ita creditum
Poſcis Quinctilium Deos.
Quod ſi Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem:
Non vanae redeat ſanguis imagini.

Ora-

Orationes in genus judiciale rejectae.

CAP. V.

1. Accuſatio, ſive oratio alterius factum reprehendens, non ab hominis odio, ſed a facti ſcelere, ac pernicie, ſe adduci teſtatur. Tum facti illius iniquitatem, foeditatem, in alioſque perniciosa exempla, audendi impunitatem, aut oppreſſionem, vaſtitatem, ſolitudinemque profectam acerrime urget. Denique acrius etiam contendit, ut nefaria haec puniantur facta. Belle Mopſus, & Damoeta ſeſe accuſant apud Virgilium ecl. 3.

Mo. *Dic mihi, Damoeta, cujum pecus, an Meliboei?*

Da. *Non, verum Aegonis; nuper mihi tradidit Aegon.*

Mo. *Infelix o ſemper ovis pecus! ipſe Neaeram*
Dum fovet, ac, ne me ſibi praeferat illa veretur,
Hic alienus oves cuſtos bis mulget in hora.
Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.

Mo. *Tum credo, cum me arbuſtum videre Myconis,*
Atque mala vites incidere falce novellas.

Da. *Aut hic ad veteres fagos, cum Daphnidis arcum*
Fregiſti, & calamos: quae tu perverſe Menalca
Et cum vidiſti puero donata dolebas,

Et , ſi non aliqua nocuiſſes , mortuus eſſes .
Me. *Quid domini facient , audent cum talia fures ?*
Non ego te vidi Damonis , peſſime , caprum
Excipere inſidiis , multum latrante Lyciſca?

2. Defenſio , ſive oratio , quae factum aliquod aut ſuum , aut alterius tuetur , ſe non tam calamitatis , injuriae , aut criminis propulſandi , quam veritatis , & famae defendendae cauſsa dicere praefata , tum nervis omnibus factum probat ; ac demum , ut vera judicent , atque incommoda relevent audientes obteſtatur . Ita ſuſcepti belli conſilium tuetur Caeſar Bel. Civ. l. 1. c. 22. *Se non maleficii cauſsa , ex provincia egreſſum , ſed uti ſe a contumeliis inimicorum defenderet ; ut Tribunos Plebis ea re ex civitate expulſos , ad ſuam dignitatem reſtitueret ; ut ſe , & Populum Romanum paucorum factione oppreſſum , in libertatem vindicaret* . Et Aeneas a Carthagine diſceſſum 4. Aen. v. 340.

Me ſi fata meis paterentur ducere vitam
Auſpiciis , & ſponte meas componere curas :
Urbem Trojanam primum , dulceſque meorum
Relliquias colerem , & Priami tecta alta manerent ,
Et recidiva manu poſuiſſem Pergama victis .
Sed nunc Italiam magnam Grynaeus Apollo ,
Italiam Lyciae juſſere capeſſere Sortes .
Hic amor , haec patria eſt . Si te Chartaginis arces
Phoeniſſam , Lybicaeque aſpectus detinet urbis ,

Quae

Quae tandem Auſonia Teucros conſidere terra
Invidia eſt? & nos fas extera quaerere regna.

3. Conqueſtio ab illatae injuriae, aut calamitatis acerbitate ingreſsa tum argumentis omnibus eam exponit, expoſtulat, conqueritur, ac tolli obſecrat. Pulchre Ovid. 1. Triſt. eleg. 7. v. 11. in infidelem amicum.

Tantane te fallax cepere oblivia noſtri?
Afflictumque fuit tantus adire timor?
Ut neque reſpiceres, nec ſolarere jacentem
Dure, neque exequias proſequerere meas?
Quid fuit ingenti proſtratum mole ſodalem
Viſere, & alloquii parte levare tui?
Inque meos ſi non lacrimam dimittere caſus,
Pauca tamen ficto verba dolore loqui?
Idque quod ignoti faciunt, vale dicere ſaltem,
Et vocem populi, publicaque ora ſequi?
Denique lugubres vultus, numquamque videndos
Cernere, ſupremo, dum licuitque, die?
Dicendumque ſemel toto non amplius aevo
Accipere, & parili reddere voce, vale?

4 Purgatio, ſive oratio ſe, aut factum ſuum aliquod invidorum, aut inimicorum calumnia, aut iniquitate traductum excuſans certe, vel rectum oſtendens ab ante actae vitae, aut ab agendi integritate orſa; & brevi calumnias queſta ſui facti veras, & incorruptas rationes ſumma ope demonſtrat; ac denique precatur, ne deinceps temere credatur, aut alio pacto ſe facturam pollicetur, aut communi quieti ſua permittere profitetur. Ita

Pompejus ſe Caeſari purgat apud eumdem Caeſ. Bell. Civ. l. 1. c. 8. *Ne ea, quae Reipublicae cauſſa egerit, in ſuam contumeliam vertat: ſemper ſe Reipublicae commoda privatis neceſſitudinibus habuiſſe potiora; Caeſarem quoque pro ſua dignitate debere & ſtudium, & iracundiam ſuam Reipublicae dimittere, neque adeo graviter iraſci inimicis, ne, cum illis nocere ſe ſperet, Reipublicae noceat, &c.*

5. Objurgatio, ſive increpatio, aut invectiva in graviſſimas ſtatim querimonias irrumpit, quas majori ope, & acrius deinde aſperat, & confirmat, maxima minitans, niſi factum emendatur. Hor. Epod. od. 7.

Quo quo ſceleſti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enſes conditi?
Parumne campis, atque Neptuno ſuper
Fuſum eſt Latini ſanguinis?
Non ut ſuperbas invidae Carthaginis
Romanus arces ureret:
Intactus aut Britannus ut deſcenderet
Sacra catenatus via:
Sed ut ſecundum vota Parthorum, ſua
Urbs haec periret dextera.
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Umquam, &c.

6. Deprecatio, aut toleratae injurae, vel calamitatis indignitatem vivide ob oculos ponens relevari poſtulat, aut admiſſi erroris veniam per ſuaviſſimas permotiones condonari poſtulat. Hujuſmodi eſt haec C. Claudii pro Appio Claudio apud Livium l. 3. *Sordidatus,* ait, *cum gentilibus clientibuſque in foro prenſabat ſingulos, orabatque, ne Claudiae genti eam inuſtam maculam vellent, ut carcere, & vinculis viderentur digni: virum ornatiſſimae*

ſimae imaginis futurum ad poſteros, legum latorem, conditoremque Romani juris, jacere vinctum inter fures nocturnos, ac latrones? Averterent ab ira parumper ad cognitionem, cogitationemque animos, & potius unum tot Claudiis deprecantibus condonarent, quam, propter unius odium multorum preces aſpernarentur.

Variorum Carminum genera: materia: aliae leges.

CAP. VI.

1. EPigramma eſt *poema breve cum ſimplici cujuſpiam rei, vel perſonae, vel facti indicatione, aut ex propoſitis aliquid deducens* a.

2. Duo ſunt eius genera. Unum quod ſimplex, aut narrationis appellant, & factum aliquod, aut animi ſenſum, aut quamcumque aliam rem complectitur quaſi narrans. Haec autem narratio venuſta, vivida, elegans, ornata eſſe debet, eſt enim maxime ad delectandum: & hujusmodi ſunt plurima Catulliana epigrammata. Alterum, quod miſtum, & compoſitum vocant, aliquid velut narrando exponit, atque ex re illa expoſita aliquid ingenioſe concludit: quam partem epigrammatis argutiam jocum, & ſales dicunt; quam interdum Catullus, optimarumque aetatem alii, fere ſemper Martialis, Auſonius, ceteri adhibent. Prioris exemplum ſit Catullus epigr. 75.

a. Scalig. Poet. l. 3. c. 126.

Deſine de quoquam quidquam bene velle mereri,
Aut aliquem fieri poſſe putare tuum.
Omnia ſunt ingrata. Nihil feciſſe benigne eſt:
Immo etiam taedet, taedet, obeſtque magis:
Ut mihi, quem nemo gravius, nec acerbius urget.
Quam modo qui me unum, atque unicum amicum habuit.

Alterius vero hoc Mart. l. 4. epigr. 32. de ape electro incluſa.

Et latet, & lucet Phaetontide condita gutta,
Ut videatur apis nectare clauſa ſuo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum:
Credibile eſt illam ſic voluiſſe mori.

3. Materia autem epigrammatis eſt omnino infinita, de omni enim re haberi poteſt hoc carminis genus, & quidem modo ab hiſtoria, aut facto, quod contigerit ſuppeditatum, modo ex ingenio fictum deſcribit: atque adeo ex magnifica, aut humili, aut temperata re, quam agat, grandem, aut humilem, aut medium ſtilum aſſumit, ſaepius tamen temperatum, & breve etiam fere melius eſt; hinc illud:

Omne epigramma ſit iſtar apis; ſit aculeus illi,
Sint ſua mella, & ſit corporis exigui.

4. Elegiae materiam primum quidem res lugubres, triſtes, ac luctuoſas fuiſſe conſtat, ſive illae tandem amicorum, parentum, praeſtantium virorum interitus, exſilia, aut ſolitudo fuerint, ſive alia commiſerationis, &

quaſi

quaſi luctus cauſſa a; deinde etiam res jucundae, laetae, ſecundae, felices, ut affirmat Horat. l. 2. ep. 3. v. 76.

Verſibus impariter junctis querimonia primum,

Poſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos;

ac demum res plane omnes elegia ſcribendas excepit.

5. Elegiae indoles, ac forma propria eſt inſignes permotiones ſuaviſſime excitare, ſive illae ingentis maeroris ſint, ſive ingentis gaudii, atque jucunditatis, eaſque ipſas ſuavi praeſertim, ac delicato verſu exponit. Si ampla, & magnifica argumenta ſuſcipiat inſignes motus ſubinde admiſcet, & ſuavi leni, juxtaque grandi oratione perſequitur. Similitudines, & comparationes multo libentiſſime advocat. Ad carminis ſuavitatem Ovidius raras potius litterarum eliſiones adhibet, & fere ſemper trium ſillabarum voce exametrum, duarum pentametrum concludit. Contra Catullus, Tibullus, ac Propertius amant ſaepe litteras explodere, & longiori voce concludere diligenti quadam negligentia, & ſuavi quodam aſperitatis quaſi ſtudio.

6. Odae argumentum potius ſublime, & magnificum, ſaepe varium: nam *mihi ita videtur; quaecumque in breve poema cadere poſſunt, ea lyricis numeris colligere jus eſſe. Laudes, amores, jurgia, inſectationes, vota, ad indulgendum genio exhortationes, ſobrietatis commendationes* b, praeclare factorum, fortium, ac ſapientum virorum, & publicae

a Vide Scaliger, Poet. lib. 3. cap. 125. b Id. l. 3. cap. 124.

gredimini memores priſtinae virtutis. Semper in praelio iis eſt maximum periculum, qui maxime timent: audacia pro muro habetur. Cavete ne inulti animam amittatis, neu capti ſicuti pecora trucidemini. Dehortatur vero a diſcordia Iupiter 10. Aen. v. 6.

Caelicolae magni quia nam ſententia vobis
Verſa retro? tantumque animis certatis iniquis?
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris:
Quae contra vetitum diſcordia? Quis metus aut hos,
Aut hos arma ſequi, ferrumque laceſſere ſuaſit?
Adveniet juſtum pugnae, ne accerſite, tempus,
Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum, atque alpes immittet apertas.
Tum certare odiis, tum res rapuiſſe licebit.
Nunc ſinite, & placidum laeti componite foedus.

6. Monitoria oratio, brevi ante animis admonitioni comparatis, facti aut criminis foeditatem, perniciem, & vaſtitatem aperit: tum ſumma ope ad ea cavenda, & emendanda impellit. Si admonere, juxtaque non irritare velit mollioribus verbis, vehementiſſimis tamen, admonitionis aſperitatem temperat; ſi nihil curat a ſe alienare, modo admonuerit, aſperrime etiam commonefacit, atque invehitur Caeſ. Bel. Civ. l. 1. c. 1. *Lentulus Conſul Senatui Reiquepublicae ſe non defuturum pollicetur, ſi audacter, ac fortiter ſententias dicere velint: ſin Caeſare reſpi-*

ciant, atque ejus gratiam ſequantur, ſe ſibi conſilium capturum.

7. Conſolatoria oratio apte initio fatetur dolendi legitimam cauſſam maerentem habere, & interdum auget, ut in animum ejus invadat. Tum quaſi dominus remedia ſalubria adhibet, conſolaturque ab humanae conditionis, humanarumque rerum indole, quod fluxa omnia in terris, quod ad virtutis laudem, quod ad meritorum incrementum, quod ita divinitus conſtitutum, aut permiſſum, quod ita neceſſe ſit. Varia itaque malorum genera, de quibus ſoleris, varia dici varia in re jubebunt. Praeclare conſolatur Ciceronem in morte filiae eius Sulpicius l. 4. epiſt. 5. *Poſteaquam mihi renuntiatum eſt de obitu Tulliae filiae tuae, ſane quam, pro eo ac debui, graviter moleſteque tuli: communemque eam calamitatem exiſtimavi... Etſi genus hoc conſolationis acerbum eſt, tamen quod in praeſentia occurit, quid fuit quod illam hoc tempore ad vivendum magnopere invitare poſſet, quae res? quae ſpes? quod animi ſolatium? ut cum aliquo adoleſcente primario conjuncta aetatem ageret? An ut, cum liberos florentes videret, laetaretur? At vero malum eſt liberos amittere. Malum niſi hoc pejus ſit, haec ſufferre, & perpeti. Quae res mihi non mediocrem conſolationem attulit, volo tibi commemorare, ſi forte eadem res tibi minuere dolorem poſſit. Ex Aſia rediens, cum ab Aegina Megaram verſus navigarem, cepi regiones circumcirca proſpicere: poſt me erat Aegina, ante Megara, dextra Piraeus, ſiniſtra Corinthus; quae oppida quodam tempore florentiſſimae fuerunt, nunc proſtrata & diruta ante oculos*

ja-

jacent: cepi egomet mecum ſic cogitare. Hem, nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrum interiit, aut occiſus eſt, quorum vita brevior eſſe debet, cum uno loco tot oppidorum cadavera projecta jaceant. Vis ne tu te, Servi, cohibere, & meminiſſe, hominem eſſe natum? Uno tempore tot viri clariſſimi interierunt: de imperio praeterea tanta diminutio facta eſt, omnes provinciae conquaſſatae ſunt: in unius mulierculae animula, ſi jactura facta ſit, tantopere commoveris? quae ſi hoc tempore non ſuum diem obiiſſet, paucis poſt annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. Vide omiſſa. Et Virgilium Horatius l. 1. od. 14.

Quis deſiderio ſit pudor, aut modus
Tam cari capitis? praecipe lugubres
Cantus Melpomene, cui liquidam Pater
Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quinctilium perpetuus ſopor
Urget? cui pudor, & juſtitiae ſoror
Incorrupta fides, nudaque veritas,
Quando ullum invenient parem?
Multis ille quidem flebilis occidit,
Nulli flebilior, quam tibi Virgili:
Tu fruſtra pius, heu non ita creditum
Poſcis Quinctilium Deos.
Quod ſi Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem:
Non vanae redeat ſanguis imagini.

Ora-

Orationes in genus judiciale rejectae.

CAP. V.

1. Accuſatio, ſive oratio alterius factum reprehendens, non ab hominis odio, ſed a facti ſcelere, ac pernicie, ſe adduci teſtatur. Tum facti illius iniquitatem, foeditatem, in alioſque perniciosa exempla, audendi impunitatem, aut oppreſſionem, vaſtitatem, ſolitudinemque profectam acerrime urget. Denique acrius etiam contendit, ut nefaria haec puniantur facta. Belle Mopſus, & Damoeta ſeſe accuſant apud Virgilium ecl. 3.

Mo. *Dic mihi, Damoeta, cujum pecus, an Meliboei?*

Da. *Non, verum Aegonis; nuper mihi tradidit Aegon.*

Mo. *Infelix o ſemper ovis pecus! ipſe Neaeram*
Dum fovet, ac, ne me ſibi praeferat illa veretur,
Hic alienus oves cuſtos bis mulget in hora.
Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.

Mo. *Tum credo, cum me arbuſtum videre Myconis,*
Atque mala vites incidere falce novellas.

Da. *Aut hic ad veteres fagos, cum Daphnidis arcum*
Fregiſti, & calamos: quae tu perverſe Menalca
Et cum vidiſti puero donata dolebas,

Quae tandem Auſonia Teucros conſidere terra
Invidia eſt? & nos fas extera quaerere regna.

3. Conqueſtio ab illatae injuriae, aut calamitatis acerbitate ingreſsa tum argumentis omnibus eam exponit, expoſtulat, conqueritur, ac tolli obſecrat. Pulchre Ovid. 1. Triſt. eleg. 7. v. 11. in infidelem amicum.

Tantane te fallax cepere oblivia noſtri?
Afflictumque fuit tantus adire timor?
Ut neque reſpiceres, nec ſolarere jacentem
Dure, neque exequias proſequerere meas?
Quid fuit ingenti proſtratum mole ſodalem
Viſere, & alloquii parte levare tui?
Inque meos ſi non lacrimam dimittere caſus,
Pauca tamen ficto verba dolore loqui?
Idque quod ignoti faciunt, vale dicere faltem,
Et vocem populi, publicaque ora ſequi?
Denique lugubres vultus, numquamque videndos
Cernere, ſupremo, dum licuitque, die?
Dicendumque ſemel toto non amplius aevo
Accipere, & parili reddere voce, vale?

4 Purgatio, ſive oratio ſe, aut factum ſuum aliquod invidorum, aut inimicorum calumnia, aut iniquitate traductum excuſans certe, vel rectum oſtendens ab ante actae vitae, aut ab agendi integritate orſa; & brevi calumnias queſta ſui facti veras, & incorruptas rationes ſumma ope demonſtrat; ac denique precatur, ne deinceps temere credatur, aut alio pacto ſe facturam pollicetur, aut communi quieti ſua permittere profitetur. Ita

Pompejus ſe Caeſari purgat apud eumdem Caeſ. Bell. Civ. l. 1. c. 8. *Ne ea, quae Reipublicae cauſſa egerit, in ſuam contumeliam vertat: ſemper ſe Reipublicae commoda privatis neceſſitudinibus habuiſſe potiora; Caeſarem quoque pro ſua dignitate debere & ſtudium, & iracundiam ſuam Reipublicae dimittere, neque adeo graviter iraſci inimicis, ne, cum illis nocere ſe ſperet, Reipublicae noceat, &c.*

5. Objurgatio, ſive increpatio, aut invectiva in graviſſimas ſtatim querimonias irrumpit, quas majori ope, & acrius deinde aſperat, & confirmat, maxima minitans, niſi factum emendatur. Hor. Epod. od. 7.

Quo quo ſceleſti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enſes conditi?
Parumne campis, atque Neptuno ſuper
Fuſum eſt Latini ſanguinis?
Non ut ſuperbas invidae Carthaginis
Romanus arces ureret:
Intactus aut Britannus ut deſcenderet
Sacra catenatus via:
Sed ut ſecundum vota Parthorum, ſua
Urbs haec periret dextera.
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Umquam, &c.

6. Deprecatio, aut toleratae injurae, vel calamitatis indignitatem vivide ob oculos ponens relevari poſtulat, aut admiſſi erroris veniam per ſuaviſſimas permotiones condonari poſtulat. Hujuſmodi eſt haec C. Claudii pro Appio Claudio apud Livium l. 3. *Sordidatus,* ait, *cum gentilibus clientibuſque in foro prenſabat ſingulos, orabatque, ne Claudiae genti eam inuſtam maculam vellent, ut carcere, & vinculis viderentur digni: virum ornatiſſimae*

ſimae imaginis futurum ad poſteros, legum latorem, conditoremque Romani juris, jacere vinctum inter fures nocturnos, ac latrones? Averterent ab ira parumper ad cognitionem, cogitationemque animos, & potius unum tot Claudiis deprecantibus condonarent, quam, propter unius odium multorum preces aſpernarentur.

Variorum Carminum genera: materia: aliae leges.

CAP. VI.

1. Epigramma eſt *poema breve cum ſimplici cujuſpiam rei, vel perſonae, vel facti indicatione, aut ex propoſitis aliquid deducens* a.

2. Duo ſunt eius genera. Unum quod ſimplex, aut narrationis appellant, & factum aliquod, aut animi ſenſum, aut quamcumque aliam rem complectitur quaſi narrans. Haec autem narratio venuſta, vivida, elegans, ornata eſſe debet, eſt enim maxime ad delectandum: & hujusmodi ſunt plurima Catulliana epigrammata. Alterum, quod miſtum, & compoſitum vocant, aliquid velut narrando exponit, atque ex re illa expoſita aliquid ingenioſe concludit: quam partem epigrammatis argutiam jocum, & ſales dicunt; quam interdum Catullus, optimarumque aetatem alii, fere ſemper Martialis, Auſonius, ceteri adhibent. Prioris exemplum ſit Catullus epigr. 75.

a. Scalig. Poet. l. 3. c. 126.

quaſi luctus cauſſa a: deinde etiam res jucundae, laetae, ſecundae, felices, ut affirmat Horat. l. 2. ep. 3. v. 76.

Verſibus impariter junctis querimonia primum,
Poſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos;

ac demum res plane omnes elegia ſcribendas excepit.

5. Elegiae indoles, ac forma propria eſt inſignes permotiones ſuaviſſime excitare, ſive illae ingentis maeroris ſint, ſive ingentis gaudii, atque jucunditatis, eaſque ipſas ſuavi praeſertim, ac delicato verſu exponit. Si ampla, & magnifica argumenta ſuſcipiat inſignes motus ſubinde admiſcet, & ſuavi leni, juxtaque grandi oratione perſequitur. Similitudines, & comparationes multo libentiſſime advocat. Ad carminis ſuavitatem Ovidius raras potius litterarum eliſiones adhibet, & fere ſemper trium ſillabarum voce exametrum, duarum pentametrum concludit. Contra Catullus, Tibullus, ac Propertius amant ſaepe litteras explodere, & longiori voce concludere diligenti quadam negligentia, & ſuavi quodam aſperitatis quaſi ſtudio.

6. Odae argumentum potius ſublime, & magnificum, ſaepe varium: nam *mihi ita videtur; quaecumque in breve poema cadere poſſunt, ea lyricis numeris colligere jus eſſe. Laudes, amores, jurgia, inſectationes, vota, ad indulgendum genio exhortationes, ſobrietatis commendationes* b, praeclare factorum, fortium, ac ſapientum virorum, & publicae

 tran.

a Vide Scaliger. Poet. lib. 3. cap. 125. b Id. l. 3. cap. 124.

tranquillitatis commendationes, alia ſi quae ſunt ejusdem indolis.

7. Ex dicendi forma ſunt varia odarum genera. Pindaricum, Alcaicum, quod grave, magnificum, grandium rerum, atque imaginum plenum, quale Auctores illi genus ſecuti: nam *Monte decurrens velut amnis, imbres Quem ſuper notas aluere ripas, Fervet, immenſusque ruit profundo Pindarus ore* [a], ut in Horatio *Quem virum, aut heroa &c. Paſtor cum traheret &c. Odi profanum vulgus &c. Qualem miniſtrum fulminis &c.* aliae. Aſclepiadaeum, & Anacreonticum, & Saphirum, ſeu temperatum, ac ſuave, blandiſſimis, mellitiſſimiſque rebus redundans, ut mellitiſſimi illi Vates, & quales in Horatio ſunt *Rectius vives, Licini &c. Integer vitae &c. Maecenas atavis &c.* aliae.

8. Duo vero ſunt omnino odarum propria: graves ſententiae interdum brevi comprehenſae, ut *Vitae ſumma brevis ſpem nos vetat incohoare longam* [b]: *Permitte Divis cetera* [c]; ſaepius multa, ſed ample complexae, ut *Tu ne quaeſieris ſcire, nefas, quem mihi, quem tibi Finem Dii dederint &c.* Maior quidam dicendi ſpiritus, ardor, alacritas, & impetus, quos etiam *Lyricos volatus* dicimus, qua de re aliqua dicta ſunt lib. 2. c. 17.

9. Dithyramborum materia varia eſt, ſed potius tamen inuſitatae res inopinatae, & quaſi praeter conſuetudinem, ac praeter ſolitum agendi modum, ad quem quaſi improviſo impetu afflatus, & abreptus fuerit: ad eaque carmine celebranda inuſitato etiam ar-

a Hor. l. 4. od. 12. v. 5. b Id. l. 1. od. 7. v. 15. c Id. l. 1. od. 16. v. 8.

ardore, & impetu dithyrambici ingredi ſolent Vates, & procedere. Dithyramborum ſtilus ſublimis, magnificus, impetuoſus, atque audax [a] eſt: novorum verborum fingendo, & conjungendo liberior: ex re ad rem devolat magnifico inceſſu ſatis tamen apte eas conjungens. Vix Latinis celebrati certo carminis genere, certo etiam verſu Itali, alii deinde celebrarunt. Re Horat. l. 2. od. 19.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, credite poſteri,
Nymphaſque diſcentes, & aures
Capripedum Satyrorum acutas.
Evoe recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Laetatur, evoe parce Liber,
Parce gravi metuende thyrſo.
Fas pervicaces eſt mihi Thyadas,
Vinique fontem, lactis & uberes
Cantare rivos, atque truncis
Lapſa cavis iterare mella.

10. Satyrae materia ſunt hominum vitia aſpere, vehementerque traducta, & tamquam mulctata. Vehementiſſima quidem verba, acerrima, ac prope cruenta, ſed potius popularia, & multitudini familiaria ſunt eius propria. Ita etiam rationes, ſimilitudines, hiſtoriae etiam in ſatyra eo meliores fere ſunt, quo plebi, communique populo accommodatiores. Eius ſtilus humilis, & quotidiano ſermoni finitimus eſt optimus: atque adeo multo majori judicio uſus eſt Horatius jocoſus, plebejus, ac prope ridiculus in Satyris factus, quam Iuvenalis magnifico, atque elato dicendi genere incedens, crebriſque

a Hor. l. 4. od. 2. v. 10.

que illis ſententiis redundans, praeclaris quidem, ſed ſatyrico ſtylo non accommodatiſſimis.

11. Eclogae materia ſunt paſtorum facta, mores, verba ipſa, atque omne eorum ingenium: quare quodcumque argumentum tractetur, planeque omnis capax ecloga eſt, paſtorum more tractandum eſt, & perpetua translatione a paſtorum rebus ad id, quod contenditur, ſignificandum eſt. Dicendi genus eclogae ferme humile eſt, interdum ad temperatum, nec ſemel ad ſublime provolat, praeſertim ubi Poeta perſonam ſuam gerit, non alienam. Sunt etiam eclogae piſcatoriae ad piſcatorum omnem indolem effictae: ſunt etiam aratoriae ad aratorum, bubulcorum, agreſtium hominum ingenium accommodatae, quae ultimae idilia vocantur, univerſae autem ſunt eiusdem ingenii participes, ejusdemque artificii.

12. Poema principum virorum, ut Reges ſunt, belli Duces, grandium geſtorum auctores, praeclare aliquod factum argumentum proprium habet. Duae ſunt eius partes, propoſitio, & narratio. Propoſitio brevi proponit quid canendum ſit; tum divinam opem implorat ad praeclare canendum, & res maximas, vetuſtas, & pulcherrimas commemorandas; ac demum opus ſuum principi alicui viro conſecrat: quam tamen dedicationem etiam in medium, aut productum opus transfert. Narratio tres habet partes, perturbationem, epiſodium, & complementum. Perturbatio rem magnam, reique ingentem difficultatem aperit, ut principis poematis viri virtutem ſuſpiciendam exornet.

Epi-

Epiſodium, ſeu digreſſio talem difficultatem interpoſitam, ac tot caſus conſecutos commemorat, ut ſummo illi viro ab incepto opere aberrandum fuerit, etſi ille non ceſſerit, nec deſperaverit; ut ita eius virtus exſtet atque emineat. Complementum denique, ſeu reductio ſumma virtute abſolutum opus exhibet; ideoque in magno aliquo laboris, & virtutis facto, non in parta quiete, multo optime poema terminatur.

13. Tragoediae argumenta ſunt praecipue Tyrannorum facta, & poena improbe factis conſecuta. Aliquando etiam proborum infelices, & immeriti caſus; utrumque enim eodem ſpectat, ut nefarios ab improbe factis ex ſupplicio ſerius ocius conſequente deterreat, & probos aut ſoletur, aut confirmet. Dicendi formam non adeo magnificam, ut poema, grandem tamen, & gravem flagitat magnis viris in tragoedia agentibus convenientem: licet

Et Tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri a.

Concipiendae orationis, ſilvae rerum parandae, propriaeque ſcriptionis examinandae brevis forma.

CAP. VII.

1. NE Oratori aqua haereat, cum ei aliquid ſcribendum eſt, *Silva rerum ſententiarumque comparanda eſt* b. Nam cum ſcri-

a Hor. l. 2. ep. 3. v. 95. b Cic 3. de Orat. c. 16.

ſcribas paratus ſis oportet, & omnem dicendi copiam in promtu habeas, ut rem continuo complecti poſſis, & tamquam currenti calamo perſcribere. Itaque jam nunc humaniora ſtudia ingreſſus, continuo praeſtantiorum diſciplinarum curriculum abſolvens, ac deinde ſcientiarum omnium orbem conficiens magnarum rerum, utilium, popularium, animos afficientium, ad perſuadendum maxime idonearum intuere, ſuſpice, animo committe, & plane teneas, aut in adverſaria refer, ſi memoriae diffidas. Hoc praeſertim efficias in praeclaris hiſtoriarum exemplis, in maximis doctrinarum documentis, in ſingularibus, ac prope divinis Scriptorum dictis, ac factis. Haec in tempore parata incredibili tibi erunt utilitati dicturo: tum enim ſeges *Verbaque proviſam rem non invita ſequentur* a.

2. Ubi autem ad dicendum, aut ſcribendum aliquid tua ſponte, aut alieno juſſu advoceris, materiam omnem pertractandam, & perſuadendam diu multumque accurate tecum verſa, ex eaque bene, ac ſapienter animadverſa orationis, quaecumque illa ſit aut proſa, aut verſu, propoſitionem conſtitue, & rerum capita, quae illam vere confirment, elige ſive ex iis, quae parata habeas, ſive ex iis, quae ſtatim cogitabis, & requires. *Etſi* enim *utile eſt etiam ſubito ſaepe dicere, tamen illud utilius, ſumto ſpatio ad cogitandum paratius, atque accuratius dicere* b. Tum demum cogita quid ample, quid preſſe, quid ornate, quid aſpere, quid ſuaviter, quid germane, quid elaborate dictum permovebit.

3. De-

a Hor. l. 2. ep. 3. v. 309. b Cic. 1. de Or. c. 33.

3. Denique ubi orationem, aut aliam ſcriptionem elaboraveris, atque abſolveris, eam tantiſper depone, nec de illa cogita: tum illam iterum tamquam non tua expenſurus aſſume, *ut refrigerato inventionis amore tamquam lector perpendas* a: ita multa corrigas, quae alii facile criminarentur. Immo tuo non credas judicio, at vere ſapienti, vere amico Doctori ea legas, vera illo monſtrante emendaturus: nam

Vir bonus, & prudens verſus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomtis allinet atrum
Tranſverſo calamo ſignum, ambitioſa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambigue dictum, mutanda notatis
Fiet Ariſtarchus b.

Cave vero ne aut plauſum quaeras, aut errata defendas, tum enim te plane perderes, nec ſanus Doctor tecum pugnaret, ſed, ut ille apud Horatium, te in tuo judicio, immo errore deſipientem dimitteret. Ait enim

Quinctilio ſi quid recitares, corrige ſodes,
Hoc (ajebat) & hoc; melius te poſſe negares
Bis terque expertum fruſtra: delere jubebat,
Et male tornatos incudi reddere verſus.
Si defendere delictum quam vertere malles,
Nullum ultra verbum, aut operam ſumebat inanem,
Quin ſine rivali teque, & tua ſolus amares c.

Me-

a Quinctil. epiſt. ad Bibliop. *Dabam*, ait, *iis otium, ut refrigerato inventionis amore tamquam lector perpenderem.* b Hor l.2. ep.3. v.445. c Id. ibi v.438.

Memoriae, pronunciationis, atque actionis utilitas, & adjumenta.

CAP. VIII.

1. MEmoria *eſt firma rerum, & verborum perceptio* a, *eiuſque duplex virtus, facile percipere, & fideliter continere* b. Eam adiuvant facilis, ac nativus ſcriptarum rerum ordo, quo inter ſe omnia apte copulata ſint, & ex aliis alia orta; opportunum ac tranquillum diſcendo tempus, aut prima lux ſit, aut obortae tenebrae, aut ſolitarius locus; mens quieta, integra, & vere libera; parcior cibus, obruunt enim memoriam immodicae comeſſationes, ac liberaliores perpotationes; certarum rerum, ac maximarum quaſi localis memoria, ut advertas, ubi tempeſtatem, ubi ſeditionem, ubi torrentis impetum, ubi veris amoenitatem ſis dicturus; denique omnium maxime *memoria firmatur, atque alitur exercitatione* c; *nihil enim aeque vel augetur cura, vel intercidit negligentia* d.

2. Pronunciatio *eſt ex rerum, & verborum dignitate vocis, & corporis moderatio* e. Maxima eſt eius utilitas, nam pronunciatio *habet miram quamdam in orationibus poteſtatem, neque enim tam refert qualia ſint* quae co-

a Cic. 1. Inv. c. 7. b Quinct. l. 1. c. 5. c Id. l. 1. c. 2. d Id. ibi e Cic. 1. Inv. Rhet. c. 7.

cogitavimus, ac dicimus, *quam quomodo efferantur, nam ita quiſque ut audit movetur; quare neque probatio ulla tam firma, ut non perdat vires, niſi adjuvetur aſſeveratione dicentis, & affectus omnes langueſcant neceſſe eſt, niſi voce, vultu, totius prope habitu corporis inardeſcant* a. Vox autem varia pro argumenti varietate eſſe debet; in temperato exordio, in laeta narratione, in gravi rerum expoſitione clara, plena, ſuavis, aequabilis: in vehementi contentione incitata, & in acri permotione, nam *iracundia ſibi ſumit vocis genus acutum, incitatum, crebro incidens; miſeratio, ac maeror flexibile, plenum, interruptum; metus demiſſum, haeſitans, abjectum; vis contentum, vehemens, imminens quadam incitatione gravitatis; voluptas effuſum, lene, tenerum, hilarum, & remiſſum; moleſtia grave quiddam, & uno preſſu, ac ſono obductum* b. Ubique autem *auditorem varietas maxime delectat* c: nam *ut cytharaedus Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem* d, ita Orator, qui uno eodemque vocis ſono incedat.

3. Actio denique totum corpus, manus praecipue, oculos, ac vultum moderatur; ac bene ea moderata, agens, inardeſcens orationem, eiuſque omnem vim ipſa promovet; nam geſtu prope loquuntur Oratores, nam ipſo *pollicemur, vocamus, dimittimus, minamur, ſupplicamus, abominamur, timemus, interrogamus, negamus, gaudium, triſtitiam, dubitationem, confeſsionem, poenitentiam, co* *piam*,

a Cic. 1. Inv. Rhet. c. 7. b Id. 3. de Orat. c. 23.
c Auct. ad Her. l. 3. d Hor. l. 2. ep. 3.

piam, *numerum oſtendimus* a. Quamobrem ſuo jure ait Cicero, *actio eſt quaſi corporis quaedam eloquentia* b; ac Demoſthenes *tribuit & primas*, *& ſecundas*, *& tertias actioni* c.

4. Haec tibi, optime Adoleſcens, ut ad eloquentiam aggrediaris, complexus ſum. Praecipua hic capita audiſti: non exigua lux ad dicendum, nec tamen omnis vis ſunt; nec enim omnia hic praecipi potuerunt. In ea proficies atque excelles, ſi te exerceas dicendo: nam *nemo expectet*, *ut alieno tantum labore ſit diſertus*; *vigilandum ducat*, *iterum enitendum*, *pallendum*, *facienda eſt ſua cuique vis*, ſuus *uſus*, *ſua ratio*, *non reſpiciendum ad haec*, *ſed in promptu habendas* d. Eo magis, quod *longum iter eſt per praecepta*, *breve & efficax per exempla* e, & uſum. Plura itaque per te lege, plura in legendo expende, plura meditare, & omnium maxime fac, *ut rationes praeceptionis diligentia conſequaris*, *& exercitatione* f.

a Quinct. l. 11 c. 2. b Cic. in Orat. c. 17. c Id. ibi. d Quinctil. l. 7. c. 10. e Seneca epiſt. 6. f Auct. ad Her. l. 4. c. 36.

FINIS.

005684945

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google